BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 I
27

THEOLOGIA
DOGMATICA
ET MORALIS,

AD USUM SEMINARII CATALAUN.

AUCTORE

D. LUDOVICO HABERT

S. Facult. Pariſ. Doct. Theol. & Soc. Sorb.

Cui inſuper in hac Editione adjecta eſt,

HISTORIA
PŒNITENTIÆ PUBLICÆ

Conſcripta, notiſque & animadverſionibus illuſtrata

a R. P. GERALDO ZURCHER
O. S. Ben. SS. Theol. & J. U. Prof. Sangal.

TOMUS SEPTIMUS,

Continens Tractatus

DE ORDINE, DE CENSURIS
de Irregularitate, & de Matrimonio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
MDCCLXXXV.
Ex Typographia Balleoniana.
Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

INDEX

CAPITUM.

TRACTATUS

De Sacramento Ordinis.

Argumentum operis & ejus diviſio, pag. 9.

PRIMA PARS.

De Sacramento Ordinis.

Cap. I. *De nomine & definitione Sacramenti Ordinis.* Pag. 13
Cap. II. *De nomine Clericorum & eorum diſtinctione a Laicis.* 17
Cap. III. *Utrum ordinatio ſit Sacramentum proprie dictum?* 28
Cap. IV. *De Ordinis diviſione.* 33
Cap. V. *De definitione & officio cujuſque Ordinis ſeorſim ſpectati?* 40
§. I. *De Oſtiariis.* 41
§. II. *De Lectoribus.* 43
§. III. *De Exorciſtis.* 45
§. IV. *De Acolythis.* 50
§. V. *De Subdiaconis.* 51
§. VI. *De Diaconis.* 57
§. VII. *De Diaconiſſis,* 69
§. VIII. *De Presbyteris,* 75
§. IX. *De primo Presbyteri officio.* 76
§. X. *De ſecundo Presbyteri officio.* 80

§. XI. *De tertio Presbyteri officio*. 82
§. XII. *De quarto Presbyteri officio*. 83
§. XIII. *De quinto Presbyteri officio*. 96
§. XIV. *De Epiſcopis*. ibid.
§. XV. *De Chorepiſcopis*. 112
APPENDIX, *De Tonſura Clericali*. 115
§. I. *De notione Tonſuræ Clericalis*. 116
§. II. *De depoſitione ſæcularis habitus*. 120
§. III. *De attonſione & raſura capillorum*. ibid.
§. IV. *De Habitu Clericali*. 124
§. V. *De profeſſione ſanctioris diſciplinæ, quæ emittitur in Tonſura Clericali*. 128
§. VI. *De diſpoſitionibus requiſitis ad Tonſuram Clericalem*. 145
Cap. VI. *Utrum ſinguli Ordines ſint Sacramenta*. 150
Cap. VII. *De materia & forma cujuslibet Ordinis*. 157
Cap. VIII. *De Miniſtro Sacramenti Ordinis*. 173
Cap. IX. *Expenduntur nonnullæ difficultates circa Miniſtrum Ordinis*. 181
Cap. X. *De ſubjecto Ordinis*. 198
§. I. *De ætate ordinandorum*. ibid.
§. II. *De ordinationibus per ſaltum*. ibid.
§. III. *De Interſtitiis*. 201
§. IV. *De Titulo Clericali*. 208
Cap. XI. *De effectibus Sacramenti Ordinis*. 216

SECUNDA PARS.

De Hierarchia Eccleſiaſtica.

Cap. I. *De nomine Hierarchiæ*. 227
Cap. II. *De notione Hierarchiæ*. 229
Cap. III. *De exiſtentia Hierarchiæ*. 235
Cap. IV. *De Romano Pontifice*. 245
§. I. *Utrum ſanctus Petrus fuerit Princeps Apoſtolorum, & caput totius Eccleſiæ?* ibid.
§. II. *Utrum ſanctus Petrus Romæ ſederit Epiſcopus uſque ad mortem?* 253

§. III. *Utrum Romanus Pontifex ſit jure divino Caput Eccleſiæ?* 258
Cap. V. *De gradu & loco, quem Epiſcopi divinitus obtinent in Hierarchia.* 267
Cap. VI. *De Parochis.* 280
Cap. VII. *De Monachis & Religioſis.* 292
§. I. *De nomine & ſtatu Monachorum.* ibid.
§. II. *An & quomodo Religioſi locum habeant in Hierarchia?* 299
Cap. VIII. *De ſcientia, & aliis chariſmatibus ad Hierarchiam requiſitis.* 308
§. I. *De ſcientia neceſſaria ad functiones hierarchicas.* 309
§. II. *Quam ſanctitatis ac caritatis perfectiorem requirat Hierarchia?* 316
Cap. IX. *De actibus Hierarchicis.* 323
§. I. *Utrum exiſtat in Eccleſia poteſtas ferendi cenſuras.* 324
§. II. *Quomodo definiatur Cenſura?* 328
§. III. *De diviſione Cenſuræ.* 334
§. IV. *De excommunicationis nomine & diviſione,* 337
§. V. *De definitione & effectibus excommunicationis minoris.* 345
§. VI. *De definitione & effectibus excommunicationis majoris.* 346
§. VII. *De communicatione cum excommunicatis prohibita tam in rebus ſacris, quam civilibus.* 350
§. VIII. *De Monitoriis.* 356
§. IX. *De Interdicto.* 365
§. X. *De ſuſpenſione.* 372
§. XI. *Quis poſſit ferre cenſuras?* 375
§. XII. *De abſolutione a cenſuris.* 382

TERTIA PARS.

De diſpoſitionibus ad Ordines.

Cap. I. DE vocatione ad Ordines. 388

§. I. De notione & exiſtentia vocationis. ibid.

§. II. Utrum Dei vocatio ſit neceſſaria ad Ordines ſuſcipiendos, eorumque functiones rite obeundas. 396

§. III. De ſignis, quibus deprehendi poſſit an vocetur quis, nec ne ad munus Sacerdotale? 441

COROLLARIUM. 423

Cap. II. De electione Miniſteriorum Eccleſiæ. 425

Cap. III. An, & quæ, ſcientia & ſanctitas requiratur in iis, qui ſacris Ordinibus initiantur? 433

Cap. IV. De cælibatu ſtatui Clericorum annexo. 447

Cap. V. De ingenio Sacerdotali. 463

Cap. VI. De impedimentibus removentibus ab ordinatione. 473

§. I. De notione & diviſione irregularitatis. ibid.

§. II. De effectibus irregularitatis. 478

§. III. De ſpeciebus irregularitatis. 480

§. IV. De irregularitate ex defectibus animæ. 481

§. V. De irregularitate ex defectu corporis. 484

§. VI. De irregularitate ex defectu natalium, ætatis, & libertatis. 487

§. VII. De irregularitate ex defectu obligationis, & Sacramenti. 491

§. VIII. De irregularitate ex defectu bonæ famæ. 497

§. IX. De irregularitate ex defectu lenitatis. 502

§. X. De irregularitate ex delicto homicidii. 511

§. XI. De irregularitate ex iteratione Sacramenti, & ex hæreſi. 518

§. XII. De irregularitate ex delicto in receptione & uſu Ordinis. 520

§. XIII. De diſpenſatione in irregularitate. 527

TRAC

TRACTATUS

De Sacramento Matrimonii.

Cap. I. *De Matrimonio generatim ſpectato.* 533
Cap. II. *De proprietatibus Matrimonii.* 544
§. I. *De polygamia ſimultanea.* ibid.
§. II. *De polygamia ſucceſſiva.* 553
§. III. *De firmitate ſeu indiſſolubilitate Matrimonii.* 558
§. IV. *Utrum per libellum repudii in lege Moſaica ſolveretur Matrimonii vinculum?* 562
§. V. *Utrum Matrimonium in infidelitate contractum dirimatur per profeſſionem Religionis Chriſtianæ?* 564
§. VI. *Utrum Matrimonium dirimatur per adulterium?* 567
§. VII. *Utrum Matrimonium dirimatur per continentiæ votum alterutrius conjugum?* 580
§. VIII. *Utrum inter Chriſtianos conjuges licitum ſit divortium quoad thorum tantum & cohabitationem?* 590
Cap. III. *De Matrimonio quatenus eſt Sacramentum.* 596
Cap. IV. *Quis ſit Miniſter Sacramenti Matrimonii?* 610
Momenta primæ Sententiæ. 611
Momenta ſecundæ ſententiæ. 614
Confectaria doctrinæ præcedentis. 619
Cap. V. *De effectibus Sacramenti Matrimonii.* 622
Cap. VI. *De peccatis conjugum adverſus nuptiarum fœdera.* 634
§. I. *De peccatis conjugum contra Matrimonii fidem.* ibid.
§. II. *De peccatis conjugum, quæ pugnant adverſus bonum prolis.* 642
§. III. *De peccatis conjugum, quæ pugnant contra ſanctitatem Sacramenti.* 650
COROLLARIUM. 662
Cap. VII. *De ſponſalibus, ſeu præparatione ad Matrimonium.* 664

§. I. De definitione ſponſalium. 665
§. II. De diviſione ſponſalium. 669
§. III. De fine ſponſalium. 673
§. IV. De diſſolutione ſponſalium. 676
§. V. De ſponſalium denuntiationibus. 680
Cap. VIII. De impedimentis ſimplicibus. 688
Cap. IX. De Impedimentis Matrimonium dirimentibus. 691
§. I. De impedimentis dirimentibus in genere. ibid.
§. II. De numero impedimentorum, quæ Matrimonium dirimunt. 705
De Errore. ibid.
De Conditione. 708
De Voto. 709
De Cognatione. 710
De Crimine. 718
De Diſparitate Cultus. 720
De Vi, ſeu Coactione. 731
De Ordine, & Ligamine. 733
De publica Honeſtate. 736
De Amentia. De Affinitate. 737
De Clandeſtinitate. 742
De Impotentia. 747
De Raptu. 749
Cap. X. De Diſpenſatione circa impedimenta Matrimonii. 751

TRA-

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO
ORDINIS.

ARGUMENTUM.

SACERDOTIUM legis Chriſtianæ eſt caput ac ſumma mirabilium, quæ Chriſtus pro ſua erga Eccleſiam infinita bonitate, operatus eſt: in eo quippe omnia dona, atque ornamenta repoſuit, quibus ſponſam ſuam glorioſam, ſeque dignam exhiberet. Si tolleretur Sacerdotium, illico claves regni cælorum tollerentur, ſacrificium ceſſaret, Sacramenta conciderent, auferrentur duces cæleſtis viæ, ac legis divinæ interpretes; ipſa etiam Eccleſia corrueret, atque evaneſceret in confuſam atque inordinatam multitudinem. „ Si quis aliorum Sacra„ mentorum naturam & rationem conſiderarit, *inquit* „ *Catechiſmus Romanus de Sacramento Ordinis*, facile „ perſpiciet ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pen„ dere, ut ſine illo partim confici & adminiſtrari nul„ lo modo queant; partim ſolemni cæremonia & „ religioſo quodam ritu ac cultu carere videan„ tur. „

Hinc eſt quod noſtræ ſalutis hoſtes, poteſtates tenebrarum, Chriſtianæ legis Sacerdotio longe acerbius ac diuturnius bellum indixerint, quam ceteris Religionis noſtræ myſteriis, illudque etiamnunc avertere omni ope enitantur; nunc hæreſes concitando, quæ illud de medio tollant; alias ſchiſmata inducendo, quæ ſacram hierarchiam confundant ac peſſundent; demum in ipſo Eccleſiæ ſinu uſquequaque homines incendendo ſeu ho-

noris ſeu pecuniæ cupiditate, qui de Sacerdotio turpiter negotientur.

Ac primo quidem Lutherani omnes & Calviniani Sacerdotium rejiciunt. Melanchon Apologiæ Confeſſionis Auguſtanæ cap. 13. in Ordine ſuo diſtinguit, ſcilicet Sacerdotium, & deputationem Miniſtrorum ad prædicandum Evangelium, & adminiſtranda Sacramenta. Primum e medio tollit, & in ea parte adſtipulatur Luthero, qui lib. de captiv. Babylonica petulantiſſime pro more, adverſus Catholicos debacchatur. Secundum admittit tamquam verum Sacramentum, & in eo diſſentit a Luthero, qui cit. loc. abſolute negat deputationem Miniſtrorum eſſe Sacramentum.

Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 10. & 14. ſententiam Melanchonis amplecti videtur; ibi enim explicat quo ſenſu ſcripſiſſet duo tantum eſſe Sacramenta, Baptiſmum & Cœnam; nempe omnibus Fidelibus communia; additque ſe ægre non pati, ſi Ordinatio inter Sacramenta recenſeatur: „ Impoſitionem manuum, *in-„ quit*, quæ Eccleſiæ Miniſtri in ſuum munus initian-„ tur, ut non invitus patior vocari Sacramentum, ita „ inter ordinaria Sacramenta non numero „. Verum præterquamquod iſte loquendi modus, *non invitus patior vocari Sacramentum*, ſatis indicat Calvinum non agnoſcere Ordinationem ut verum & proprie dictum Sacramentum; ibidem perſtringit Catholicos, quod doceant promiſſionem gratiæ huic ſigno eſſe annexam. Et c. 19. §. 23. negat Ordinationem eſſe cæremoniam a Chriſto inſtitutam, unde ſectatores ejus præter Baptiſmum & Euchariſtiam, nullum admittunt Sacramentum.

Ulterius progrediuntur Pſeudo-reformati, quippe qui inter ſtatum Clericorum & Laicorum non diſtinguant; ſed omnes æqualiter Sacerdotes & Evangelii Miniſtros eſſe contendant, aut ſi quæ diſtinctio inter eos ſtatuenda ſit, eam ex hominum æſtimatione pendere arbitrantur, adeo ut plebs & quivis e vulgo homines, ſtatim atque populo placuerit, Sacerdotes evadant, & ad ejus nutum in ordinem Laicorum redigantur. Ita Lutherus lib. de abroganda Miſſa, & Calvinus cit. lib. Inſt. cap. 2.

Præi-

Præiverat Wicleſus, ut refert Thomas Valdenſis tom. 3. de Sacramentis cap. 7. & longe ante ipſum veteres Hæretici, quos Tertullianus inſectatur lib. de præſcript. cap. 41. „ Ordinationes eorum, *inquit*, „ temerariæ, leves, inconſtantes, nunc Neophytos „ collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas „ noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non „ poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quam in ca„ ſtris *rebellium*, ubi ipſum eſſe illic, promereri „ eſt. *Itaque* alius hodie Epiſcopus, cras alius; ho„ die Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, „ qui cras Laicus; nam & Laicis Sacerdotalia mune„ ra injungunt. „ Quibus verbis nemo non videt, Tertullianum ad vivum pingere Pſeudo-reformatos.

Longum eſſet ea omnia enumerare ſchiſmata, quibus iidem Religionis hoſtes variis temporibus Eccleſiæ unitatem ſcindere, avellere gregem a ſuis Paſtoribus, ſpurios pro legitimis Miniſtris obtrudere, atque univerſam Hierarchiam confundere moliti ſunt.

Verum quoties natæ ſunt ſchiſmata, toties ea vel in ipſo ortu præfocavit Eccleſia, vel in eorum progreſſione repreſſit, ſuumque ſemper aſſuerit Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſplendorem ac decus. At nulla eſt ei pax ab iis hoſtibus domeſticis, quos vel ambitio, vel rerum temporalium cupiditas tenet, qui tanquam fures, Chriſti Sacerdotio aſſidue & clam inſidiantur, ut illud rapiant, & ad ſua humana ſtudia re plane divina per ſcelus abutantur. Non deterrentur latis non ſemel ab Eccleſia fulminibus adverſus cupidum hominum genus: aut enim illorum ictus præfracte ſuſtinent, aut ad ea declinanda varias artes excogitant, quibus ſe tuto muniant adverſus legem & conſcientiæ morſum, aut ſi viam non inveniant, non eos pudet certam a Theologis inquirere, (quod non ſemel experti ſumus) qua Chriſti Sacerdotium abſque ſimoniæ pœnis & infamiæ nota invadere queant.

Quare cum triplex hoc hoſtium genus, Hæretici ſcilicet, Schiſmatici, & cupidi homines diviſim Sacramentum Ordinis impetant, Tractatum noſtrum in tres partes ita diſtribuemus, ut primam opponamus

Hæreticis, ſecundam Schiſmaticis, tertiam ambitioſis, & rerum temporalium avidis, qui, ut loquitur S. Auguſtinus, plus delectantur potentia Apoſtolica, quam Chriſtiana juſtitia.

In prima parte adverſus Hæreticos 1. exponemus veram Sacramenti notionem: 2. aſſeremus ſtatum Clericorum eſſe divinitus inſtitutum, & diſtinctum a ſtatu Laicorum: 3. demonſtrabimus ſacram Ordinationem eſſe verum & proprie dictum novæ legis Sacramentum: 4. ſtabiliemus Ordinis diviſionem: 5. expendemus quæ ſit ejus materia: 6. quæ ejus forma: 7. quis Miniſter: 8. quod ſubjectum: 9. qui effectus.

In ſecunda parte, quæ erit de Hierarchia Eccleſiaſtica, inquiremus 1. quid ſit: 2. an exiſtat: 3. ex quibus perſonis conſtet; ubi nobis differendum erit de Summo Pontifice, de Epiſcopis, de Parochis, de aliis Presbyteris & inferioribus Clericis; ac demum de Monachis, an ſcilicet ad Hierarchiam Eccleſiam pertineant.

In tertia parte, quæ erit de præparatione animi ad Ordines & Dignitates Eccleſiaſticas, diſputabimus, 1. de vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ: 2. de ſcientia: 3. de morum probitate & ſanctitate: 4. de ingenio vere Sacerdotali atque Eccleſiaſtico Eccleſiæ Miniſtris plane neceſſario: 5. de cœlibatu Clericorum: 6. de impedimentis removentibus a ſacra Ordinatione.

PRI-

PRIMA PARS
DE
SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & definitione Sacramenti Ordinis.

Q. 1. QUare Sacerdotium vocatur Ordo?

R. Quia Ordo, ſecundum vim nominis, eſt diſpoſitio ſuperiorum & inferiorum rerum, quæ inter ſe ita aptatæ ſunt, ut una ad alteram referatur. Secundum vero acceptionem, & communem loquendi uſum, Ordo ſignificat ſtatum vel conditionem perſonarum, quæ alicui officio deſtinatæ ſunt; quo ſenſu tres, qui ſunt in regno hominum ſtatus, ſcilicet Eccleſiaſticus, Nobilis & plebejus, tres Regni Ordines dicuntur. In eadem acceptione Congregationes Monachorum & Monialium Ordines vocitari ſolent; ſunt enim conflatæ ex perſonis apte inter ſe diſpoſitis ad ſerviendum Deo ſpeciali & diſtincta quadam vivendi ratione: atqui Sacerdotium conſecrat homines, & in diſtinctis honorum gradibus aptat ad celebrandum Euchariſtiæ ſacrificium, & ad obeunda alia miniſteria erga plebem: ergo merito dicitur Sacramentum Ordinis.

Ritus autem, quo conſecrantur ejuſmodi perſonæ, eſt Sacramentum, non vero earum ſtatus; Sacramentum quippe Ordinis non eſt quid permanens, ſicut ſtatus Sacerdotalis; ſed eſt actio tranſiens, quæ in

in ipſa conſecratione conſiſtit, & ex qua efflorescit ſtatus Sacerdotalis.

Q. 2. *Quomodo definitur Sacramentum Ordinis?*

R. Ex praecedenti reſponſione definiri debet, Sacramentum novae legis, quo poteſtas ſpiritualis traditur ad ſacroſanctum Chriſti Corpus conſecrandum, & ad alia Eccleſiaſtica miniſteria rite & ex ordine obeunda.

Dicitur 1. *Sacramentum*, ut denotetur genus, in quo convenit cum aliis Sacramentis.

Dicitur 2. *Quo poteſtas ſpiritualis traditur ad ſacroſanctum Chriſti Corpus conſecrandum*; quae verba locum obtinent differentiae, qua facer Ordo a ceteris Sacramentis eſſentialiter differt; namque *ſacrificium*, inquiunt PP. Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. *& Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege extiterit, &c.* Et cap. 2. *Cum autem divina res ſit tam ſancti Sacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines, &c.*

Gradus itaque honoris, qui cernuntur in ſtatu Eccleſiaſtico, non ſortiuntur nomen & rationem Ordinis ac Sacramenti, niſi quatenus referuntur ad Euchariſtiae ſacrificium. Hinc eſt quod Archiepiſcopatus & Primatus Summi Pontificis non ſint Ordines, nec Sacramenta, quia praeciſe ſumpti non ſpectant ſacrificium, ſed regimen Eccleſiae. Nec Epiſcopatus eſſet Ordo diſtinctus a Presbyteratu, niſi ſpeciali modo referretur ad ſacrificium, ut ſuo loco explicabitur.

Dicitur 3. *Et ad alia Eccleſiaſtica miniſteria obeunda*, quibus verbis diſtinguitur regimen Eccleſiaſticum a politico; Sacerdotes enim adminiſtrant ſolummodo ſpiritualia; Reges vero & Principes temporalia, juxta illud Oſii Cordubenſis ad Imperatorem Conſtantium: *Ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere praecipe; ſed potius a nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit; nobis quae ſunt Eccleſiae, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae, ita & tu*

ca-

cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno criminì obnoxius fias. Neque enim fas eſt nobis in terris imperium tenere; neque tu thymiamatum ſacrorum poteſtatem habes.

Quod ſi Summus Pontifex & nonnulli Epiſcopi res etiam temporales adminiſtrant (quod Chriſtus non vetuit) illud habent ex dono & munificentia Principum, non ex inſtitutione divina, nec vi ſui Sacerdotii.

Eſt ergo in Ordine duplex poteſtas. Prima ſpectat corpus Chriſti reale, ſeu ſacrificium, diciturque poteſtas Ordinis. Secunda ordinatur ad regendum corpus Chriſti myſticum, ſeu Fideles, vocaturque poteſtas juriſdictionis, quia per eam confertur jus docendi & regendi Fideles ad vitam æternam.

Poteſtas juriſdictionis habet diſtinctos honoris gradus, ſicut poteſtas Ordinis, ex quibus exurgit hierarchia Eccleſiaſtica *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*, ut loquitur Apoſtolus Eph. 4. v. 12. eſt enim magis circumſcripta illa poteſtas in minoribus Prælatis, ſeu Curatis, quam in Epiſcopis; ſed ampliſſima eſt in Summo Pontifice, ut omnes Eccleſiæ Miniſtri inter ſe divinitus aptati & connexi per omnem juncturam ſubminiſtrationis, verba ſunt Apoſtoli, Eccleſiam exhibeant velut terribilem caſtrorum aciem ordinatam, adverſus quam portæ inferi non prævalent.

Ambæ illæ poteſtates ſeparatim conferri poſſunt; ut patet in Apoſtolis, quos Chriſtus Sacerdotes primo conſecravit in ultima cœna pridie quam pateretur; deinde poſt reſurrectionem Eccleſiæ Paſtores conſtituit dicens Matth. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes*: Et Jo: 20. *Sicut miſit me Pater; & ego mitto vos*; ac denique Petrum alloquens, ait Jo: 21. *Paſce oves meas*. Similiter plures hodie inaugurantur Sacerdotes ſine poteſtate juriſdictionis, quia nulli Eccleſiæ adſcribuntur, in qua jus habeant obeundi functiones paſtorales. Contra vero Parochus & Epiſcopus nondum conſecrati, ille in Presbyterum, iſte in Epiſcopum, ha-

beat

bent poteſtatem juriſdictionis in plebem ſibi commiſſam, quamvis careant poteſtate Ordinis.

Ambigere quis poſſet, utra ex iis poteſtatibus antecellat: ſed una eſt Theologorum ſententia, poteſtatem Ordinis eſſe longe præſtantiorem, quia excellentia potentiæ vel habitus repetitur tum ex nobiliori objecto, tum ex præſtantiori actu, ad quem tendit; virtutes Theologicæ, v. g. ideo ſunt nobiliores moralibus, quia verſantur circa objectum nobilius, & inclinant ad actus perfectiores: atqui poteſtas Ordinis primo nobilius habet objectum; verſatur enim in iis, quæ Dei ſunt: poteſtas vero juriſdictionis in iis, quæ ſunt proximi; illa tota eſt, ut Deo debitus cultus exhibeatur, & ſacrificium, ad quod Religio in primis inſtituta eſt, rite offeratur: iſta directe & immediate ſaluti fidelium conſuluit, hiſque miniſtrat media, quibus illam conſequi poſſint. Sacerdotes ergo per poteſtatem Ordinis ſunt in hierarchia Eccleſiaſtica, quod Angeli aſſiſtentes in hierarchia cæleſti, & per poteſtatem juriſdictionis, quod Angeli miniſtrantes: atqui ex dictis Tractatu de Angelis, aſſiſtentes Angeli præcellunt miniſtrantibus: Ergo.

Deinde tranſubſtantiatio, ſeu converſio panis in corpus Chriſti reale, & remiſſio peccatorum, ſunt actus poteſtatis Ordinis: atqui auguſtiſſimi illi actus excedunt omnes actus poteſtatis juriſdictionis, nihilque reperire eſt in functionibus hierarchicis etiam Angelicis, quod accedat ad ſtupendos illos effectus: ergo poteſtas Ordinis præſtantior eſt poteſtate juriſdictionis præciſe ſumpta.

Dixi, *præciſe ſumpta*, ne quis ex dictis inferat Preſbyteratum ad quem pertinet conſecrare Corpus Chriſti, & dimittere peccata, eſſe præſtantiorem Epiſcopatu, qui ex ratione ſua ſpectat regimen corporis myſtici; nam Epiſcopatus ſe habet ad Preſbyteratum ſicut totum ad partem, Epiſcopatus quippe eſſentialiter includit Preſbyteratum, ſine quo nec eſſe, nec concipi poteſt; & ad alia inſuper ſe extendit. Sed ſi conferatur character Epiſcopalis, quem habet Epiſcopus ex ultima ſua conſecratione, cum charactere quem habet

ex

ex ordinatione Presbyteratus, *tunc*, inquit Bellarminus cap. 5. de Sacramento Ordinis, *iſte eſt major intenſive; quia ſumma poteſtas eſt conſecrare Euchariſtiam: ille eſt major extenſive, quia ad plura ſe extendit*; nempe ad conſecrandos Eccleſiæ miniſtros, plebem regendam ſimul & univerſum Clerum. Unde Epiſcopus jure divino ſuperior eſt Presbyteris, tum poteſtate Ordinis, tum poteſtate juriſdictionis, ut ſuo loco demonſtrabitur.

CAPUT II.

De nomine Clericorum, & eorum diſtinctione a Laicis.

Q. 1. UNde *ſacris Ordinibus initiati, Eccleſiaſtici & Clerici vocantur, Laici vero ceteri fideles?*

R. 1. Ideo a veteribus, ut a Sancto Hieronymo in cap. 10. & 13. Jerem. & in Abdiam, & a S. Ambroſio, aut quovis auctore in cap. 6. 1. ad Timoth. vocati ſunt, & etiam nunc vocantur Eccleſiaſtici; quia ex omnibus Fidelibus ſoli Eccleſiaſtici miniſteriis ex ſtatu ſuo miniſtrant, ſoli Religionis cultum procurant. Sic in Republica quamvis ſinguli cives ſint ſervi Regis, eique obſequium præſtent, attamen qui ex proprio officio ejus negotiis præficiuntur, ſimpliciter Regii Officiales, ſeu Miniſtri vocitari ſolent. Quare Wiclefus, Huſſitæ, & alii Novatores immerito reprehendunt communem Catholicorum loquendi uſum, quaſi reliquos Fideles ab Eccleſia excludant, cum viros altari mancipatos Eccleſiaſticos appellant.

R. 2. Clericus, ſecundum vim nominis Græci, κλῆρος, ſortem ſignificat, quia Miniſtri Eccleſiæ non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed Dei conſilio veluti ſorte ſunt electi. Laicus vero dicitur a voce Græca, λαός, quæ Latinæ eſt populus. Ita refertur ex Sancto Hieronymo cauſſa 12. quæſt. 1. cap. Duo ſunt in quo ſic habetur: *Duo ſunt genera Chriſtianorum. Eſt autem unum genus, quod mancipatum di-*

vino officio, & deditum contemplationi & orationi ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, ut ſunt Clerici ...... κλῆρος, Latine ſors. Inde hujuſmodi homines vocantur Clerici, id eſt. ſors electi; omnes enim Deus in ſuos elegit .... Aliud vero genus eſt Chriſtianorum, ut ſunt Laici: λαὸς enim Graece, eſt populus latine. His licet temporalia poſſidere.

Sors vero, ſecundum acceptionem & uſum nominis, ſignificat hæreditatem, quæ licet ad unum tota perveniat, id tamen fit ſorte, non electione, quia hæredes naſcuntur ut plurimum, non fiunt: quis enim laboravit, aut operam dedit, ut divitis filius naſceretur? Et in hac acceptione Scriptura nomen ſortis ſæpius uſurpat, ut Joſue 22. v. 7. *dedit Joſue* (filiis Manaſſe) *ſortem inter ceteros fratres ſuos*. Sap. 3. v. 14. *dabitur illi* (ſcilicet ſpadoni) *fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima*.

Nomen autem ſortis in hac acceptione apprime convertit Miniſtris Eccleſiæ, idque duplici titulo; 1. quia ſunt præclara & ſelecta Domini portio, ac hæreditas præcipua; 2. quia Dominus ipſe ſorte illis obvenit tanquam pars eorum & hæreditas; ſuccedunt quippe Levitis antiquæ legis, de quibus Num. 18. verſ. 6. *Ego*, inquit Moyſes, *dedi vobis fratres veſtros Levitas de medio filiorum Iſrael, & tradidi donum Domino, ut ſerviant in miniſteriis tabernaculi ejus*. Et v. 10. *In terra eorum nihil poſſidebitis .... ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael*. Idem iterat Deus Deuteronom. cap. 10. verſ. 9. & cap. 18. v. 2.

Hinc Eccleſia, inſtar Moyſis, eum Clericum per tonſuræ collationem initiat, cum tradit donum Domino, atque in hujuſce oblationis teſtificationem exigit, ut ipſe initiandus Pſ. 15. verba tanquam ſuæ profeſſionis formulam ſolemniter proferat, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi*. Quibus verbis initiandus ſignificat Deum eſſe ſuam hæreditatem, ſuum theſaurum, in quo ſpes omnes ſuas collocet, & omnes cogitationes defigat, proptereaque vale dicere ſe rerum terrenarum cupidi-

pidiſtatibus, ut mereatur & ipſe eſſe digna Dei portio: qui enim confidit hæreditatem ſibi reſtituendam fore, profitetur ſe aliquid admittere; nam qui nihil dimittit, injuſte poſtulat quidquam ſibi reſtitui. Viderint ergo qui per tonſuram Clericalem commodis temporalibus augeri expetunt, ne rem ſacram in ſcenam & ludum pervertant.

Porro SS. Patres nomen Clerici in utraque acceptione uſurparunt.

Sanctus Ambroſius lib. de fuga ſæculi, referturque cauſſa 12. q. 1. cap. Cui portio, ſic habet: *Cui portio Deus eſt, nihil debet curare, niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc Religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur.*

S. Hieronymus epiſt. ad Nepotianum, referturque eadem cauſſa 12. q. q. 1. cap. Clericus, ſic ſcribit: *Clericus ergo, qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretatur vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata nitatur eſſe quod dicitur; ſi enim* λαὸς. *Latine ſors appellatur, propterea Clerici dicuntur, quod de ſorte Domini ſint, vel quia Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſideatur a Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit,* pars mea Dominus, *nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: v. g. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem; cum iſtis partibus Dominus fieri pars ejus non dignatur. Si ergo pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis ejus nec accipio partem inter ceteras tribus; ſed quaſi Levita & Sacerdos vivo de Decimis altaris, oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar.* Quibus verbis ſanctus Hieronymus non proprietatem in Clericis ſaltem omnibus damnat, ſed cupiditatem; non rem niſi ſuperflua ſit, ſed affectum, & nimiam ſolicitudinem; quia *nemo militans Deo*, inquit Apoſtolus 2. Tim. 2.

im-

implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.

Dixi, *ſaltem omnibus*; quamvis enim Clerici olim frequentius in commune viverent ſub diſciplina Epiſcopi, ut patet ex ſermone 355. & 356. alias 49. & 50. de diverſis S. Auguſtini, & ex Epiſt. S. Gregorii ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, quæ refertur citata cauſſa 12. q. 1. c. *Quia tua*; perfectam tamen rerum temporalium abdicationem non fuiſſe lege omnibus Clericis impoſitam teſtantur Canon 40. Apoſtolorum, Canon 49. Concilii Carthaginenſis, Canon 48. Concilii Agathenſis, S. Gregorius in laudata Epiſtola, & S. Auguſtinus citato ſermone 355. in quo ſic habet: „ Statueram, ſicut noſtris, nullum „ ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere: „ ut ſi vellet diſcedere a propoſito, recte illi tolle- „ rem Clericatum, quia deſereret ſanctæ ſocietatis „ promiſſum, cœptumque conſortium. Ecce in con- „ ſpectu Dei, & veſtro muto conſilium: qui volunt „ habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus „ & Eccleſia ejus, maneant ubi volunt, & ubi poſſunt; „ non eis aufero Clericatum; nolo habere hypocritas.

Q. 2. *Nomen Clerici rectene accommodatur Miniſtris Eccleſiæ, tanquam ipſis proprium?*

R. Affirmative, probaturque ex praxi Eccleſiæ, quæ a temporibus Apoſtolorum uſque ad hodiernam diem Miniſtros altaris ejuſmodi appellatione diſtinxit a Laicis, ut conſtat tum ex Canonibus Apoſtolorum 12. 13. & 15. ex Concilio Nicæno primo in omnibus fere ſuis canonibus, & ex poſterioribus deinceps Conciliis: tum ex Patribus etiam antiquiſſimis, ut Tertulliano lib. de Monogamia cap. 12. Origene homil. 7. in Jeremiam, in qua ſic habet: *hæc ante me alii expoſuerunt;* (ergo ſecundo ſæculo, nam Origenes ſcribebat initio tertii) *& quia non improbo interpretationem eorum, conſentiens eandem profero. Nos qui putamur aliquid eſſe, id eſt, qui in Clericatus vobis Ordine præſidemus*, &c. Jam laudavimus verba S. Hieronymi & S. Auguſtini; unde mirari licet audaciam, quam Pſeudo-reformati eos erroris & impietatis

inſi-

inſimulant, qui nomen illud Miniſtris Eccleſiæ impoſuere; ſic enim ſcribit Lutherus lib. de abroganda Miſſa privata: *quod noſtra translatio habet*, non dominantes in Clericis (1. Petri 5.) *interpretis incuria fuit, quæ fecit, ut Clerum hoc loco intelligerent, quos nunc a Laicis diſcrevit impia hominum traditio*. Et Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 4. paragr. 9. *hæc applicatio*, inquit, *aut errore, aut certo ex prava affectione nata eſt; cum tota Eccleſia Clerus, id eſt hæreditas Domini, a Petro appelletur*. Sed audiamus eorum ratiunculas.

Objiciunt itaque: omnes Chriſtiani fideles ſunt Chriſti hæreditas, juxta illud Pſalmi 2. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: ergo nomen Clerici non poteſt fieri Miniſtrorum Eccleſiæ proprium abſque errore & impietate.

Confirmant ſuum errorem nonnullis Scripturæ teſtimoniis, ut Gal. 3. v. 28. *Non eſt Judæus; neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*. Eph. 4. v. 4. & 5. *Unum corpus & unus ſpiritus . . . unus Dominus; una fides; unum baptiſma*. Ex quibus verbis ſic concludit Lutherus cit. lib. de abrog. Miſſa, *hoc dixiſſe contenti ſumus, Chriſtianum populum eſſe ſimplicem, in quo prorſus nulla ſecta, nulla differentia perſonarum*, nullus Clericus; nullus Laicus, nullus unctus, nullus raſus, nullus Monachus eſſe debeat.

Nego abſurdiſſimam conſequentiam, utpote nullateſnus cum antecedente cohærente, ſed eodem ſuperbiæ piritu excogitatam, quo inflati Core, Dathan, & Abiron, ſimile argumentum adverſus Moyſen & Aaron contorſerunt Num. 16. v. 3. his verbis: *Sufficit vobis quia omnis multitudo Sanctorum eſt; & in ipſis eſt Dominus: cur elevamini ſuper populum Domini?* Hoc eſt, ſatis vobis ſit, quod ſitis de numero filiorum Iſrael, quos Dominus indiſcriminatim elegit in peculium & portionem; cur elevamini ſuper Laicos, cur ſoli vobis Cleri vocabulum vindicatis? Quare dubitet nemo, quin Lutherus & Calvinus in Sacerdotes novi Teſtamenti perduelles ſimilem pœnam ſortiti ſint, ac veteres illi ſacrilegi, qui dirupta terra ſub pedibus

co-

eorum, vivi deſcenderunt in infernum, ut eodem capite 16. legitur. Quemadmodum igitur etiamſi gens tota Judæorum eſſet Dei peculium, & hæreditas, Exod. 19. & Deut. 32. quia Deus eam ex Ægypto liberaverat, & quodam modo redemerat; ſolam tamen Tribum Leviticam ſpeciali quadam ratione ſortem ſuam & hæreditatem frequenter appellat, utpote cultui ſuo unice deputatam; ſimiliter Eccleſia abſque Laicorum injuria Miniſtros altaris huc uſque Clericos, id eſt, ſortem & præcipuam Chriſti portionem nominavit.

Ad confirmationem reſpondeo: Eccleſia omnes per baptiſmum in unum corpus, quod eſt Chriſti, colligit, ſive Judæum & Græcum, ſive liberum & ſervum. Sed ſicut corpus naturale ex diſtinctis membris coaleſcit; alioquin *ſi totum corpus oculus, ubi auditus, ſi totum auditus, ubi odoratus?* inquit Apoſtolus 1. Cor. 12. ita Chriſtus corpus Eccleſiæ ordinavit: alios poſuit Apoſtolos, Paſtores & Clericos: alios Laicos qui retinent quem prius habebant, ſtatum, conditionem & ſexum.

Inſtant: 1. Petri cap. 5. omnes Chriſtiani fideles Clerus vocantur, *neque ut dominantes in Cleris*, id eſt, in cœtu Fidelium: ergo.

Nego conſeq. namque ex S. Hieronymo epiſt. ad Nepotianum, & ex Oecumenio in caput 5. primæ Petri, Cleri nomine intelliguntur inferiores Eccleſiæ Miniſtri, qui ut ſpecialiter ſubditi ſunt Epiſcopo, Apoſtolus docet, ne iis dominetur ſicut dominus ſervis aut famulis; ſed eos tanquam pater foveat, & regat, & ubi deliquerint, paterne corripiat.

Sed eſto nomen Cleri ad univerſos Fideles extendatur, utpote qui ſint Chriſti hæreditas, quam acquiſivit ſanguine ſuo, firma tamen ſtabit noſtra reſponſio: ſcilicet Sacerdotes, & alios inferiores Miniſtros totaliter cultui divino addictos, eſſe ſelectam ac præcipuam Chriſti ſortem, quemadmodum Levitæ in veteri lege præ ceteris Judæis erant ac dicebantur ſpecialis Dei hæreditas.

Q. 3. *Status Clericorum diſtinguiturne jure divino a ſtatu Laicorum?*

R. De

R. De fide eſt diſtingui ; ita enim definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per ſacram Ordinationem . . . non imprimi characterem ; vel eum qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe ; anathema ſit.*

Probatur 1. e Scriptura, Heb. 5. v. 3. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum.* Et v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret.* 1. Cor. 12. v. 28. *quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia : primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores.* Et v. 29. *numquid omnes Apoſtoli ? numquid omnes Prophetæ ? numquid omnes Doctores ?* Epheſ. 1. v. 11. *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Actuum 13. v. 2. *Dixit illius Spiritus Sanctus : Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Et cap. 10. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.*

Probatur 2. ex conſtanti Eccleſiæ Traditione, quam inviĉtiſſime demonſtrant 1. momenta in confirmationem ſuperioris reſponſionis prolata : Miniſtros enim altaris diſtinguunt a Laicis non ſolum nomine, ſed etiam ſtatu ac conditione. 2. Quæ diximus tum Tractatu de Sacramentis in genere, cap. 14. de Ordinatione non iteranda, nec unquam iterata, propter characterem, quem imprimit : tum Tractatu de Euchariſtia cap. 16. ubi fuſe probavimus Sacramentum illud non poſſe celebrari, niſi ab iis, qui Sacerdotes conſecrati ſunt : ex iis enim omnibus iſtud conficitur argumentum. Univerſalis Eccleſia eos ſemper agnovit divina inſtitutione diſtinctos a Laicis, quibus ſpeciale nomen & honoris gradum ab initio hucuſque ſervavit ; quos Chriſti charactere inſignitos nullo ſchiſmate nullave hæreſi delendo ſemper aſſeruit ; quos denique conficiendæ Euchariſtiæ, & ſacrificii offerendi poteſtatem ſolos

ha-

habere hactenus docuit: itaque hæc fuit conſtans univerſalis Eccleſiæ doctrina, ut patet ex locis mox notatis & conſulendis: Ergo.

Confirmatum communi Nationum conſenſione, quæ ut Deum ſive verum, ſive falſum coluerunt, ita quoſdam a plebe diſcreverunt, rituque religioſo initiarunt, ut rebus divinis vacarent, ſicut Magiſtratus politicis, probatque Philoſophus 7. Polit. cap. 8. Sacerdotes inter neceſſaria Reipublicæ membra recenſendos, quia finis politici regiminis, inquit, eſt efficere cives bonos, & virtutis ac præſertim Religionis adminiculo ad felicitatem perducere; impiorum enim juſtiſſima ſors non poteſt eſſe niſi ſumma miſeria: atqui Sacerdotis munus eſt mores populi ad normam virtutis exigere, plebem in cultu divino coadunare ac continere, docereque quibus viis ſupremum Numen ſit placandum & conciliandum; ergo Reipublicæ non minus Sacerdotum, quam Magiſtratuum miniſterio indiget. Quod autem Ordo Sacerdotalis in præcipuo honoris gradu fuerit, etiam apud Ethnicos, vel inde patet, quod Imperatoris Romani nomen ſummi Sacerdotis ſæpius ambierint, & etiamnunc apud Sinas hunc honoris titulum, quin & officium ſibi vindicet eorum Imperator. Nec mirum, quia ſi in Republica, qui Regi proxime aſſident, & ipſi immediate miniſtrant, ceteris præeminent; recta ratio, quin & ipſe naturæ inſtinctus inclinat ad ſingularem iis reverentiam exhibendam, qui divinæ Majeſtatis cultui mancipati ſunt. Et hæc quidem apud Ethnicos. Apud cultores autem veri Dei iſthæc Ordinis Sacerdotalis diſcretio magis enituit: in lege quippe naturæ, quæ permanſit creatione mundi uſque ad Moyſen, primogeniti, qui etiam ſuæ familiæ principes, decorabantur Sacerdotali dignitate, ut ex Hebræis referunt S. Hieronymus, Abulenſis, & alii. In lege vero ſcripta Deus ipſe ſeparavit Tribum Levi, & ſibi applicuit, ut Sacerdotio fungeretur in præmium egregii facinoris, quo Levitæ vituli aurei cultores, Exod. 32. nullo facto delectu, ſeu fratrum, ſeu filiorum, ſeu parentum, cæco divinæ juſtitiæ zelo trucidarunt. Sed illud eſt admiratione dignum, quod

Sacer-

Sacerdotium fuerit ſingularis prærogativa Meſſiæ, illudque Deus tanquam præcipuum ejus inſigne jurejurando ſolemniter ipſi promiſerit: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*, inquit Propheta Pſal. 109. *tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Ex quibus perſpicuum eſt Novatores, apud quos officium Sacerdotale eſt mera procuratio a populo accepta, & ad nutum ejus retrahenda; vim inferre non ſolum rationi, ſed ipſi etiam naturæ. Nihilominus ut temeritatem ſuam excuſent.

Objiciunt 1. Unum duntaxat colligitur ex allatis Scripturæ & Traditionis teſtimoniis, ſcilicet ordinatione divina Paſtores eſſe præficiendos per manuum impoſitionem, quod apud nos, inquiunt, religioſiſſime ſervatur; nec hac de re ulla poteſt eſſe controverſia. Sed contendimus pœnes Fidelium multitudinem jus eſſe eligendi & ordinandi Paſtores, qui præſint ad ejus nutum, ita ut deſinant tum eſſe Paſtores, cum populus eos ab officio prædicandi Evangelii depoſuerit. Ita obſervarunt Apoſtoli in electione S. Mathiæ. Act. 1. Fideles congregati duos ſtatuerunt, nempe Joſeph & Mathiam, & dederunt eis ſortes. In electione etiam ſeptem Diaconorum, Actor. 6. v. 3. Petrus ad plebem ait, *Conſiderate ergo, Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem . . . . . & placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum*, &c. *Hunc ritum*, inquit Lutherus lib. de poteſtate Papæ, *per multas Epiſtolas Cyprianus commemorat, ſemper ſuffragium populi, & judicium propinquorum Epiſcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem eſſe cum fiducia pronunciet*. Ergo in Eccleſia Romana nulli ſunt veri Epiſcopi ſeu Paſtores, cum omnes ordinentur ſine ſuffragio & conſenſu populi.

Nego antecedens & conſeq. diſtinguendum enim eſt electionem inter & ordinationem: in illa populum aliquando tuliſſe ſuffragium ex conceſſione Eccleſiæ non diffitemur: in iſta vero populus nunquam habuit poteſtatem: quia enim credat Paulum auctoritate multitudinis Timotheum conſecraſſe Epheſiorum Epiſcopum, & Titum, quem idem Apoſtolus Cre-

te reliquerat, eadem auctoritatis Presbyteros per civitates conſtituiſſe.

Reponunt adverſarii privilegium fuiſſe Apoſtolorum ordinare Epiſcopos & Presbyteros abſque conſenſu multitudinis; quæ pleriſque in locis nondum erat collecta, Sed unde habent, Apoſtolos poteſtatem ſibi divinitus traditam non ad ſuos ſucceſſores, ſed ad cœtum Fidelium tranſmiſiſſe? Clamat enim Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium, antiquam Eccleſiæ eſſe fidem, poteſtatem ordinandi non competere Presbyteris, nedum populo, *quid facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod non faciat Presbyter?* Et in Dialogo contra Luciferianos, ex illa conſtanti Catholicorum fide concludit adverſus Hilarium Diaconum, ſed ſchiſmaticum, ſectam, cui præerat, non eſſe veram Eccleſiam; cum Eccleſia ſunt Sacerdos ſtare nequeat, & ipſe Diaconus Sacerdotes ordinare non poſſet: *Hilarius*, inquit, *cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut putat, tuba ſit mundi; neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyteros non habens: & cum jam homo mortuus ſit, cum homine pariter interiit & facta; quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare; Eccleſia autem non eſt, quæ non habet Sacerdotes.* Ergo ſectæ Pſeudo-reformatorum non ſunt vera Chriſti Eccleſia, ut quæ non habeant Sacerdotes; Lutherus enim Presbyter, & Calvinus, qui negat ſe unctione Sacerdotali pollutum, Sacerdotes ordinare non potuerunt.

Objiciunt 2. Tertull. qui l. de exhort. ad caſtit. c. 7. ex illo Apocalypſ. cap. 1. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo*: colligit omnes Fideles eſſe Sacerdotes; *nonne*, inquit, *& Laici Sacerdotes ſumus?* Ergo Clericos inter & Laicos nulla eſt diſtinctio.

Diſtinguo antecedens. Omnis Fideles ſunt Sacerdotes metaphorice, quomodo ibidem dicuntur regnum, ſeu Reges, quatenus dominantur ſuis affectionibus, & laudis ac eleemoſynæ ſacrificia offeruntur, Concedo: Sacerdotes ſunt proprie, Nego antecedens. Vide dicta c. 16. de Euchariſtia, ubi pluribus momentis hancce ſolutionem confirmavimus; & quæ ex Tertulliano objici poſſunt, plane diluimus.

Inſtas:

Inſtas: Tertullianus loco citato ſic ait: *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo*. Ergo Deus non diſtinxit Clerum inter & plebem.

Diſtinguo anteced. conſtituit Eccleſiæ auctoritas ex parte, & quoad electionem & cooptationem, ſeu, ut ajunt, inthronizationem, Concedo: conſtituit ſola Eccleſiæ auctoritas, quoad omnia, puta quoad ordinationem, nego antecedens; conceptis enim verbis docet Tertullianus duo hanc differentiam conſtituiſſe, ſcilicet Eccleſiæ auctoritatem, & honorem a Deo ſanctificatum. Itaque in conſeſſu Ordinis Eccleſiaſtici duo ſunt diſtinguenda. Primum eſt aſſumptio e ſtatu Laicali, & cooptatio in Collegium Miniſtrorum Eccleſiæ. Secundum eſt ipſa electi conſecratio. Iſtud poſterius eſſe a Deo agnoſcit Tertullianus: *& honor*, inquit, *per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo*, differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit. Plus autem urget ad ſtabiliendum errorem, quo Montaniſta jam factus damnabat ſecundas nuptias, quas Catholici licitas aſſerebant. Sic autem diſputat adverſus Catholicos: Bigami, vobis fatentibus, Clerici eſſe nequeunt: ergo Laici non debent eſſe bigami: namque Clerici non naſcuntur, ſed fiunt ex Laicis, & in ordinem Sacerdotalem cooptantur diſpoſitione Eccleſiæ, quæ ſua libera electione differentiam Laicos inter & Clericos conſtituit. Unde ſi omnes Laici ſint bigami, nullus poterit eſſe Clericus, cum fatentibus Catholicis, illicitum ſit bigamum in numerum Clericorum aggregare, ſicque colligit Tertullianus contradictionem in ſententia Catholicorum, qui bigamos arcent ab Ordinibus, & nihilominus permittunt omnes Laicos ad ſecundas nuptias tranſire.

CAPUT II.

Utrum Ordinatio ſit Sacramentum proprie dictum?

RESpondeo affirmative, id enim fide divina credendum definiit Concilium Tridentinum adverſus Novatores, ſeſſ. 23. can. 3. in quo ſic habet: *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem, non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantum ritum quendam eligendi Miniſtros verbi Dei & Sacramentorum; anathema ſit.*

Probatur 1. ex Scriptura 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* Et 2. Epiſt. ad eundem Timotheum cap. 1. verſ. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Quæ autem ſit illa Sacerdotalis gratia, Apoſtolus exponit verſ. ſequenti: *non enim dedit nobis Deum ſpiritum timoris, ſed virtutis* (id eſt fortitudinis) *& dilectionis, & ſobrietatis.* Ex quibus verbis ſic ratiocinari licet. Ad Sacramentum proprie dictum tria requiruntur, & ſufficiunt, ut admittunt adverſarii, nempe ſignum externum divinitus inſtitutum, promiſſio gratiæ, & divinum mandatum exterioris illius ſigni uſurpandi: atqui hæc tria in laudatis Apoſtoli verbis reperiuntur. Eſt ſignum externum, ſcilicet impoſitio manuum. 2. Huic ſigno annexa eſt gratia; ibi enim dicitur data per impoſitionem manuum. 3. Divinum mandatum; Apoſtoli enim & eorum ſucceſſores initiandis ad Sacerdotium manus impoſuerunt, non ſine divino mandato; quis enim ſanæ mentis credat Apoſtolos ſibi arrogaſſe poteſtatem conferendi gratiam per impoſitionem manuum ſuarum, ſi Chriſtus eis non promiſiſſet, nec ritum illum uſurpare mandaſſet?

Reſpondent Novatores ad illos Apoſtoli textus, 1. ma-

manuum impoſitionem non eſſe ſignum ſacramentale; ſed cæremoniam quandam tum Fidelibus, tum Infidelibus communem, qua per manus levationem, Græce χειροτονίαν, ſignificabant ſe ſuffragium dare alicui, ut eligeretur ad Magiſtratum, vel quodlibet Reipublicæ munus obeundum. Sic Apoſtoli juxta morum gentis ſuæ, ſuffragia orationum ſuarum apud Deum, ſive pro infirmorum *ſalute*, ſive pro venia peccatoribus impetranda, ſive pro dono Spiritus Sancti Neophytis & Miniſtris Eccleſiæ obtinendo, manuum impoſitione exprimebant. Hinc uſus Eccleſiæ imponendi manus Neophytis confirmandis, peccatoribus reconciliandis, Diaconis ordinandis, & Paſtoribus præficiendis. 2. Gratiam; quam Apoſtolus aſſerit collatam Timotheo per manuum ſuarum impoſitionem, non fuiſſe gratiam ſanctificantem; ait enim fuiſſe datam per prophetiam; hoc eſt, in, ſeu ad prophetiam, nempe ut illi evangelizanti daretur verbum in plenitudine multa, juxta illud Matth. 10. v. 19. *Dabitur .... vobis in illa hora quid loquamini*. Ejuſmodi gratiam ſatis indicat vox Græca χάρισμα, quam uſurpat Apoſtolus, & qua ſignificatur gratia gratis data. Unde Sanctus Hieronymus *in illum* Apoſtoli locum, gratiam hanc interpretatur donum exponendi Scripturas, & Sanctus Chryſoſtomus auctoritatem docendi & prædicandi.

Contra 1. Quemadmodum non ſequitur Baptiſma, quo initiantur Chriſtiani, non eſſe verum Sacramentum, ex eo quod Judæi Baptiſmata uſurparent, ad calices, lectos, & quælibet alia mundanda, ut refertur Marci 7. v. 4. ita Novatores temere colligunt manuum impoſitionem, ſive confirmatoriam, ſive reconciliatoriam, ſive ordinatoriam, non eſſe Sacramentum, ex eo quod Apoſtoli & Judæi communiter manus levare & extendere ſolerent ad omnem orationem. Nec abſurdum videri debet, quod eadem materia pro diverſis Sacramentis, puta Confirmatione, Ordinationibus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum adhibeatur: verba enim Miniſtri illam determinant ad varia ſignificanda.

Contra 2. Communior, & ut videtur, verior in-

 ter-

terpretatio eſt prophetiam hic non ſignificare effectum ordinationis, ſed cauſſam propter quam motus eſt Apoſtolus ad ordinandum Timotheum, ſcilicet divinam revelationem ipſi factam, ut Timotheum in Epiſcopum conſecraret; ſic enim ad eundem ſcribit ep. 1. c. 1. v. 18. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam*. Sed eſto Apoſtolus Timotheo impoſuerit manus, ut acciperet donum prophetiæ, ſeu donum intelligendi Scripturas, & in illis intrepide prædicandi Evangelium, nomenque, *chriſma*, ad gratias gratis datas ſignificandas extendatur: an propterea excluditur gratia ſanctificans? Apoſtoli Neophytis manus imponebant, ut acciperent dona linguarum, prophetiæ, curationum, &c. an inde ſequitur Neophytos non accepiſſe gratiam ſanctificantem, & caritatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus, quamque Apoſtolus 1. Cor. 12. verſ. ult. vocat chariſma melius & excellentius? An ſpiritus virtutis dilectionis, & ſobrietatis, quam idem Apoſtolus aſſerit collatam Timotheo per manuum ſuarum impoſitionem, numerandus eſt inter gratias gratis datas, quæ in aliorum duntaxat commodum conceduntur? Ex his ergo & aliis adverſariorum effugiis in unum colligere licet, nempe neceſſariam omnino eſſe Eccleſiæ Traditionem ad refellendas falſas Hæreticorum de ſacris Scripturis quibus abutuntur interpretationes, quaſque ad erroneos ſuos ſenſus detorquere omnes ab initio conati ſunt. Quare

Probatur 2. ex Traditione univerſalis Eccleſiæ.

Sanctus Ambroſius lib. de dignitate Sacerdotali c. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera*.

Innocentius I. qui inauguratus eſt ſummus Pontifex anno 402. de Hæreticis poteſtatem ſibi arrogantibus ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, ſic habet Epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum. *Nec dare ejus* (Spiritus Sancti) *plenitudinem poſſunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis*

ſuæ

ſuæ perfidiam potius, quam per fidem, dimiſim, perdiderunt.

S. Hieronymus in toto fere dialogo contra Luciferianus, confert ordinationem cum Baptiſmo, oſtenditque non magis eſſe reordinandos, qui ſunt ab Hæreticis ordinati, quam rebaptizandos, qui ab iiſdem ſunt baptizati. *Si*, inquit, *in fide ſua baptizatos baptizans nocere non potuit: & in fide ſua Sacerdotem conſtitutum. conſtituens non inquinavit.*

Sed quia Lutherus lib. de captivitate Babylonica, cap. de Ordine: ſolum Dionyſium dicit poſſe citari ex antiquis auctoribus, qui Ordini nomen Sacramenti tribuerit, ut appareat quam craſſa ignorantia laboret, vel qua impudentia mentiatur, ex antiquis Patribus ſeligendi ſunt, qui ſacram ordinationem nomine Sacramenti appellarunt. Itaque

S. Aug. lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 13. Donatiſtas eodem argumento, quo S. Hieronym. citato Dialogo, ſed aliis verbis, ſic inſectatur: *Explicent quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti; ſi enim utrumque Sacramentum eſt*, Quod nemo dubitat, *cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda eſt.* Hic ordinatio quater vocatur Sacramentum, & quidem æque ſtrictæ ſumptum, ac Baptiſmus: & tam conſtans erat illa fides non ſolum apud Catholicos, ſed etiam apud Donatiſtas, ut de hoc dogmate nemo dubitare poſſet.

Sanctus Leo epiſt. 81. ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum probat auctoritate tum ſacræ Scripturæ, tum Traditionis Apoſtolicæ, jejunium præire debere ſacræ ordinationi, *Ut intelligamus*, inquit, *quanta & dantium, & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis* Sacramentum *negligenter videatur impletum.* Et epiſt. 87. ad Epiſcopos Mauritaniæ, de ordinatione ait: *Quis diſſimulare audeat quod in tanti Sacramenti perpetratur injuria?*

S. Gregorius, aut quivis Auctor libri quarti in lib. 1. Reg. cap. 5. n. 1. *Qui promovetur* (ad Sacerdotium) *bene foris ungitur, ſi intus virtute Sacramenti*

roboretur. Mitto alios Patres, qui ſacram ordinationem nomine Sacramenti deſignant: ſed prætermittendum non eſt, non ſolum Eccleſiam Latinam, ſed & Orientalem reponere ordinationem inter Sacramenta novæ legis.

Dices: Ordinatio, quam Apoſtoli acceperunt a Chriſto, non erat Sacramentum: ergo nec ordinatio, quam Apoſtoli, & eorum ſucceſſores aliis contulerunt.

Nego conſeq. Namque Chriſtus per poteſtatem, quam excellentiæ vocant, plerumque ſine Sacramento produxit effectus Sacramenti, ſicut die Pentecoſtes, v. g. confirmavit Apoſtolos, & corroboravit virtute Spiritus ſancti; ſimiliter pridie quam pateretur in ultima cœna, eos Sacerdotes conſtituit nullo obſervato ritu; ſed poteſtatem, quam iis & eorum ſucceſſoribus conceſſit, remittendi peccata, & ſanctificandi homines, ita ſignis exterioribus alligavit, ut non niſi per ea gratiam conferre poſſent.

Inſtas: Sanctus Gregorius Nyſſenus in vita ſancti Gregorii Thaumaturgi narrat ipſum abſentem conſecratum fuiſſe Neocæſarienſem Epiſcopum, ergo ordinatio non eſt niſi mera deputatio.

Nego conſeq. Sanct. enim Gregorius Thaumaturgus abſens quidem fuit electus & creatus Epiſcopus, quemadmodum etiamnum eliguntur & creantur Epiſcopi & parochi, qui abſentes ſunt, ſed præſens conſecratus eſt; ſcribit enim ſanctus Gregorius Nyſſenus, S. Gregorium Thaumaturgum non obiiſſe Epiſcopale officium, niſi, ut ait, *omnibus poſt hæc, quæ fieri ſolent, legitimis ſeu ſolemnibus in eo peractis*.

Alia momenta, quæ Novatores ſolent opponere adverſus noſtram reſponſionem, capite præcedenti præoccupavimus, ac diluimus.

CA-

CAPUT IV.

De Ordinis diviſione.

Q. 1. SUntne plures Ordines?

R. Id fide divina credendum ſtatuit Concil. Trid. ſeſſ. 23. can. 2. in quo ſic habet: „ Si quis „ dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Ca„ tholica alios ordines & majores & minores, per „ quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium ten„ datur; anathema ſit. *Et cap.* 2. Cum autem divina „ res ſit tam ſancti Sacerdotii Miniſterium, conſenta„ neum fuit, quo dignius, & majori cum veneratio„ ne exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſ„ poſitione plures & diverſi eſſent Miniſtrorum Or„ dines, qui ſacerdotio ex officio deſervirent. „

Q. 2. *Quomodo dividuntur Ordines?*

R. Generatim dividuntur in majores, qui dicuntur ſacri, & minores. Ita Concilium Tridentinum cit. c. 2. ubi Subdiaconatum majoribus & ſacris Ordinibus, ſcilicet Presbyteratui & Diaconatui accenſet: *Subdiaconatus*, inquit, *ad majores Ordines a Patribus & ſacris Conciliis refertur.*

Q. 3. *Cur tres majores Ordines ſimpliciter & abſolute dicuntur ſacri, cum ſinguli inferiores ſint res ſacræ? quidquid enim cultui divino eſt dicatum, ſacrum cenſeri debet.*

R. 1. Ratio in promptu eſt pro Presbyteratu & Diaconatu, quia cum propius accedant ad Euchariſtiam, a qua ſinguli Ordines accipiunt honoris & dignitatis gradum, illi duo Ordines ceteris ſacratiores haberi debent; & ita eos ſemper habuit Eccleſia. Sed difficultas eſt de Subdiaconatu, qui per plura ſæcula non eſt annumeratus inter majores & ſacros Ordines.

Alii exiſtimant Subdiaconatum ideo haberi ſacrum, quia ei annexa eſt perpetua continentia, adeo ut quemadmodum locus ſacer habetur, cum Deo dicatus eſt, nec ſine ſacrilegio ad uſus profanos poteſt converti: ita Subdiaconus, per legem perpetuæ continen-

tiæ ipſi impoſitam ſexto ſæculo, ſic cultui divino eſt mancipatus, ut abſque impietate ad ſæcularia vota tranſire nequeat.

Verum iſta ratio non ſatisfacit; namque Subdiaconatus non fuit habitus ordo ſacer ante XIII. ſæculum; de eo enim ſic ſcribit XII. ſæculo Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 24. *Canones duos tantum ſacros Ordines appellari cenſent, Diaconatus ſcilicet, & Preſbyteratus; quia hos ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe; & de his ſolis præceptum Apoſtoli habemus... Subdiaconus vero & Acolythos procedere tempore Eccleſia ſibi conſtituit*. Idem fere habet Hugo a S. Victore lib. 2. part. 2. cap. 13.

Alii cenſent Subdiaconatum ideo eſſe Ordinem ſacrum, quia cum prius Subdiaconis non liceret vaſa ſacra contingere, ut patet ex Concilio Laodicæno, & Agathenſi; illud privilegium poſtmodum ipſis conceſſum eſt, ac propterea Ordo illorum ſacer eſt habitus.

Sed contra. Subdiaconi ex ſua ordinatione jus ſemper habuerunt attrectandi vaſa ſacra, ut patet ex Canone 5. Concilii IV. Carthaginenſi: *Subdiaconus*, inquit, *cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipit vacuam, & calicem vacuum*. Unde Balſamon interpretatur canonem Laodicænum de vaſis ſacris, quando in iis continetur corpus aut ſanguis Chriſti, quæ tunc Subdiacono contrectare non licet. Quamquam primis Eccleſiæ ſæculis Laici etiam corpus Domini in domos ſuas deportabant, & propriis manibus contingebant.

R. Itaque 2. vera ratio, cur Subdiaconatus recenſeatur inter majores, repetenda eſt ex diſpoſitione Eccleſiæ, quæ propter miniſteria in Subdiaconis præſtantiora & ſanctiora, quam in inferioribus Clericis, utpote quæ immediatius ad ritum ſacrificii concurrunt, aliorum Ordinem inter majores & ſacros recenſuit, cum eoſdem prius lege perpetuæ continentiæ aſtrinxiſſet, ac poteſt per Urbanum II. qui obiit anno 1099. ipſis indulſiſſe, ut in Epiſcopos eligi poſſent de licentia Romana Pontificis, vel Metropolitani, cum antea

tea nullus in Epiſcopum eligi poſſet, qui non eſſet Presbyter aut Diaconus. Refertur illud Decretum diſt. 61. cap. *Nullus*.

Quibus motus Innocentius III. Subdiaconatus Ordinem inter majores & ſacros repoſuit, ut patet ex cap. *a multis*, de ætat. & qualit. & Ordin. præficiendorum, & c. 4. *Miramur*, de ſervis non ordinandis.

Q. 4. *Quot ſunt Ordines?*

R. Ex antiqua & conſtanti Eccleſiæ Latinæ Traditione ſeptem recenſentur; tum ab Eugenio IV. in Decreto pro Armenis, tum a Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 2. ſcilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus. De Presbyteratu & Diaconatu nullum poteſt eſſe dubium, cum eorum mentionem faciant Apoſtolorum ſcripta. De inferioribus igitur Ordinibus,

Probatur 1. ex Concilio Carthaginenſi IV. in quo ſedit Sanctus Auguſtinus anno 398. ibi enim recenſentur iidem Ordines, quos recenſuit Concilium Tridentinum; exponiturque ibi ritus, quo ſinguli conferri ſolerent. 2. ex S. Cornelio, qui rexit Eccleſiam circa medium tertii ſæculi: ſic enim habet in epiſt. ad Fabium Antiochenum, quam refert Euſebius hiſt. lib. 6. cap. 35. *Is ergo* (Novatus) *qui Evangelium vindicabat, neſciebat in Eccleſia unum Epiſcopum eſſe debere, ubi videlicet eſſe Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiacones ſeptem, Acolytos quadragintaduos, Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquagintaduos*, &c. Ex quibus patet a primis ſæculis in Eccleſia Latina ſeptem Ordines extitiſſe.

Dico, *In Eccleſia Latina*; nam apud Græcos a mille annis & amplius quatuor tantum Ordines agnoſcuntur, ſcil. Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, & Lectoratus, ut patet ex eorum Euchologiis; ex Concilio VIII. generali, actione 9. can. 5. ex Niceta in vita ſancti Ignatii Conſtantinopolitani Epiſcopi, & ex epiſtola Joannis VII. ad Imperatorem Græcorum. Videntur tamen receſſiſſe ab antiquo more; Concilium

quippe Laodicænum can. 24. meminit Lectorum, Cantorum, Exorciſtarum, & Oſtiariorum: & S. Epiphanius in Expoſitione fidei recenſitis Ordinibus Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum, hæc ſubdit: „ poſt illos omnes deinceps „ Exorciſtæ ſequuntur, & linguarum interpretes tam „ in lectionibus, quam in concionibus. Sequuntur laborantes, qui mortuorum corpora curant: „ tum Janitores, ac reliqui diſciplinæ cauſſa Ordines „ inſtituti. „

Q. 5. *Præter ſeptenarium Ordinum numerum a Concilio Tridentino laudatum, ſuntne plures admittendi?*

R. Concilium ita approbavit ac confirmavit ſeptenarium illum numerum, ut nec damnaverit morem Græcorum, qui quatuor tantum Ordines retinent; nec negaverit plures in Eccleſia Latina eſſe agnoſcendos: ſatis quippe illi fuit retundere Novatorum obtrectationes adverſus ſeptem illos Ordines, nec voluit attingere Catholicorum controveſias: alii enim ut Canoniſtæ, contendunt tonſuram Clericalem addendam ſeptenario Ordinum numero, alii Cantoratum, ſeu Pſalmiſtatum, cujus ſæpius fit mentio apud veteres; ac præſertim in Concilio Carthaginenſi quarto, canone 10. alii Epiſcopatum. Igitur

Q. 6. *Tonſura Clericalis, Cantoratus, & Epiſcopatus ſuntne Ordines diſtincti?*

R. 1. Communis eſt Theologorum ſententia, nec Tonſuram Clericalem, de qua poſtea, nec Cantoratum eſſe Ordines, Non quidem Tonſuram, quia nulla ei competit functio circa corpus Chriſti ſive reale, ſive myſticum; ſed eſt quaſi Novitiatus, & præparatio quædem ad Ordines ſuſcipiendos. Non Cantoratum, quia ſolus Epiſcopus eſt ordinationis Miniſter: atqui Cantoratus confertur a Presbytero, ex Concilio Carthaginenſi quarto citato canone 10. in quo ſic habet: *Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere*: Ergo Cantoratus eſt merum officium, quod Bellarminus exiſtimat nunc confundi cum officio Lectoris. Sed celebris eſt Scholæ controverſia circa Epiſcopa-

ſcopatum, num ſcilicet ſit Ordo diſtinctus a Presbyteratu.

S. Thom. cum junior ſcriberet in diſt. 24. lib. 4. Sent. quæſt. 5. art. 1. referturque in Supplem. quæſt. 40. art. 5. cenſuit Epiſcopatum non eſſe ordinem diſtinctum, ſed extenſionem dumtaxat characteris Sacerdotalis ad novum officium & ampliorem poteſtatem ac dignitatem, ita ut Epiſcopatus aliud non ſit, quam Sacerdotium perfectum. Verba ejus ſunt cit. cap. 5. Supplem. in reſp. ad 2. *Dicendum quod Ordo, prout eſt Sacramentum imprimens characterem, ordinatur ſpecialiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ipſe Chriſtus continetur, quia per characterem ipſi Chriſto configuramur, & ideo licet detur aliqua poteſtas ſpiritualis Epiſcopo in ſua promotione reſpectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa poteſtas habet rationem characteris, & propter hoc Epiſcopatus non eſt Ordo.* In hac ſententia fuerunt Hugo a Sancto Victore, Magiſter Sententiarum, Alexander Halenſis, Albertus Magnus, Sanctus Bonaventura, & ex recentioribus Dominicus Soto in eandem diſtinct. 24. & alii paſſim.

Ad hanc vero ſententiam inducti ſunt illi Theologi his præcipue momentis. 1. Quia una eſt Catholicorum vox, in Eccleſia ſeptem Ordines exiſtere: atqui ſi Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus, jam non erunt ſeptem, ſed octo Ordines. 2. Quia diſtinctio repeti debet ex diverſa habitudine, ſeu reſpectu ad Euchariſtiam ut ſæpius diximus: atqui Epiſcopatus aliam non habet habitudinem ad Euchariſtiam, quam Presbyteratus; poteſtas enim Epiſcopalis tota eſt ad regendum corpus Chriſti myſticum, ad confirmandos Neophytos, ordinandos Miniſtros, & alia munia obeunda erga omnes fideles, tam Clericos, quam Laicos: Ergo poteſtas illa non eſt novus character, ſed extenſio characteris Sacerdotalis.

Quomodo vero idem character poſſit extendi, alii aliter explicant, juxta varias opiniones de natura & eſſentia characteris generice ſumpti, de quibus in Tractatu de Sacramentis in genere. Qui opinantur

tur characterem nihil aliud eſſe quam relationem; docent divinitus extendi characterem Sacerdotalem, quomodo poteſtas præfecto urbis a Rege collata extenditur, quando Rex amplificat ejus juriſdictionem, illumque præficit toti Provinciæ. Qui vero cenſent characterem eſſe qualitatem, dicunt illum extendi eo modo, quo extenditur habitus alicujus diſciplinæ, puta Philoſophiæ: idem enim habitus, creſcente peritia Philoſophi, ſimul creſcit, & extenditur ad plures concluſiones.

Communior ſententia, cui ſubſcribimus, docet Ordinationem Epiſcopalem eſſe Ordinem diſtinctum, novumque imprimere characterem. Quare

R. 2. Epiſcopatus eſt Ordo diſtinctus a Presbyteratu.

Probat. 1. ex confutatione oppoſitæ ſententiæ; ſi quid enim obſtaret quominus Epiſcopatus eſſet Ordo a Presbyteratu æque diſtinctus; ac Diaconatus, & alii inferiores Ordines, maxime quia non haberet ſpecialem reſpectum ad Euchariſtiam, & contra communem Catholicorum ſententiam admittendi eſſent plures, quam ſeptem Ordines: atqui ejuſmodi momenta reſponſioni noſtræ non obſtant.

Non primum, quia Epiſcopus magis ordinatur ad Euchariſtiam; quam Oſtiarius, Lector, & Exorciſta; conſtituit enim Euchariſtiæ Miniſtros, iiſque leges præſcribit, ut cum dignitate ac majeſtate auguſtiſſimum illud myſterium peragant: atqui iſthæc Epiſcopi munia magis tendunt ad Euchariſtiam, quam officium Oſtiarii, Lectoris, & Exorciſtæ, ut per ſe patet, ergo Epiſcopatus potiori jure numerandus eſt inter Ordines, quam Oſtiariatus & Lectoratus.

Non ſecundum; quia Diaconatus eſt Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, ut dicetur cap. ſeq. idque concedunt plures ex patronis oppoſitæ ſententiæ non ſolum de Diaconatu, ſed etiam de inferioribus Ordinibus; attamen una Catholicorum voce ſeptem ſunt tantum legis novæ Sacramenta: eſſent autem octo, quin & tredecim, ſi Diaconatus & inferiores Ordines reponantur inter Sacramenta.

Porro eadem ratione ſolvitur uterque difficultatis no-

nodus, nimirum Ordo & Sacramentum duobus modis ſpectari debent, nempe generatim & ſpeciatim. Ordo & Sacramentum generice ſumpta dividuntur immediate in ſeptem ſpecies, ſicut animal in rationale & irrationale. Et ita ſicut ſunt tantum duæ ſpecies animalis, ſcilicet homo & brutum; ſimiliter ſeptem duntaxat ſunt Ordines, & totidem Sacramenta. Sed ſicut animal ſpecifice ſumptum, puta brutum, ſubdividitur in infinitas propemodum ſpecies; quot enim ſunt volatilia diverſæ ſpeciei, quot terreſtria, quot aquatilia? Ita ſubdividitur Sacramentum Ordinis in noſtra ſententia poſtmodum ſtabilienda, in Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum: in aliorum vero ſententia in totidem ſpecies Sacramenti, quot ſunt Ordines: ſimiliter Ordo Sacerdotalis, qui generice eſt unus, ſubdividitur in duas ſpecies, nempe Epiſcopatum & Presbyteratum.

Nec dicas Epiſcopum non poſſe eſſe, qui non ſit Presbyter? contra vero valide, quamvis illicite ordinari Presbyterum per ſaltum, ut ajunt, hoc eſt, omiſſo Diaconatus gradu. Ne inquam hoc dicas; quia non ſequitur Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem non eſſe diſtincta Sacramenta, ex eo quod nullus poſſit valide confirmari aut ordinari, niſi prius fuerit baptizatus.

Levius eſt quod objiciunt, nimirum lege Eccleſiaſtica Ordines non eſſe conferendos, niſi Sabbato Quatuor Temporum; conſecrationem vero Epiſcopalem eadem lege peragendam duntaxat diebus Dominicis & ſolemnibus, ac proinde Epiſcopatum non eſſe Ordinem. Nunquid enim minores Ordines iiſdem diebus conferre non licet? Addo Eccleſiam, quo Fideles majori in pretio Epiſcopatum haberent, utpote qui ſit Sacerdotii ſummus apex, merito ſanxiſſe, ut Epiſcopus non conſecraretur, niſi diebus ſolemnioribus.

Prob. 2. poſitive noſtra reſponſio. In illo agnoſcendus eſt Ordo diſtinctus, in quo eſt diſtinctus character, & ſpecialis poteſtas habitudinem & reſpectum habens, ſaltem remotum, ad Euchariſtiam, hæc eſt enim vera Ordinis notio, ut conſtat ex dictis: atqui

qui in Epiſcopo eſt character diſtinctus a Presbyterî charactere, ſpecialiſque poteſtas & quidem divinitus inſtituta, quæ non competit presbytero, ut in ſecunda parte dicetur: Epiſcopus nempe Neophytos confirmat, magiſque præparat ad percipiendam Euchariſtiam, ejuſdem ſacramenti miniſtros conſtituit, ipſiſque ritus præſcribit, quibus tam auguſtum myſterium digne peragant: Ergo Epiſcopatus revera eſt Ordo diſtinctus a presbyteratu.

Dices: ſi Ordines ita multiplicare liceat, Epiſcopatus rurſus erit dividendus in primatum Summi Pontificis, Archiepiſcopatum, & Corepiſcopatum; preſbyteratus ſimiliter in Archipresbyteratum, & ſimplicem presbyteratum: Diaconatus quoque in Archidiaconatum & ſimplicem Diaconatum: atqui ejuſmodi Ordinis diviſio eſt contra omnium Catholicorum ſenſum: Ergo.

Nego ſequelam majoris: omnes enim illi honoris tituli præterquamquod ab Eccleſia ſunt inſtituti, (excepto Primatu Summi Pontificis, quem in ſecunda parte dicemus eſſe juris divini) aliam non habent habitudinem ad Euchariſtiam, quam Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, nihilque ejuſmodi Ordinibus ſuperaddunt, quam mera officia hierarchica ad arctius colligenda & vincienda inter ſe membra Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti myſticum, ſubditoſque Fideles ſecurius & accuratius dirigendos ad beatitudinem. Sed de ejuſmodi officiis ubi de Hierarchia.

CAPUT V.

De definitione & officio cujuſque Ordinis ſeorſim ſpectati.

DOctrinæ ſeries poſtulat, ut tradita & elucidata notione Ordinis generatim ſumpti, & vindicata capite præcedenti adverſus Novatores exiſtentia plurium Ordinum, ſpeciatim jam exponamus quæ ſit de-

fini-

finitio, quæve officia uniuſcujuſque Ordinis. Elici quidem poſſunt iſta duo ex dictis capite ſuperiori de plurium Ordinum exiſtentia. Sed cum illa in primis ſoleant inquiri in examine ordinandorum, non abs re erit, ſi eadem diſtinctius ac dilucidius exponamus.

§. I.

De Oſtiariis.

Q. 1. QUid *eſt Oſtiarius?*

R. Eſt Ordo, quæ præficitur Clericus ad Eccleſiæ & ſacræ ejus ſuppellectilis cuſtodiam, vindicandamque reverentiam domui Dei debitam.

Hæc deſcriptio eruitur ex ipſomet ritu ordinationis, in quo Pontifex, cum claves tradit ordinandis eos ita alloquitur, *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Deinde ad circumſtantes converſus ait: *Deum Patrem Omnipotentem, Fratres cariſſimi, ſuppliciter deprecemur . . . ut ſit eis fideliſſima cura in Domo Dei diebus ac noctibus, ad diſtinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini.*

Q. 2. *Quot ſunt Oſtiarii munia?*

R. Quatuor recenſet ex Pontificali Catechiſmus Romanus part. 2. de Sacramento Ordinis.

Primum, Oſtiarii eſt Eccleſiæ januas dignis aperire, & indignis claudere; puta infidelibus, excommunicatis, &c. Secundum, curare, ne quis Laicorum propius ad altare accedat: Tertium, pulſare campanam, & populum fidelem ſtatis horis convocare ad divinum Officium: Quartum, ſervare vaſa ſacra, & omnem Eccleſiæ ſuppellectilem. *Ipſi*, inquit Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 24. *tenentes clavem, omnia intus & extra cuſtodiunt.* Oſtiarii igitur, ex prima ſua inſtitutione, ſunt ſacrarii cuſtodes, & Eccleſiæ theſaurarii, ut aperte declarant laudata Pontificis verba.

Quintum Oſtiarii munus deſignat Concilium Mediolanenſe primum, tit. *de Oſtiario*, nempe invigilare, ut omnes in Eccleſia reverenter ſe gerant: *Oſtiarius,*

in-

inquit, „ fores Eccleſiæ cuſtodiat, Eccleſiam ſuo tem-
„ pore claudat, & aperiat; infideles, hæreticos, ex-
„ communicatos, & alios, quibus jure interdictum eſt,
„ ab Eccleſia arceat & ejiciat; ne populum propius ad
„ Sacerdotem rem divinam facientem accedere patiatur,
„ campanas pulſet; in Eccleſia dormientes, venden-
„ tes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave
„ ratione Officia divina perturbantes, & quovis modo
„ indecore, atque irreverenter ſe habentes moneat; ſi
„ pertinaces ſint, expellat, aut ad Superiorem deferat.
„ Mendicantes excludat, Eccleſiam verendam curet;
„ bruta denique, caneſque expellat, quidquidve in
„ Eccleſia dedecet, amoveat. „ Ex quibus patet 1.
aſcendentem ad primum Ordinis gradum ita debere eſ-
ſe affectum, ut cum Propheta veraciter dicere queat: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, Pſ. 25. 2. Si unquam Officium Oſtiariorum fuit Eccleſiæ neceſſarium; maxime hoc noſtra ætate, qua propter decreſcentem Fidelium devotionem, diſſolutiones in Templis invaluerunt.

Quanta vero ſit Oſtiariorum dignitas, æſtimari debet, 1. ex præſtantia Janitorum veteris legis ſupra populum. Erant illi Levitæ, ſelecta Domini hæreditas, excubantes ad quatuor portas domus Dei, & quidem magno numero, libro quippe 1. Paralipomenon cap. 9. verſ. 22. recenſentur 212. ad majorem venerationem Templo conciliandam, & majeſtatem ejus amplius declarandam. Quod ſi in tanto honore erant, qui umbræ deſerviebant, quanto magis qui propalatæ veritati nunc miniſtrant? 2. ex dignitate: quia in Republica aliis præeminent qui præficiuntur ad cuſtodiam regii Palatii, & theſauri; quæ enim eorum dignitas, qui præficiuntur ad cuſtodiendam ipſiuſmet Dei Baſilicam, & ſacratiſſima, quæ in ea recluduntur, ſi tanti æſtimantur cuſtodes aulæ regiæ? *Conſtantium illum magnum*, inquit S. Chryſoſtomus Homil. 26. in 2. ad Cor. circa finem, *magno ſe honori effecturum exiſtimavit filius, ſi in veſtibulis collocaret piſcatoris, & quod in regiis palatiis Janitores ſunt Regibus, id in ſepulcro Reges ſint piſcatori-*

toribus: *& illi quidem velut ipſius loci Domini intus habitant*: *hi vero tanquam accolæ ac vicini præclare ſecum agi putant*, *ſi januæ ipſi aſſignetur veſtibulariis*. 3. Præſertim ex Chriſti Domini exemplo Oſtiariorum miniſteria mirum in modum illuſtrantur; ipſe enim ſummum Sacerdos, & totius Sacerdotii fons & origo zelum ſuum pro domo Dei in obeundis Oſtiarii muniis quam ſæpiſſime commendavit: Marci 11. v. 16. *non ſinebat ut quiſquam transferret vas per templum*; hoc eſt, prohibebat, ne quis profanis onuſtus ſarcinis per atrium Templi brevioris & comodioris viæ cauſſa pertranſiret. Hæ voces, *non ſinebat*, indicant Chriſtum hocce munere fuiſſe defunctum, non una aut altera vice, ſed qualibet occaſione, quæ ſe ipſi quotidie docenti in Templo frequenter offerebat. Nec verbis tantum & ſuaſionibus violatores ſacri loci redarguit, ſed interdum flagellis & verberibus ejecit, Matth. 21. Marci 11. & Joann. 2.

§. II.

De Lectoribus.

Q. 1. Quid eſt *Lectoratus*?

R. Eſt Ordo, quo traditur poteſtas legendi in Eccleſia Scripturam ſacram utriuſque Teſtamenti, & ſcripta ſanctorum Patrum. Colligitur ex ipſa forma ordinationis in Pontificali Romano in hunc modum præſcripta. *Accipite* (codicem) *& eſtote verbi Dei relatores habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio*.

Q. 2. *Quot ſunt Lectorii officia?*

R. Quinque.

Primum, Lectoris eſt in Eccleſia publice legere, 1. Scripturam ſacram, non ſolum veteris, ſed etiam novi Teſtamenti. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramenti, excipit libros Evangeliorum; ſed Concilium Laodicenum can. 59. & Carthaginenſe III. can. 47. nullum librum excipiunt. 2. Doctorum orthodo-

xorum

norum ſcripta, ex Concilio Carthagineníi III. can. 47.
Unde Yvo Carnotenſis ſerm. de excellentia ſacrorum Ordinum ait: *Hic quidem, qui ad hunc gradum* (Lectoratus) *probabitur, Litterarum ſcientia debet eſſe inſtructus, & ut ſenſum verborum intelligat, vim accentuum ſciat, diſtincte legat, ne confuſione pronuntiationis intellectum auditoribus auferat: attendat quid ſit indicative legendum, quid ſit interrogative: ubi ſit in oratione ſubdiſtinctio, media diſtinctio: quia & ac male ſervata intellectum perturbant & ad riſum provocant; auribus enim & corde conſulere debet Lector*. Eadem habet Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 24. quæ ex Yvone exſcripſiſſe videtur.

Secundum, Lectori incumbit tradere Fidei rudimenta ſive Catechumenis, ſive baptizandis rudioribus, eaque ipſis explanare; in admonitione enim ad Lectores ait Pontifex; *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat*: quibus verbis duo exprimuntur, nempe legere, & prædicare.

Tertium; Lectoris olim munus fuit Epiſcopo prædicanti legere eam Scripturæ partem, quam ille expoſiturus erat.

Quartum, ad Lectorem pertinet Divinas laudes decantare, & præeſſe Pſalmiſtis, ſeu Cantoribus, qui prioribus temporibus erant veluti ejus coadjutores.

Quintum, Lector etiam antiquitus novos fructus benedicere conſueverat, ut colligitur ex Pontificali Romano, ubi Pontifex in degradatione Lectoris propter ejus crimina, ſic loquitur: *In Eccleſia Dei non legas ulterius, aut cantes, nec panes, aut fructus novos nullatenus benedicas, quia tuum officium non implevisti fideliter & devote*.

Atque his perſpicuum eſt Lectoris Ordinem antecellere Oſtiariatum, cum ipſi competant munia honorificentiora; Oſtiarius quippe fores materiales aperit, Lector ſpiritales, corda ſcilicet Fidelium: ille ſolicitus eſt circa exteriorem domus Dei decorem, iſte circa interiorem; & ita proximius diſponit ad Euchariſtiam digne percipiendam.

Quanti autem Veteres fecerint Ordinem Lectoris, li-

liquet ex Epiſtol. 33. & 34. ſancti Cypriani, qui illuſtres Chriſti Confeſſores Aurelium ſcilicet & Celerinum in præmium ſuæ confeſſionis Lectoratus Ordine ſublimavit: *quia*, inquit de Aurelio, „ nihil „ magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa „ prædicatione confeſſa eſt, quam celebrandis Divinis lectionibus perſonare, poſt verba ſublimia, „ quæ Chriſti martyrium prolocutæ ſunt. Evangelium Chriſti legere: unde martyres fiunt: ad pulpitum poſt cataſtam venire: illic auditum eſſe cum „ miraculo circumſtantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. *Et de Celerino*: nefas fuerat, nec decebat ſine honore Eccleſiaſtico eſſe, quem ſic Dominus „ honoraverit cæleſtis gloriæ dignitate.... Lucent in „ corpore glorioſe clara vulnerum ſigna, eminent & „ apparent in membris longa tabe conſumptis expreſſa „ veſtigia: ſunt magna, ſunt mira, quæ de virtutibus „ ejus ac laudibus fraternitas audiat. *Et infra*. Nihil „ eſt, in quo magis Confeſſor fratribus proſit, quam „ ut dum Evangelica lectio de ore ejus auditur, Lectoris fidem quiſquis audierit, imitetur.

Refert etiam ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 5. Julianum ipſum Cæſareo ſanguine illuſtrem honori duxiſſe, priuſquam a fide deficeret, ſi ad Lectoris gradum proveheretur.

§. III.

De Exorciſtis.

Q. 1. Quid eſt Exorciſtatus?

R. Eſt Ordo, quo datur poteſtas expellendi dæmones a corporibus ſive baptizatorum, ſive Catechumenorum; ita enim initiandos alloquitur Pontifex: *Habete poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos; ſive baptizatos, ſive Catechumenos*. Et in oratione, quam pro eis apud Deum fundit: *probabiles ſint Medici Eccleſiæ tuæ, gratia curationum, virtuteque cæleſti confirmati*.

Q. 2. *Quænam ſunt Exorciſtatus officia?*

R. Unum

R. Unum ipſis tribuunt Veteres, Concilium Laodicenum, Carthaginenſe IV. & Pontificale Romanum; nempe adjurare dæmones, quod eſt longe præſtantius recenſitis inferiorum Ordinum Officiis, cum Exorciſta voce quidem humana, ſed poteſtate divina, ut loquitur ſanctus Cyprianus epiſtola ad Demetrianum, dæmones ejiciat, efficaciuſque ad Euchariſtiam diſponat.

Dices 1. pro Pſeudo-reformatis: gratiæ gratis datæ primo ſæculo concedebantur, non Apoſtolis ſolum, ſed & omnibus credentibus, ut conſtat ex cap. Marci ultimo v. 17. ubi ſic Chriſtus loquitur: *ſigna autem eos, qui crediderint hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia, ejicient, lingua loquentur novis* &c. Promiſſum autem illud reſtringi debet ad primordia Eccleſiæ, quibus infideles per ſtupenda illa ſigna adducendi erant ad fidem, qua plantata & radicata prorſus deſierunt. Atqui poteſtas ejiciendi dæmones eſt gratia gratis data, & fide jamdudum in toto orbe eſt ſeminata & radicata: Ergo poteſtas ejiciendi dæmones a pluribus ſæculis non exiſtit in Eccleſia, nec unquam credita fuit annexa Ordinibus Eccleſiaſticis.

Diſtinguo majorem. Gratiæ gratis datæ omnibus fidelibus concedebantur ad tempus, aliquæ, Concedo, omnes omnino, Nego majorem, namque gratia remittendi peccata, convertendi panem in corpus Chriſti reale, ſunt gratiæ gratis datæ, cum dentur in aliorum commodum & ſalutem: non fuerunt tamen fidelibus communes, hactenuſque permanſerunt in Eccleſia. Unde conceſſa minore,

Diſtinguo conſequens: poteſtas ejiciendi dæmones non amplius exiſtit apud Laicos, & credentium vulgus, Concedo: apud Eccleſiæ Miniſtros, Nego conſequent. Sicut enim donum interpretandi Scripturam ſacram permanet in Eccleſiæ paſtoribus, & curandi infirmos per Extremam unctionem in Sacerdotibus: ita & poteſtas ejiciendi dæmones in Exorciſtis, quamvis ejuſmodi dona deſierint in Laicis. Probatur autem noſtra reſponſio, 1. quia Eccleſiæ denegari non debet, quod conceſſum agnoſcitur Synagogæ: atqui

atqui Synagogæ conceſſa eſt poteſtas expellendi dæmones; eam quippe Chriſtus agnovit Matth. 12. verſ. 27. *Si ergo in Beelzebub ejicio dæmones, filii veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt.* De ea poteſtate, quæ in gente ſua vigebat, ſcribit Joſephus lib. 8. Antiq. 4. Quod autem poteſtas illa ſingulis Judæis non obtineret, præterquamquod ipſe Joſephus ſatis indicat loco citato, colligit Baronius ad annum Chriſti 57. ex cap. 19. Act. v. 14. ubi refertur filios Sevæ Principis Sacerdotum Exorciſtas egiſſe.

Probatur 2. ex conſtanti Eccleſiæ Traditione; quæ ſemper Miniſtros inſtituit ad dæmones expellendos.

Tertullianus lib. de præſcript. c. 41. reprehendit in ſectis Hæreticorum, quod etiam mulieres apud eos exorciſmos agerent: *ipſæ mulieres Hereticæ*, inquit, *quam procaces, quia audeant docere, exorciſmos agere, curationes repromittere.*

Sanctus Cornelius ſummus Pontifex & Martyr tertio mediante ſæculo, epiſt. ab Fabium Antiochenum, quam refert Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap. 43. ſcribit, ſuo tempore in Eccleſia Romana fuiſſe *Exorciſtas*, *& Lectores cum Oſtiariis*. 52.

S. Cyprianus, S. Cornelli coætaneus, epiſt. 45. de poteſtate Exorciſtarum, ſic habet: *Hodie etiam geritur ut per Exorciſtas voce humana, & poteſtate divina flagelletur & uratur; ac torqueatur diabolus.* Et Tractatu adverſus Demetrianum infenſiſſimum Chriſtianorum hoſtem, & crudelem perſecutorem: *o ſi audire eos* (dæmones) *velles & videre, quando a nobis adjurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſi corporibus ejiciuntur, quando ejulantes & gementes voce humana & poteſtatis divinæ flagella & verbera ſentientes, venturum judicium confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe quæ dicimus ... videbis non rogari ab iis, quos tu rogas: timeri ab iis, quos tu times; quos tu adoras, videbis ſub manus noſtras ſtare vinctos, & tremere captivos.* Porro tempore S. Cypriani deſiderant exteriora miraculorum dona.

Co-

Concilium Laodicenum anno 302. can. 26. prohibet, ne quis dæmones adjuret, qui ab Epiſcopo non fuerit ordinatus.

Concilium Carthaginenſe quartum ann. 398. exponit ritum, quo Exorciſta ordinari conſueverat.

S. Hilarius Exorciſtam ordinavit S. Martinum: ex Severo Sulpicio in hiſtoria vitæ ſancti Martini.

Denique Eccleſia, ſive Orientalis, ſive Occidentalis, a temporibus Apoſtolorum hactenus exorciſmos ſeu adjuratores adhibuit adverſus dæmones: quamvis enim Exorciſtatus apud Græcos ab aliquot ſæculis non ſit Ordo ab aliis diſtinctus, ut jam obſervatum eſt, apud eos tamen poteſtas, & uſus imperandi dæmonibus in Sacerdotio permanet.

Inſtas 1. vel ipſa experientia conſtat poteſtatem illam jamdudum in Eccleſia deſiiſſe: Nullum enim reperire eſt, qui exorciſmis dæmones e corporibus expellat: Ergo fruſtra ordinantur Exorciſtæ.

Nego antecedens: immo multis experimentis etiam poſteriorum ſæculorum confirmatur illa poteſtas, licet nonnunquam careat effectu propter infirmam vel Exorciſtæ vel Energumeni fidem, aut aliam pravam affectionem. Apoſtoli liberare non potuerunt lunaticum a vexationibus dæmonis, Matth. 18. quærentibus autem Apoſtolis, quare non potuiſſent ejicere, reſpondit Chriſtus v. 19. *propter incredulitatem veſtram*. Adjurandi ergo dæmones *vel exiliunt ſtatim*, inquit ſanctus Cyprianus lib. de vanitate Idolorum, *vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aſpirat*. Quin Chriſtus v. 20. monet eſſe quoddam dæmoniorum genus ceteris obſtinatius, ad quod ejiciendum in Exorciſta opus eſt jejuniis, orationibus, & longa patientia. Sed inde non colligitur nec Apoſtolis, nec noſtris Exorciſtis poteſtatem adverſus dæmones fuiſſe conceſſam.

Inſtas 2. in Eccleſia Romana ordinatio Exorciſtæ videtur ludus & ſcena; iis quippe conceditur poteſtas adjurandi dæmones, & ſimul uſus hujuſce poteſtatis interdicitur; nequidem enim Presbyteris eos adjurare licet: Ergo.

Di-

Diſtinguo antecedens: uſus interdicitur inconſulto Epiſcopo, Concedo: interdicitur ſimpliciter & abſolute, Nego antecedens. Porro gravibus ex cauſſis ſanxit Eccleſia, ne quis ſive Exorciſta, ſive Presbyter ſine conſcientia Epiſcopi energumenis exorciſmos adhibeat. Alii quippe, ut rudiores & melancholici, facile ſibi perſuadent vexari ſe a dæmone, cum inſoliti ac diuturnioris morbi cauſſa eos latuerit: alii ex profeſſo, & maligna mente arreptitios ſe fingunt, ut popularem in ſe admirationem concilient, & largiores eleemoſynas emungant. Meminere etiam Patres Laodicæni, & alii Scriptores quorundam impoſtorum & circulatorum, qui quæſtus cauſſa urbes & vicos circuibant, & ſuperſtitionibus ac incantationibus, corporum morbis tanquam a dæmone creatis mederi ſe ſimulabant. Quibus corruptelis ac fallaciis, quæ ſacra miniſteria in contemptum deriſumque verterent, ut obviaret Eccleſia, pro ſua divina ſapientia cavit, ne quis etiam Presbyterorum dæmones e corporibus expellere attentaret, quin prius ab Epiſcopo probatæ fuerint & morbi iniquitas, & morum Exorciſtæ integritas, ac vitæ ſanctitas; dæmon quippe eorum imperium facile deridet, quos laqueis ſuis *captivos* tenet, ut patuit in filiis Principis Sacerdotum, in quos inſiliit, cum illum adjurarent in nomine Jeſu, Act. 19. v. 13. Unde in ordinatione Exorciſtarum Pontifex graviſſimis hiſce verbis illos admonet: *Studete igitur, ut ſicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita mentibus & corporibus veſtris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis, ne illis ſuccumbatis, quos ab aliis veſtro miniſterio effugatis. Diſcite per officium veſtrum vitiis imperare, ne in moribus veſtris aliquid ſui juris inimicus valeat vindicare.* Quæ autem in energumenorum exorciſmis obſervanda ſint, quæ præire debeat in Exorciſtis præparatio, præſcribunt Concilium Mediolanenſe primum & quartum: *Pridie illius diei, quo alicui exorciſmum adhibere incœperit, ſe jejunio & oratione præparare ſtudeat. Tum confeſſus, conſcientia ab omni culpa pura ac munda, magna cum humilitate & fide ... ad id munus*

abeundum accedat. *Si Sacerdos autem eſt . . . . Miſſæ ſacrum faciat, ſi id commode præſtare poteſt.* Ubi illud munus non denegatur inferioribus Ordinibus, quin ſatius interdum eſſet, ſi a junioribus ad hoc officium ordinatis exerceretur ad majorem dæmonis contemptum & confuſionem, vehementerque exoptant Tridentini Patres, quorum verba capite ſequenti referemus, ut omnia inferiorum Ordinum officia reſtituantur.

Dices 2. S. Clemens lib. 8. Conſt. cap. 26. hanc S. Thaddæi Apoſtoli ſententiam laudat: *Exorciſta non fit Ordinatione.* Ergo Exorciſtatus non eſt numerandus inter Ordines.

R. 1. Hoc opus non eſſe ſancti Clementis, rejectumque fuiſſe inter libros apocryphos a Gelaſio Summo Pontifice in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum anno 494. Deinde ex hoc loco ſolum colligi Apoſtolos judicaſſe Exorciſtas ſua ætate non eſſe ſpecialiter ordinandos, cum Spiritus ſanctus miraculorum dona in credentes promiſcue effunderet, in alios genera linguarum, in alios gratiam curationum, in alios virtutem ejiciendi dæmones.

CAPUT IV.

De Acolythis.

Q. 1. Quid eſt *Acolythatus?*

R. Eſt Ordo, quo datur poteſtas miniſtrandi Subdiacono & Diacono in Miſſæ ſacrificio: Acolythus enim ſecundum vim nominis Græci, eſt famulus ac veluti pediſſequus.

Q. 2. *Quot ſunt officia Acolythi.*

R. Tria.

Primum ac præcipuum eſt parare vinum & aquam in urceolis, quos deinde exhibet Subdiacono. Hinc in Ordinatione Pontifex urceolum tradit Acolythis, dicens: *Accipite urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.*

Secundum, deferre lumina, dum Evangelium ſolemniter

niter cantatur a Diacono: *per totas Orientis Eccleſias*; inquit S. Hieron. libro contra Vigilantium, *quando legendum eſt Evangelium, accenduntur lumina jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum*. Atque in hujuſce officii ſignum Acolythus in Ordinatione ſua accipit candelabrum cum cereo a Pontifice quidem juxta Pontificale Romanum: ab Archidiacono vero juxta Concil. Carthaginenſe IV. Amalarium, Yvonem, Magiſtrum ſententiarum, & S. Thom. Suppl. q. 38. art. 1. ad 2. Sed cum Archidiaconus iſtud munus obeat ſub oculis Pontificis, qui moraliter per principem miniſtrum agit, *Acolythus*, inquit ſanctus Thomas, *accipit characterem ex verbis Epiſcopi, in hoc quod accipit prædicta ab Archidiacono, & magis in acceptione urceoli, quam candelabri. Unde non ſequitur quod Archidiaconus Ordinem conferat*.

Tertium, luminaria Eccleſiæ accendere & aſſervare; propter quod Eccleſiæ mancipati dicuntur, quia illud officium majorem in Eccleſia aſſiduitatem poſtulat: *Sciatis vos*, inquit Pontifex, *ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari*, hincque vulgato nomine Ceroferarii vocantur.

Acolythi antiquitus, ut fidi Epiſcoporum Miniſtri, eorum Epiſtolas ac mandata perferebant, ex ep. 43. S. Cypriani: Eulogias etiam ſeu Euchariſtiam ad abſentes deportabant, ex Innocentio I. Epiſtol. 29. ad Decentium; *quia ipſa die* (Dominica) *propter plebem ſibi creditam, nobiſcum convenire non poſſunt* (Presbyteri;) *idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra communione, maxime illa die non judicent ſeparatos*. Uſuardus ad 18. Kalendas Septembris refert de S. Tharſicio Acolytho eum fuſtibus & lapidibus a paganis fuiſſe obrutum, eo quod Chriſti corporis ſacramenta, quæ deferebat, prodere noluiſſet.

Ex Acolythorum officiis facile intelligitur eorum Ordinem præcedentibus eſſe ſuperiorem, cum celebrandæ Euchariſtiæ, a qua ſinguli Ordines ſuum hauriunt decus ac perfectionem, propius inſerviat, pro-

ptereaque exigere majorem cordis munditiam & vitæ ſanctitatem: *Penſate quod ſuſcipitis*, inquit Pontifex, *non enim Deo placere poteritis, ſi lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inſerviatis: ſed ſicut Veritas dicit, luceat lux veſtra coram hominibus.* Et infra; *Eſtote igitur ſoliciti in omni juſtitia, bonitate & veritate, ut & vos, & alios, & Dei Eccleſiam illuminetis.*

§. V.

De Subdiaconis.

Q. 1. **Q***uid eſt Subdiaconatus?*

R. Eſt ſacer Ordo, quo, ut præ ſe fert nomen Subdiaconi ſeu Hipodiaconi, datur poteſtas miniſtrandi Diacono & Sacerdoti in Miſſæ ſacrificio.

Is Ordo, propter rationes allatas capite tertio, dicitur ſacer, qua voce diſtinguitur ab inferioribus Ordinibus.

Q. 2. *Quot ſunt Subdiaconi munia?*

R. Quinque recenſentur in Pontificali Romano.

1. Calicem & patenam in uſum ſacrificii Diacono offert, ponitque in altari, cum antiquitus ipſe Diaconus iſta a Subdiacono tradita ad altare deferret, ex Rabano libro 1. de inſtit. Cleric. capit. 8. quod etiamnum obſervatur in Eccleſia Græca; ubi Diaconus ſacra vaſa magna cum pompa defert ad altare:

2. Sacerdoti ſacra facienti aquam fundit ad extrema digitorum abluenda in ſignum ſummæ munditiei in ſacrificio requiſitæ. Hinc in Ordinatione Archidiaconus urceolos cum bacili & manutergio tangendo ipſi porrigit.

3. Oblationes a populo ſuſcipit, & ex iis quantum ſatis eſt ad aſtantium communionem, in altari ponit, ne quid putridum in ſacrario remaneat, ut habetur in libro Pontificali.

4. Legit Epiſtolam, & in hunc finem librum accipit a Pontifice; ſed de hocce munere nihil habet antiquus

tiquus ordinationis ritus, nec veteres Scriptores; Lectorum erat Epiſtolas legere, ut etiamnum eas legunt in Eccleſia Græca.

5. Pallas altaris, corporalia, & purificatoria abluit cum cautione in Pontificali præſcripta, ubi Pontifex ordinandos monet quid in hiſce miniſteriis intelligere debeant: „ Studete itaque, *inquit*, ut iſta viſibilia miniſteria, quæ diximus, nitide & diligentiſſime complentes, inviſibilia horum exemplo perficiatis. Altare ſiquidem Sanctæ Eccleſiæ ipſe Chriſtus... per quem oblationes Fidelium Deo Patri conſecrantur, cujus altaris palla & corporalia ſunt membra Chriſti ſcilicet Fideles Dei, quibus Dominus quaſi veſtimentis pretioſis circumdatur... Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo Fideles maculari, præbenda eſt a vobis aqua cæleſtis doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum altaris & cultum Divini ſacrificii redeant. Eſtote ergo tales, qui ſacrificiis Divinis, & Eccleſiæ Dei digne ſervire valeatis.

Quanti vero ſint momenti ejuſmodi miniſteria; quantumque in Subdiacono perfectionem exigant, pluribus ex capitibus perſpicue colligitur.

Ac primo quidem ex dictis de minoribus Ordinibus; ſi enim eccleſia & recta ratio eam, quam diximus, morum integritatem, ac pietatis ſtudium in iis requirunt, qui in inferioribus gradibus ſunt conſtituti, remotiuſque Euchariſtiæ conficiendæ inſerviunt; dubium non eſt quin præſtantiora expetant merita in iis, qui ad ſacratiora miniſteria aſſumantur. *Ita de gradu in gradum aſcendant*, inquit Concilium Trid. ſeſſ. 23. c. 12. de reform. *ut in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accreſcat, quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque major erga Presbyteros & ſuperiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, corporis Chriſti communio maxime comprobabunt*. Hinc Concilium Mediolanenſe quintum 3. part. tit. de examinandi ratione, ſic præſcribit Examinatoribus: „ qui vero ſacris Ordinibus . . . . initiandi ſunt, cum ornati exculti que iis virtutibus eſſe debeant, quæ in Clericis inferiorum Ordinum

„ requiruntur: ſicut ad altiorem Ordinis gradum aſcen-
„ dunt, ita virtutum, & probitatis, & doctrinæ quo-
„ dam quaſi aſcenſu præſtare debent. Quamobrem hoc
„ in primis ordinatores videant, an qui Ordinis Sa-
„ cramento initiantur, per ſingulos illius gradus, &
„ in vita ſpiritualis diſciplinæ majorem progreſſionem
„ fecerint. „ Egregie omnino, qui enim negligenter, & ut ajunt, perfunctorie in minoribus ſe geſſit, nec ullum prætetulit ſtudium plura conferendi in Eccleſiæ decus ac commodum, temere, ne dicam imprudenter, majora ambit miniſteria. In examine igitur initiandorum ad Subdiaconatum meminiſſe oportet, quæ fuerit prior eorum eruditio, quæ pietatis ſigna jam dederint, & præterita cum præſentibus conferre, ut inde eluceat an & quantum in litteris & virtute profecerint. Non enim fruſtra ſacra Synodus Tridentina decrevit cit. c. 11. minores Ordines per temporum interſtitia eſſe conferendos, neminemque ad Subdiaconatum promovendum, niſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi Ordinis, *niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas e judicio Epiſcopi, aliud expoſcat*. Sed diſciplinæ ignarus, aut negligens, judicari non poteſt Eccleſiæ neceſſarius vel utilis. Hic autem ſacri Antiſtites majorem cautionem & ſeveritatem adhibeant neceſſe eſt, ne poſtea aliquos vel miſeratione ducti, vel importunitate victi, ad Diaconatum, & quod magis timendum eſt, ad Presbyteratum inutiles evehere cogantur, nulla alia ratione, quam quod eos Subdiaconos effecerint; quaſi vero errore reſarciatur error; aut auguſtiora miniſteria ad quæſtum aut temporale commodum convertere liceat.

Secundo, Subdiaconi functiones & neceſſariæ dotes æſtimari debent ex iis, quæ Eccleſia hactenus præmittenda duxit ejus ordinationi. Nimirum ſua lege prohibuit ne facer ille Ordo conferatur niſi Sabbato Quatuor temporum, hoc eſt, poſt triduanum jejunium, & profuſiores ſolito Fidelium preces; ita enim obſervatum eſt in ordinatione Apoſtolorum Pauli & Barnabæ, Act. 13. ubi ſic legitur v. 2. & 3. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus; dixit illis Spiritus*

ritus ſanctus; Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos. Merito quidem; par enim eorum debet eſſe votum, quorum cauſſa communis exiſtit; cumque totius Reipublicæ Chriſtianæ ſalus ac decus pendeat ex perfecto ſupremi Numinis cultu, omnium Fidelium maxime intereſt, ut ipſi offerantur digni & accepti Miniſtri, qui gratia apud Divinam ejus Majeſtatem polleant, iram ejus a populo, ſi quando deliquerit, avertant, & opportuna ſubſidia facile obtineant. Hinc eſt quod id ipſa ordinationis hora omnes ſumma animi & corporis dejectione totam celeſtem curiam in auxilium advocant, Deumque per ſacratiſſima quæque obteſtantur; plebs quidem genibus flexis, initiandi vero toto corpore in terra proſtrati, & ipſe Pontifex procumbens, *ut hos electos benedicere, ſanctificare, & conſecrare* dignetur. Hic univerſus cœtus, adjunctis beatorum ſpirituum ſuffragiis, Deum per Pontificem enixe rogat ut initiandos Subdiaconos 1. benedicat, hoc eſt, omni donorum cæleſtium genere cumulet: 2. ſanctificet, hoc eſt, ab omni terrenæ cupiditatis labe expurget. 3. conſecret, id eſt tanquam ſelectum munus acceptet, ac in domo ſuæ in æternum Miniſtros conſtituat. Quis autem ex iis non intelligat ſacratiſſima eſſe Subdiaconi miniſteria, eximiamque in eo requiri virtutem?

Tertio, idem colligitur ex lege ſervandi perpetuam continentiam, & quotidie perſolvendi Horas Canonicas, quam Eccleſia Subdiaconis imponit. Namque miniſteria illa cenſeri debent longe ſacratiſſima, perfectamque virtutem in Miniſtro exigere, ad quæ non patet acceſſus niſi virginibus aut cælibem vitam agentibus; hi quippe dicuntur a ſancto Cypriano lib. de habitu virginum, *illuſtrior portio gregis Chriſti, & Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini*, tantumque diſtant a conjugatis, juxta ſanctum Fulgentium libro de virginitate, *quantum ſimilitudo pecorum ab imitatione diſcernitur Angelorum*, quia ex Apoſtolo 1. Cor. 7. *qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo... & mulier innupta, &*

virgo, cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Pura continentis anima, inquit ſanctus Baſilius libro de virginitate, *ſicut oleum aquæ, ita corporis inſidet, nihilque ex carnalibus affectionibus turbidum puriſſimo decori admiſceri patitur*. Ne autem Subdiaconus ex altiſſimo illo perfectionis gradu decidat, Eccleſia memor verborum Domini, Iſaiæ 48. v. 9. *Laude mea infrænabo te, ne intereas*, illum ad perennem Dei laudem adigit, dum quotidianum precandi officium per certas horas ita diſtributum ipſi injungit, ut vere cum Pſalmiſta dicere queat: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo* Denique Eccleſia, quo Subdiaconi animus liber ſit a a curis mordacibus comparandi vitæ neceſſaria, ſtatuit neminem ſacro hocce Ordine initiandum, qui ſufficienti titulo ad victum & veſtitum non fuerit munitus. Sed de titulo Clericali, & cælibatu Clericorum plura dicemus tertia parte. Iſthæc pauca dumtaxat prælibavimus, ut perſpicuum ſit, quanti Eccleſia æſtimet Subdiaconorum miniſteria, ad quæ tot & tanta exigit, ut expleantur ea, qua par eſt, religione.

Quarto, Subdiaconorum officia maxime pendi debent ex ipſo ordinationis ritu, in quo Pontifex eos in primis ſic admonet: *Iterum atque iterum conſiderare debitis attente, quod onus hodie ultro appetitis... Deo (cui ſervire regnare eſt) perpetuo famulari, & caſtitatem, illo adjuvante, ſervare oportebit, atque in Eccleſiæ miniſterio ſemper eſſe mancipatos*. Tum calicem cum patena illis tradens ait: *Videte cujus miniſterium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut Deo placere poſſitis*. Non exprimit tanti miniſterii præſtantiam, ſed de ea ſerio cogitandum monet; *videte*, quia nulla vox eſt, quæ illam poſſit comprehendere, quidquid enim dicatur, minus erit. Deinde imponit amictum hiſce verbis: *Accipe amictum, per quem deſignatur caſtigatio vocis;* quaſi dicat, conſecraſti os tuum Evangelio, facetiis jam & vaniloquiis aperire non modo illicitum, ſed & ſacrilegium eſt: memento verborum Apoſtoli 1. Cor. 13. *Cum eſſem parvulus, loquebar ut*

par-

parvulus, ſapiebam ut parvulus cogitabam, ut parvulus: quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Nunc abjiciendi pueriles Laicorum joci, ſit ſermo ſemper in gratiæ ſale conditus, juxta præceptum ejuſdem Apoſtoli, ut det gratiam audientibus, populi enim de ore Miniſtrorum Dei legem requirunt, non nugas, vel fabulas. Sed ut Subdiaconus diſcat verba ae rem conferre, & dicta factis comprobare, pergens Pontifex manipulum in ſiniſtrum ejus brachium immittit, aitque, *Accipe manipulum, per quem deſignatur fructus bonorum operum.* Quis verbis non ſpicilegium, ſeu jejunas quaſdam ſpicas, ſed manipulum & copioſam bonorum operum ſegetem a Subdiacono expectari ſignificat, ad quæ ipſum expeditum ex prævio examine augurans, eum tunica, veluti indumento juſtitiæ, circumdat, dicens: *Tunica jucunditatis & indumento lætitiæ induat te Dominus;* fructus enim bonorum operum ſunt gaudium & pax in Spiritu ſancto. Porro Subdiaconus huncce ordinationis ſuæ ritum mente revolvens, ut debet, facile percipiet Eccleſiam maximi facere ejus miniſteria, eximiamque ab eo exigere virtutem.

§. VI.

De Diaconis.

Q. 1. QUid eſt Diaconatus?

Reſpondeo. Eſt ſacer Ordo, quo datur ſpiritualis poteſtas inſerviendi proxime Sacerdoti ſacra facienti.

Objiciunt Novatores adverſus allatam definitionem caput ſextum Actuum, ex quo ſe certo elicere autumant Diaconatum non eſſe ſpiritualem poteſtatem, ſed nudum miniſterium profanum diſpenſandi eleemoſynas indigentibus; ſic enim eo loco loquitur ſanctus Petrus: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem . . . quos*

conſtituamus ſuper hoc opus : Ergo Diaconus non eſt ſacer Ordo.

Nego antecedens ; quamvis enim murmur Græcorum adverſus Hebræos, cujus ſit mentio citato capite, fuerit occaſio eligendi Diaconos, qui curum gererent Viduarum (quarum victui neceſſaria ſuppeditabat Eccleſia) & menſis præficerentur ; conſtat tamen tum ex Scriptura, tum ex Traditione, Diaconus ad auguſtiora miniſteria fuiſſe ab Apoſtolis ordinatos.

Ac 1. quidem ex Scriptura namque 1. ſeptem ſeliguntur pleni Spiritu ſancto & ſapientia, quæ dotes aliud ſane ſpectans, quam miniſterium menſuram. 2. Inaugurantur iiſdem plane cæremoniis, quibus Saulus & Barnabas Act. 13. & alii ſacri Miniſtri, ſcilicet, orationibus & impoſitione manuum, *& orantes impoſuerant eis manus*. 3. Stephanus & Philippus ambo ex ſeptem Diaconis ſacra munia ſtatim obeunt ; Stephanus quidem Jeroſolymis Verbum Dei prædicat, ac ſignis & prodigiis confirmat laudato capite 6. & Philippus Samariæ, ubi & baptizat, Act. 8. 6. Apoſtolus 1. Tim. 3. v. 9. Diaconus inter Miniſtros Eccleſiæ recenſet, *Habentes*, inquit, *myſteriorum fidei in conſcientia puta*. *Et hi autem probentur primum*, *& ſic miniſtrent nullum crimen habentes*.

2. Idem conſtat etiam ex Traditione, ſanctus Ignatius, qui cum Apoſtolis verſatus eſt, epiſt. ad Trallianos ſic habet : „ Oportet & Diaconos Miniſtros „ exiſtentes Myſteriorum Jeſu Chriſti, ſecundum om„ nem modum omnibus placere : non enim ciborum „ & potuum ſunt Miniſtri, ſed Eccleſiæ Dei Mini„ ſtri. *Et Epiſt. ad Epheſios* : Feſtinant ergo, dilectiſ„ ſimi, ſubditi eſſe Epiſcopo, & Presbyteris, & Dia„ conis, qui enim iſtis ſubditus fuerit, Chriſto obedit, „ qui eis hoc conceſſit. „ S. Juſtinus ſecundo ſæculo ſcribit Apol. 2. Diaconos Fidelibus Euchariſtiam diſtribuiſſe. Ex quo poſtmodum irrepſit abuſus, quem Concilium Nicænum generale primum corrigit canone 18. nempe Diaconi Presbyteris etiam, qui Epiſcopos ſacra facienti præſentes aderant, Euchariſtiam porrigebant, ſicut

ſicut inferioribus Miniſtris & Laicis, cum rectus ordo poſtularet, ut in ejuſmodi circumſtantiis presbyteri eam ab Epiſcopo acciperent. Sanctus Cyprianus tertio ſæculo Diaconos ſæpius annumerat inter ſacros Eccleſiæ Miniſtros: *Diaconos*, inquit epiſt. 65. *poſt aſcenſſum Domini in cælos, Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros*. S. Cornelius ſummus Pontifex, & Beati Cypriani coætaneus, epiſtola ſæpius laudata ad Fabium Antiochenum, Diaconus inter Clericos in ſecundo Ordinis gradu reponit, poſt presbyteros. Hæc autem antiquiſſimorum Patrum teſtimonia perſpicue demonſtrant Diaconos ab Apoſtolis fuiſſe primario ordinatos ad ſacra officia, ſecundario vero ad diſtribuendas Fidelium eleemoſynas. Longum eſſe & omnino ſuperfluum ſigillatim appellare Patres & Concilia, quæ a tertio ſæculo uſque ad noſtram ætatem Diaconos ut Miniſtros altaris agnovere, cum inficias non erant adverſarii.

Inſtas: S. Hieronymus, qui floruit quarto & quinto ſæculo, ſcribit Diaconos fuiſſe dumtaxat inſtitutos, ut miniſtrarent menſis profanis, epiſtola enim 85. ad Evagrium vocat eos *menſarum ac viduarum Miniſtros*; ergo Diaconatus non eſt ſacer Ordo.

Nego antecedens; ſanctus quippe Hieronymus conſtanter agnoſcit Diaconus non ſolum menſarum, ſed maxime altaris miniſterio eſſe mancipatos. In laudata epiſtola ad Evagrium docet Diaconos hoc eſſe in Eccleſia, quod Levitæ erant in Synagoga: atqui Levitæ in veteri lege a populo erant ſelecti ut Templo miniſtrarent, *quod Aaron*, inquit, *& filii ejus atque Levitæ fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Eccleſia*. In epiſtola ad Heliodorum Diaconos collocat in tertio Sacerdotii gradu. Lib. 2. adverſus Jovin. Diaconus ſupra Laicos evehit. In apologia adverſus eundem Diaconos, non minus quam Epiſcopos & Presbyteris continentiæ vinculo conſtringit, quia cum Presbyteris immaculatam hoſtiam offerunt. Et libro contra Luciferianos ſcribit Diaconos ex Epiſcopi juſſione habere jus baptizandi. Ita igitur eos vocat menſarum Miniſtros; ad compri-

mendum faſtum , quo nonnulli in Romana Eccleſia ſupra Presbyteros ſe erigebant , ut non neget ſublimiora eorum munia ; ſic herus animi cæcitatem ac temeritatem in domeſtico increpat , cum animal ſimpliciter eum nominat , ex parte ſcilicet quæ in ipſo eſt vilior ; ſed nobiliorem , puta rationem , non excludit . Ideo autem Diaconi illi adverſus Presbyteros intumeſcebant , quod cum curam haberent theſauri Eccleſiaſtici , illumque diſpenſarent , ambitioſius a populo colerentur.

Inſtas iterum : Synodus Quiniſexta can. 16. definit ſeptem prioribus Diaconis Act. 6. concreditum non fuiſſe miniſterium ſacrum , ſed profanum dumtaxat ; *Propter hæc ergo nos* , inquiunt Patres , *prædicamus ut prædicti ſeptem Diaconi non de illis accipiantur* , *qui myſteriis ſerviunt*. Ergo in Eccleſia Græca Diaconatus non erat Ordo ſacer anno 692. quo celebrata eſt illa Synodus.

R. 1. Negando conſequentiam , quia licet ad illam Synodum convenerint ducenti Epiſcopi , inter quos numerantur Patriarchæ Orientalis Eccleſiæ, collegerintque egregia antiquioris diſciplinæ monimenta , etiamnum utilia , nonnulla tamen improbanda inſeruerunt , propter quæ illa Synodus a Sede Apoſtolica merito fuit rejecta ; ac proinde canon , qui nobis hic opponitur , nullius eſt ponderis , in hypotheſi quod adverſariis patrocinetur.

R. 2. Diſtinguendo anteced. Diaconi de illis non accipiantur , qui myſteriis ſerviunt , Diaconi , inquam , de quibus eſt ſermo , Conced. alii Diaconi , Nego antecedens . Ita Synodus duplicis generis vult eſſe Diaconos , alios Eleemoſynarios , qui curam pauperum gerant , & res temporales adminiſtrent : alios ſacros , qui Divinis Myſteriis ſerviant , ſtatuitque priores non eſſe aſſumendos ex Ordine ſacrorum Miniſtrorum , quos à cultu Divino , cui mancipati ſunt , retrahere nefas eſt , ſed ex Laicis eligendos , qui in illud munus incumbant ; & ad hanc ſuam legem confirmandam detorquet quod legitur Actor. 6. de electione ſeptem Diaconorum in menſæ

pro-

profanæ miniſterium, quaſi ejuſmodi Diaconi fuerint alterius gradus ab illis Diaconis, quibus Apoſtoli utebantur in ſacris Myſteriis, & quorum ſit mentio epiſtola ad Timotheum, & epiſtola ad Titum; quamvis Stephanus & Philippus, qui erant ex ſeptem laudatis Act. 6. prædicarent & baptizarent, ut jam obſervavimus. Cum ergo Synodus agnoſcat Apoſtolos ordinaſſe Diaconos ad ſacrum miniſterium, nedum noſtræ reſponſioni adverſetur, quin illam confirmat.

Q. 2. *Diaconi ſuntne inſtitutionis Divinæ?*

R. Una voce affirmant Catholici, idque evidenter colligunt ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. Can. 6. in quo ſic definit: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Ex hoc canone fide Divina credere oportet, in Hierarchia eſſe aliquos Miniſtros divinitus inſtitutos: atqui ex omnium conſenſione non tenemur fide Divina credere Subdiaconos aut inferiores Miniſtros eſſe divinitus inſtitutos; eſt enim opinio Scholæ, quam graves Theologi, & quidem magno numero, rejiciunt; ut capite ſequenti patebit. Supereſt ergo ut Diaconi fide Divina credantur Divina ordinatione inſtituti.

Probatur noſtra reſponſio trito S. Auguſtini, & Vincentii Lirinenſis argumento. Quod in nullo Concilio inſtitutum cernitur, & ſemper ubique ab omnibus obſervandum eſt, illud Traditionis Apoſtolicæ ſeu Divinæ credi debet: atqui ſacer Diaconorum Ordo in nullo Concilio inſtitutus eſt, cum in Eccleſia extiterit tempore Apoſtolorum, & deinceps ſemper & ubique, tum apud Græcos, tum apud Latinos retentus fuerit, ut conſtat ex teſtimoniis ſupra laudatis: ergo Diaconorum Ordo eſt divinitus inſtitutus.

Dices: S. Cyprianus ep. 65. ad Rogatianum ſcribit Diaconos non a Chriſto, ſed ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutos: *Meminiſſe autem Diaconi debent*, inquit, *quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos & Præpoſitos Dominus elegit: Diacones autem poſt aſcenſum Domini in* ca-

calos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros: Ergo.

Diſt. ant. Diaconos Apoſtoli ſibi conſtituerunt per ordinationem & conſecrationem, Conc. conſtituerunt quoad primariam inſtitutionem, Nego ant. Illud igitur diſcrimen eſt, in mente S. Cypriani, Epiſcopos inter & Diaconos, quod Epiſcopi, ac Presbyteri non ſolum a Chriſto fuerint inſtituti, ſed etiam electi & conſecrati: Diaconi vero dumtaxat inſtituti; ab Apoſtolis autem electi & ordinati. Unde ſubdit B. Martyr: *Quod ſi nos aliquid audere contra Deum poſſumus, qui Epiſcopus fuit; poſſunt & hi* (Diaconi) *contra nos audere, a quibus Diaconi fiunt*. Sic in Regno licet quævis poteſtas vitæ & necis ſit a Rege inſtituta, tamen judiciarium munus confertur alias ab ipſomet Rege, alias a Dinaſte: unde oritur honoris diſtantia Regios Miniſtros inter & Miniſtros Fiſcales, ut vocant.

Q. 3. *Quot ſunt Diaconi officia?*

R. Pontificale Romanum tria ipſi aſſignat: *Diaconum*, inquit Pontifex, *oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*. Quam autem late pateat hujuſce vocis, *prædicare*, ſignificatio, pergens Pontifex aperit: *Quia in miniſterium tabernaculi teſtimonii, id eſt, Eccleſia Dei eligimini in Levitico officio, quæ ſemper in procinctu poſita, ineffabili pugna contra inimicos dimicat .... quam Eccleſiam Dei, veluti tabernaculum*. Portare & munire debetis ornatu ſancto, prædicatu Divino, exemplo perfecto. Quibus verbis magnificis, & e memoria nunquam delendis, comprehenditur quidquid Veteres de variis Diaconorum officiis tradiderunt.

Primo igitur Diaconi miniſtrant ad altare, ibique pluribus officiis defunguntur. 1. Quidem Epiſcopo vel Presbytero ſacra facienti in omnibus præſto ſunt; ipſi materiam ſacrificii, panem ſcilicet & vinum exhibent; calicem conſecrandum una cum ipſo offerunt, eaſdem verba ſimul proferunt, *offerimus tibi calicem ſalutaris*; adeo ut in libro Pontificali vocentur *Comminiſtri & cooperatores corporis & ſanguinis Domini*. 2. Evange-

lium

lium ſolemniter & magna cum pompa ex altiori loco legunt. 3. Indignos a dignis ſeparant terribili iſta voce, *recedat pœnitentes, ſancta ſanctis*; quæ, in mente S. Chryſoſtomi, ſpeciem quandam præ ſe fert judicii extremi, in quo, Angelorum miniſterio, hœdi ab ovibus in æternum ſeparabuntur. Unde Yvo Carnotenſis ſerm. de excellentia ſacrorum Ordinum ait: *Apoſtoli & eorum ſucceſſores decreverunt, ut in omni matrice Eccleſia ſeptem Diaconi circa aram Chriſti ſublimiori gradu tanquam columnæ altari aſſiſterent ..... hi ſunt ſeptem Angeli, quos legimus in Apocalypſi tuba canentes ...... hi ſunt ſeptem candelabra aurea lucem Evangelii in manibus, id eſt in operibus præferentia .... hi quoque ſunt tonitrua ſeptem, beſtiales mentes terribili comminatione, vel quodam terribili tonitru commoventia.* 4. præſunt aſtantium precibus, monet ubi flectenda genua, ubi levanda, quando benedictionem Epiſcopus imperititurus eſt, ut ad eam ſe præparent: quando ab oratione diſcedere liceat, vel in ea perſeverandum, ut diebus jejunii, quibus cœtum non dimittunt hiſce verbis, *Ite, miſſa eſt*, ſed ut laudibus Divinis inſiſtat, commonent dicendo, *Benedicamus Domino*. 5. Juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam calicem ſeu ſanguinem Domini aſtantibus diſpenſabant. *Solemnibus impletis*, inquit S. Cyprianus ſerm. de lapſis, circa finem, *Diaconus calicem præſentibus offerre cupit*. In actibus paſſionis S. Laurentii, apud S. Ambroſium lib. 1. de Officiis cap. 41. iſthæc Martyris verba ad Xiſtum ſummum Pontificem leguntur: *Experire utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem*. Quin & corpus Domini ſub ſpecie panis diſtribuebant, ex S. Juſtino Apol. 2. idque eis concedit Concilium Carthaginenſe IV. Can. 38. *Diaconi*, inquit, *præſente Presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus erogat*. Conſule in hanc rem caput decimum ſextum de Euchariſtia.

Secundo, Diaconus ex officio baptizat etiam ſolemniter, non quidem ut ordinarius Miniſter, ſed

ex-

extraordinarius, ut late proſecuti ſumus Tractatu de Baptiſmo, ubi de Miniſtro, ad quem remittimus Lectorem.

Tertio, Diaconus eſt verbi Dei Miniſter, vi quidem ſuæ ordinationis, ſi prædicatio fiat per modum catecheſeos, & ſine illo apparatu, qui competit eis, qui ex cathedra conciones ad populum habent; ex S. enim Dionyſio, aut quovis auctore lib. de Hierarchia Eccleſiaſtica, ad officium ejus pertinet purgare, nempe a vitiis, quæ rudiores plerumque ex ignorantia contrahunt, atque eo titulo catechumenos exorciſmis olim ad Baptiſmum præparabant, ex lib. Eccl. dogmatum, inter opera S. Auguſtini: *Evangeliſtæ Diaconi ſunt*, inquit Auctor commentariorum in Epiſtolas S. Pauli apud S. Ambroſium ad cap. 4. Epiſtolæ ad Eph. *Quamvis non ſint Sacerdotes, evangelizare tamen poſſunt ſine cathedra.* Nam ſolemnis Evangelii prædicatio eſt præcipuum munus Epiſcopi, quod per ſeipſum niſi legitime impediatur, obire tenetur, ex Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de ref. & ſeſſ. 24. cap. 4. Ita ut ne quidem, præſente Epiſcopo, Preſbyteris id concederetur in quibuſdam Eccleſiis, ut in Africana, teſte S. Auguſtino, qui juſſu Valerii Hipponenſis Epiſcopi, & natione Græci, ac ſenectute gravati, in excuſationem adducit, quod nondum ipſe Epiſcopus, ſed ſolum Presbyter, præter morem conciones ad populum habuiſſet: at cum Epiſcopos aliquando legitimis impedimentis detineri contingat, Chriſtus ne alicubi unquam deſit prædicatio verbi Dei, adjutores ipſis dedit Diaconos, quos huic muneri delegarent, ſicut Apoſtoli Stephanum, quem Pontifex initiandis in exemplum proponit: „ Cogitate, *inquit*, B. Stephanum merito præcipuæ caſtitatis ab Apoſtolis ad officium iſtud fuiſſe electum, curate, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis „: bona quippe opera Evangelici præconis, ſunt verborum ejus explanationes, & dictorum certiſſima argumenta, ideoque pergit Pontifex: *Habete pedes veſtros calceatos Sanctorum exemplis in præparatione Evangelii pacis*:

atque

atque in hujuſce officii ſignum ſtola imponit ſuper humerum ſiniſtrum ordinati Diaconi: *Orarium*, inquit Concilium Toletanum quartum, *oportet Levitam geſtare, quia orat, id eſt, prædicat*: oratio quippe & ſermo, orator, & concionator ſunt termini ſynonimi.

Diaconus ergo in ſua inauguratione decoratur orario ſeu ſtola, quæ apud veteres erat quoddam Dignitatis inſigne, & ſolemnis habitus ampliſſimus, ut diſcat debere ſe eſſe paratum ad diſpenſandum verbum Dei, ubi munus illud fuerit ipſi demandatum. Propterea Sanctus Gregorius ægre ferebat Diaconos aliis ſtudiis a præcipuo illo officio avocari: *Valde reprehenſibile*, inquit lib. 4. epiſt. 440. *ut in Diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis, eleemoſynarumque ſtudium vacare congruebat*. Et Concilium Mediolanenſe quintum part. 3. pro examine initiandorum ad Diaconatum, ſic ſtatuit, *Diaconorum examen experimentumve fiat præterea aliquanto diligentius de Sacramentorum doctrina; experimentum item aliquod fiat in concionibus habendis, ex ratione Concionatorum examini infra præſcripta*. Ex quibus Hallerius e Societate Sorbonica Epiſcopus Cabellionenſis concludit paragrapho IX. de examine ordinandorum, eos qui Sacramentorum ſunt inſcii, & concionandi omnino imperiti, ad munus Diaconi eſſe inhabiles, minuſque idoneos.

Neque vero Patres hancce Diaconorum delegationem ad ſolam doctrinam coarctant, ſed eam extendunt ad omnem Paſtorum ſollicitudinem, ut verbum Dei prædicatum radicetur in animis, creſcat, & fructum afferat. S. Ignatius epiſtola ad Trallianos ſcribit, Epiſcopum in Eccleſia Chriſti, typum gerere; Sacerdotes tanquam ejus Conciliarios, unum corpus & Senatum cum eo conſtituere, cujus ipſe Præſes ſit & caput: Diaconos vero imitari miniſtrantes Angelos, quos Apoſtolus perhibet Hebr. 1. in omne miniſterium mitti propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.

Enimvero ex omnibus Clericis hi, de quibus hic eſt

eſt ſermo, ſimpliciter & abſolute vocantur Diaconi; Latine Miniſtri, quia ex inſtitutione ſua ſunt veluti a latere Epiſcopi in primo miniſterii gradu, ut, quæ utilia ille præſcripſerit ad regimen tum inferiorum Clericorum, tum populi, ipſi executioni mandent, quemadmodum in familia paterfamilias domeſtico, quem aliis præpoſuit, curam rerum gerendarum imponit. Non eſt bonum, judicio Apoſtolorum Principis Act. 6. Epiſcopum relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis pauperum, quibus tamen ex officio proſpicere tenetur, juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. Diaconi electi ſunt, ut ejus nomine huic operi incumberent, & res Eccleſiæ adminiſtrarent. Cum tempore perſecutionis Confeſſores in carcere detenti, recreandi eſſent, tum ſecundum corpus neceſſariis alimentis, tum ſecundum animam Euchariſtia & ſalutaribus conſiliis, Diaconos ad eos dirigebat Epiſcopus. Ex Sanct. Cypriano epiſt. 10. ſi pœnitentes periculoſe decumbebant, in abſentia Presbyterorum, Epiſcopus mittebat Diaconum, qui eorum confeſſionem exciperet, & manu ipſis impoſita in Pœnitentiam, Eccleſiæ reconciliaret. Ex eodem S. Cypriano epiſt. 11. ſi Parochiæ rurales Sacerdote carerent, iis Epiſcopus præficiebat Diaconos, qui in iis prædicabant, baptizabant, & Euchariſtiam a Sacerdote confectam diſtribuebant. Ex Conciliis Eliberitano, & Toletano IV. & ex Sancto Hieronymo Dial. contra Luciferianos, ſi Epiſcopus legitime decentus ad Cornelium proficiſci non poterat, per Diaconum, tanquam per fidem Miniſtrum Traditionem Eccleſiæ ſuæ teſtatam faciebat, ut patet ex pluribus Conciliis, quorum decretis Diaconi, nomine ſui Epiſcopi, ſubſcripſiſſe leguntur. Quin aliquando Diaconus cum Epiſcopo ſuo ad Concilium acceſſit, ut S. Athanaſius cum S. Alexandro ad Concilium Nicænum, non quidem ut cum Epiſcopis Judex rederet, ſed ut iis operam & induſtriam præſtaret ad ſolvendos difficultatum nodos, & controverſias dirimendas. Denique c. *Diaconi*, 2. diſt. 93. de Diaconis, ſic habetur: *Diaconi Eccleſiæ tanquam oculi ſint Epiſcopi; oberrantes, & circumluſtrantes cum verecundia*

dia actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentius, &c. præcipue vero deligebantur ad regendas Diaconiſſas, virgines, & inferiores Clericos, in quos etiam animadvertebant, ſi quid peccaſſent, ex lib. 8. Conſt. Apoſt. cap. 28. ubi habetur: *Diaconus excommunicat Subdiaconum, Lectorem*, &c. Hinc mos ille, qui etiamnunc ex parte viget, ut Diaconus, quæ aguntur in Clero & in plebe, accuratius edoctus, initiandos ad Diaconatum & Presbyteratum Pontifici efferret, eorumque virtutis ac votorum Eccleſiæ teſtimonium redderet.

Quæ cum ita ſint, merito Pontifex ſupra monebat Diaconorum eſſe, Eccleſiam veluti vivens Dei Tabernaculum portare ac munire *ornatu ſuo*, ſcilicet virtutum, quas requirit Apoſtolus Tim. 1. cap. 5. *prædicatu divino, exemplo perfecto*. Sed quis ad hæc idoneus?

Ordinationis Sacramentum ſingularem hanc gratiam confert iis, qui præparato animo, ut par eſt, ad illud accedunt; credendum quippe eſt Pontificem, quando manum imponit cuilibet initiando, efficaciter dicere: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*: Cum Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 4. anathemate eos percutiat, qui dixerint *per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, accipe Spiritum ſanctum*. Diacono autem Spiritus ſanctus datur ad robur ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus, quia cum ex dictis ad ejus miniſterium pertineat eorum executio, quæ Epiſcopus decreverit, ubique adverſarios patitur, contra quos opus eſt ei fronte ferrea & facie adamantina, quam Deus promittit Jeremiæ capite 1. & ea fortitudine ac Sapientia qua induit Steuhanum Act. 6. ſanctos Laurentium, Vincentium, & alios Diaconos, quos Eccleſia laudat, & in ordinatione proponit tanquam exemplaria, quæ initiandi imitentur.

Nec dicas, illas nunc dotes non exigi a Diaconis, quibus unum ſupereſt munus, ſcilicet miniſtrare ad altare, ibique Evangelium decantare; ideo enim

pau-

pauciora nunc creduntur Diaconis, quia ad plura non reperiuntur idonei, aut ſi qui ex iis congruentibus virtutibus fuerint inſtructi; ab Epiſcopis ſtatim aſſumuntur ad Paſtoralia munia, cum ipſis deſint Sacerdotes ita idonei. Sed manet Chriſti inſtitutum, manet eadem Sacramenti virtus & dignitas, idem conſecrationis ritus, quem Pontifex auſpicatur & præfatione, quæ juxta Eccleſiæ morem non præmittitur niſi auguſtioribus Myſteriis, ut Miſſæ ſacrificio, Sacerdotum conſecrationi. In ea autem enixe a Deo petit, ut emittat in initiandos, ſicut olim Spiritum ſanctum, quo ſeptiformis gratiæ munere roborentur: *Abundet in eis*, inquit, *totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſervantia diſciplinæ, in moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctam plebs acquirat*. Væ igitur eis, qui tam copioſæ gratiæ obicem ponunt; & Novatoribus occaſionem præbent calumniandi ſacratiſſimum huncce ritum tanquam ſcenam & ludum; piis vero Catholicis locum deflendi Leviticum Ordinem ipſis cæleſtibus Spiritibus ſpectabilem ita jacere ut homines, non dico mediocris eruditionis & virtutis, ſed nullius probatæ ſcientiæ & pietatis, ſacrum illum Ordinem invadunt, non ut in illo gradu conſiſtentes Deo ſerviant, de quo nequidem cogitarunt: ſed ut eo calcato quamcitiſſime ad ſuperiorem aſcendant, alioquin tam ipſi quam parentes aut amici de Epiſcopo conqueſturi, ſi moras interponat, & cauſſaturi loco meritorum, quibus carent, ſummam rerum inopiam, quæſtum æſtimantes Sacerdotium: *adeo deſpicitur miniſterium*, inquit Hallierus de probatione ordinandorum, ſect. 1. num. 9. *cui nullus par eſt, ut vix impar ei credatur, contemnitur Eccleſia, quæ Sacerdotum & Clericorum probro vel infamia conſpurcatur: viliſcit Chriſtus, cui tam vilia, tam ignavia mancipia conſecrantur; ad quem tam dejecti, tamque ignobiles legati mittuntur*.

§. VII.

§. VII.

De Diaconiſſis.

Q. 1. QUid *erant Diaconiſſæ , quarum Concilia & Scriptores Eccleſiaſtici frequentem faciunt mentionem?*

R. Diaconiſſarum nomen dupliciter accipitur; 1. pro uxoribus, quas Diaconi ante ſuam inaugurationem duxerant: quæ enim prius fuerant uxores Clericorum, vocabantur maritorum nomine, licet ab ipſis ſeparatæ, & perpetuam continentiam profeſſæ. Uxor Epiſcopi dicebatur Epiſcopa; Presbyteri, Presbytera; Diaconi, Diacona ſive Diaconiſſa; Subdiaconi, Subdiacona. *Si inventus fuerit*, inqnit Concilium Turonenſe ſecundum can. 20. *Presbyter cum ſua Presbytera , aut Diaconus cum ſua Diaconiſſa , annum integrum excommunicatus habeatur;* ambo quippe, Clericus ſcilicet & ejus uxor apud Latinos perpetuam continentiam profiteri tenebantur. 2. Diaconiſſarum nomine intelliguntur mulieres, ſive viduæ, ſive virgines, Deo dicatæ ad aliquod Eccleſiæ miniſterium, circa quas inſtituti noſtri ratio poſtulat ut nonnulla elucidemus. Itaque.

Q. 2. *Uſus Diaconiſſarum eſtne perantiquus?*

R. Cœpit ab Apoſtolis, & in univerſali Eccleſia, Latina ſcilicet & Græca, obtinuit pluribus ſæculis.

Probatur, quia ejuſmodi Diaconiſſarum fit mentio Rom. 16. verſ. 1. *Commendo autem vobis*, inquit Apoſtolus, *Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*, Plura etiam de Viduis ſcribit idem Apoſtolus 1. ad Tim. quæ videntur non poſſe intelligi niſi de Diaconiſſis; poſtquam enim docuit c. 3. quibus virtutibus ornatus eſſe debeat Diaconus, iſta ſtatim ſubjungit v. 11. *mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus;* ut quid enim agens de Diaconis, mulierum illarum meminit, niſi quia ſimile quoddam habebant miniſterium? & cap. 5. verſ. 9. *Vidua eligatur non minus 60. annorum*

quæ

quæ fuerit unius viri uxor: in operibus bonis teſtimonium habens? &c. quæ cap. 3. a Diaconis exegerat. De aliis vero Viduis ſic habet: *adoleſcentiores autem viduas devita, cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto* (id eſt, cum Eccleſiæ bonis, quæ ſunt Chriſti, ſaginatæ fuerint) *nubere volunt habentes dominationem: quia primum fidem irritam fecerunt*. Hinc Apoſtolus diſtinguit inter Viduas: aliæ ob paupertatem alebantur ab Eccleſia, etiamſi eſſent bigamæ, nedum ſexageſimum annum attigiſſent, aliæ inter ceteras eligebantur unius viri, ſexagenariæ, probatæ virtutis, & voto caſtitatis conſtrictæ. Ad quid autem tot titulis conſpicuas requirit Apoſtolus, niſi propter aliquod ſpiritale miniſterium? Porro viduas potius commemorat, quam virgines: quia virginitatis profeſſio non evaſit communis, niſi adultam jam Eccleſia Chriſtiam; proptereaque ſatis fuit Apoſtolo, ut mulieres ad ſpiritualem miniſterium eligerentur, quæ fuiſſent unius viri, quemadmodum præſcribit non aſſumendos in Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui fuerint plurium uxorum viri: ſed ubi virginitas paſſim in agro Eccleſiæ efflotuit, Diaconiſſæ electæ ſunt, tum ex virginibus, tum ex viduis unius viri, modo quadrageſimum ætatis annum agerent; ſic enim habetur lib. 6. Conſtit. Apoſt. cap. 17. *Diaconiſſa eligatur virgo pudica: ſi autem non fuerit virgo, ſit ſaltem vidua, quæ uni nupſerit*. Et S. Epiphanius in expoſitiones Fidei: *illæ quidem*, inquit, *univiræ & continentes eſſe debent, vel poſt unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines*.

Q. 3. *Quandonam defierunt Diaconiſſæ?*

R. Senſim ſine ſenſu deſierunt, cum baptiſmatis ſtati dies Paſchatis & Pentecoſtes non ſunt amplius obſervati, ſed infantes ſtatim a nativitate baptizari cœperunt, & baptiſmus non per immerſionem, ſed per infuſionem collatus eſt. Nec probabilis eſt eorum ſententia, qui opinantur Diaconiſſas abrogatas eſſe, vel in Concilio Laodiceno, ineunte quarto ſæculo; vel in Concilio Arauſicano: vel in Epaunenſi, ſexto ſæculo in Burgundia, vel in Turonenſi ſecundo; cum Concilium Carthaginenſe quartum can. 12. Sanctus Epiphanius

nius ſupra laudatus, Concilium Chalcedonenſe can. 15. referturque 27. quæſt. 1. c. *Diaconiſſam*, & quiniſextum can. 14. anno 692. Diaconiſſarum meminerint. Quare Zonaras & Balſamon Concilium Laodicænum interpretantur de aliis viduis, quam de Diaconiſſis, quarum eſt hic ſermo. Verba Concilii Turonenſis manifeſte declarant ipſum non loqui de Diaconiſſis, ſic enim habet: *cum omnes ſciant quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis*; atqui nullus ignorat in antiquis Euchologiis Græcorum, & libris ritualibus Latinorum extare ritum conſecrandi Diaconiſſas. Alia autem Concilia vel vetant dumtaxat, ne Diaconiſſæ contra Canones ordinentur, puta quadraginta annis minores, vel ſi abſolute eas abrogant, lex illa in aliis Provinciis non obtinuit.

Q. 4. *Quæ fuerunt Diaconiſſarum miniſteria?*

R. Diaconiſſæ 1. erant Oſtiariæ reſpectu mulierum: quandiu in templis fuerunt a viris ſeparatæ, quemadmodum nunc Moniales, ut conſtat ex epiſtola, quæ ſub nomine Sancti Ignatii circumfertur ſcripta ad Antiochenos: *Saluto*, inquit, *ſanctarum portarum cuſtodes Diaconiſſas; ſaluto Chriſto acceptas virgines*. 2. Mulieres in ſacrum baptiſmatis fontem immergendas exuebant, & eductas ſuſcipiebant; ex S. Epiphanio hæreſi 79. 3. Ruſticanas & imperitas mulieres docebant, ex Concilio Carthaginenſe tertio can. 12. *Viduæ*, inquit, *vel ſanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticanas mulieres tempore, quo baptizandæ ſunt*. 4. Diaconiſſis utebatur Epiſcopus reſpectu mulierum, quomodo Diaconis reſpectu virorum, ex lib. tertio conſtitut. Apoſt. c. 15. ubi ſic habetur: *Eliges quoque Diaconiſſam fidelem & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus. Evenire enim ſolet aliquando in quibuſdam domibus, ut non poſſis, propter infideles, mittere Diaconum ad mulieres, mittere vero poſſis Diaconiſſam, propter cogitatione improborum. Ad multa enim indigemus Diaconiſſa.*

Q. 5. *Diaconiſſarum ſtatus eratne Ordo Sacerdotalis ſeu Clericalis?*

R. Mi-

R. Minime: probaturque 1. ex S. Epiphanio citata hæreſi 79. *Quanquam*, inquit, *Diaconiſſarum in Eccleſia Ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt*. 2. quia Ordines ſunt progreſſiones & gradus ad Sacerdotium, Euchariſtiamque conficiendam: atqui Diaconiſſæ non ordinantur ad Sacerdotium, aut ad ullam ejus adminiſtrationem: ex S. Epiphanio: ergo earum ſtatus non erat Ordo Sacerdotalis ſeu Clericalis, quamvis ſimilibus officiis fungerentur erga mulieres, quibus Oſtiarii & Lectores erga viros: ſed iſta præſtabant, quomodo nunc Laici etiam conjugati portas chori obſerant, & arcent populum, ne propius ad altare accedat.

Q. *Quo jure mulieres arceantur ab Ordinibus?*

R. Jure divino ſaltem poſitivo.

Probatur 1. ex Scriptura 1. Cor. 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant; non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe .... turpe enim eſt mulieri loqui in Eccleſia* 1. Tim. 2. *docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio*. Epheſ. 5. *ſicut Eccleſia ſubdita eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus*.

Probatur 2. ex Traditione. Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 9. Tertullianus lib. de præſcript. cap. 41. & de velandis virginibus c. 8. S. Ambroſius, vel quiſquis Auctor in cap. 3. primæ ad Timoth. S. Epiphanius hæreſi 76. S. Auguſtinus lib. de hæreſibus c. 27. inter hæreſes numerant dogma, quo aſſeritur mulieres capaces eſſe Sacerdotalibus officiis; Hæreticoſque, ut Collyridianos, Gnoſticos, qui mulieres ſacris præficiebant, gravibus verbis inſectantur: *ipſæ mulieres hæreticæ, quam procaces*, inquit Tertull. lib. de præſcript. cap. 41. *quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere*.

Probatur 3. ratione duplici: 1. quia ſi ſolo jure Eccleſiaſtico mulieres excluderentur ab Ordinibus, ordinatio earum eſſet valida, quamvis illicita, quemadmodum ordinatio bigami, quæ ſolo jure Eccleſiaſtico prohibetur: atqui repugnat omnium Catholicorum ſenſui, mu-

mulieris ordinationem ſubreptitie factam eſſe ratam, characteremque Sacerdotalem impreſſiſſe. Ergo. 2. quia Sacerdos eſt ſponſus ſaltem miniſterialis Eccleſiæ ſibi *commiſſæ*; gerit enim vices Chriſti, qui per Sacerdotium ſuum Eccleſiam ſic exhibuit ſponſam glorioſam ſine macula & ruga, Eph. 5. atqui hæc denominatio non competit mulieribus: ergo Sacerdotium Chriſti in eas derivari nequit.

Dixi mulieres arceri a Sacerdotio jure Divino, ſaltem poſitivo, quia dubium eſſe poteſt, num excludantur etiam jure naturali: namque a mundo condito ad hæc uſque tempora nulla mulier apud veræ religionis cultores functa fuit officio Sacerdotali: non in *lege* naturæ, neque in lege ſcripta, neque in lege Evangelica, in qua cum beatiſſima Virgo Maria ſupra non ſolum omnes homines, ſed etiam omnes Angelos, ſanctitate, ſapientia, & omni gratiarum genere excelleret, Sacerdotalia tamen munera non exercuit, nequidem Jeroſolymis, ubi uſque ad vitæ exitum ſedem fixiſſe creditur.

Iſtud argumentum ad minus probat jure naturali convenientiſſimum eſſe ut mulieres Sacerdotalia munera non obeant, propter naturalem ad virum ſubjectionem, ſexus verecundiam, innatam levitatem & inconſtantiam. Utrum autem jura naturalia violarentur, *quemadmodum* aſſerit Auctor Conſtit. Apoſt. lib. 3. cap. 3. ſi Sacerdotium mulieribus conferretur, ita evidens non eſt, namque in quibuſdam regionibus mulieres hæreditario jure ad regni ſolium deveniunt, ac in viros imperium habent. In lege veteri Debora Judic. 4. volente & auxiliante Deo, populum Iſraeliticum feliciter rexit; in lege quoque nova quædam Abbatiſſæ non ſolum Monialibus, ſed & Presbyteris, & aliis clericis præficiuntur: quin ex cap. *Dilecta*, tit. de majoritate & obedientia, jus habent ſuſpendendi ab Officio & a Beneficio. „ Dilecta in Chriſto filia „ Abbatiſſa de Boubrigenſi, *inquit ſummus Pontifex*, „ tranſmiſſa nobis petitione monſtravit, quod cum „ ipſa plerumque Canonicas ſuas, & Clericos ſuæ ju„ riſdictioni ſubjectos, propter inobedientias & culpas

„ eorum, officio beneficioque ſuſpendat: iidem conſiſi
„ ex eo quod eadem Abbatiſſa eos excommunicare non
„ poteſt, ſuſpenſionem hujuſmodi non obſervant; pro-
„ pter quod ipſorum exceſſus remaneat incorrecti. Quo-
„ circa mandamus, quatenus dictas Canonicas & Cleri-
„ cos, ut Abbatiſſæ prælatæ obedientiam & reveren-
„ tiam debitam impendentes, ejus ſalubria monita &
„ mandata obſervent, Eccleſiaſtica cenſura compellat.

Verum utut ſit de adminiſtratione rerum temporalium, & de ſpirituali quodam foro externo, ubi mulieres virorum conſiliis, ſapientia, ac fortitudine uti poſſunt; earum animus anguſtior eſt & inſtabilior, nimiſque fanaticis illuſionibus patet, quam ut ſupernaturalia fidei myſteria explanent, quæ fori interni ſunt, ad quæ Conſiliarios adhibere nequeunt, definiant, intricatas conſcientias expediant, & ad finem ſupernaturalem dirigant: nedum viri in iis mulierum conſiliis crederent, ipſæmet mulieres tantam fidem mulieribus non habent, ideoque tam Abbatiſſæ, quam Moniales ipſis ſubditæ, indigent Sacerdotum & Confeſſariorum ope, qui conſcientias earum componant, & ſcrupulos evellant. Quare juri naturali abſolute repugnat mulierem fungi Sacerdotio.

Nec ſententiæ noſtræ adverſatur laudatum caput; nam præterquamquod quæ ibi referuntur, ſpectant forum externum, in quo mulier juvari & regi poteſt Sacerdotum conſilio ac prudentia; ex eo conſtat ſuſpenſionem, de qua ibi agitur, non eſſe veram cenſuram, cujus violatio inducat irregularitatem, ſed quandam pœnam œconomicam; quod ſummus Pontifex Abbati mandet, ut Clericos Eccleſiaſtica cenſura compellat ad obediendum Abbatiſſæ ipſis prælatæ.

Objicitur exemplum S. Joannis Evangeliſtæ, quem Chriſtus licet Apoſtolum, Beatæ Virgini ſubdidit tanquam matri: atqui in æternam hujuſce inſignis facti memoriam, Eccleſia quoſdam Monialium Ordines inſtituit, in quibus Sacerdotes & Clerici Abbatiſſæ uti matri parerent. Sed quid inde? Chriſtus ipſe ſummus Sacerdos legitur fuiſſe ſubditus parentibus, ſcilicet Beatæ Virgini matri, & ſancto Joſepho ſuo nutritio,

an

an propterea Sacerdotium ejus ipſis ſubdebatur, ita ut eo fungi non poſſet niſi ad eorum nutum? Hoc exemplo diſcant, hinc Sacerdotes reverentiam & obedientiam, quam debent parentibus; gratia quippe non deſtruit naturam, ſed perficit: inde parentes auctoritatem paternam non debere extendere ad ea, quæ filiis uti Sacerdotibus competunt; neque enim Beata Virgo imperavit ſive Chriſto Domino in iis, quæ Patris ejus erant, ſive S. Joanni Evangeliſtæ, quantum ad ea quæ Apoſtolicum munus ſpectabant. Quod ſi in iis peccent parentes; reverenter (ut decet filios,) moneant Sacerdotes filii, non dure & ſuperbe increpent.

§. VII.

De Presbyteris.

Q. 1. QUid ſignificat nomen Presbyteri?

R. Presbyter Græce idem eſt ac Latine *ſenior*, Presbyter ergo ſecundum etymon, eſt nomen ætatis: ſecundum vero acceptionem, eſt nomen officii ac præfecturæ. Magiſtratus enim & in Republica Præfecti ſeniores vocari ſolent, ut denotetur morum gravitas, quæ eis competit, & in ſenibus magis elucet. Hinc *Diaconi* & alii Clerici inferiores nunquam *Preſbyteri* appellantur; quia ipſorum eſt miniſtrare: præeſſe autem cum ſit Epiſcopi & Simplicis Sacerdotis, Epiſcopus in Scripturis nonnunquam Presbyter nominatur, ut Epiſt. 2. & 3. S. Joannis, & 1. Tim. 4. v. 14. Timotheus dicitur inauguratus Epheſiorum Epiſcopus per impoſitionem manuum Presbyterii. Sed frequentius Sacerdotes Epiſcopo inferiores dicuntur Presbyteri, ut 1. Tim. 5. *adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Et ita uſus obtinuit, ut ſoli Sacerdotes inferiores ſimpliciter nominentur Presbyteri.

Q. 2. *Quid eſt Presbyteratus?*

R. Eſt ordo, quo datur poteſtas conſecrandi corpus Chriſti & remittendi peccata.

Q. 3. *Quot ſunt Presbyteri officia?*

R. Quinque ex Pontificali Romano, in quo ſic habetur, *Sacerdotem etenim oportet offerre, Benedicere, Præeſſe, prædicare, Baptizare:* quæ ſigillatim nobis ſunt exponenda.

§. IX.

De primo Presbyteri officio.

OFferre eſt Presbyteri officium primarium, ex quo reliqua pendent; Sacerdotium quippe & ſacrificium ita conjuncta ſunt & indivulſa, ut nequidem Chriſtus Dominus Sacerdos eſſet, teſte Apoſtolo Heb. 8. v. 3. niſi haberet quod offerret: *omnis enim Pontifex,* inquit, *ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur; unde neceſſe eſt & hunc* (Chriſtum) *habere aliquid quod offerat.* Quis autem explicet hujuſmodi miniſterii præſtantiam, cum ipſimet Apoſtolo, licet ad tertium cælum rapto, *viſa ſit ininterpretabilis ad dicendum?* verba illius ſunt Heb. 5. v. 11.

Ineffabilia quidem ſunt ſingula dona Chriſto homini collata; ſed Sacerdotium ceteris eminere ex eo probat Apoſtolus, quod Pater non ſine jurejurando illud Chriſto promiſerit, quaſi eſſet creditu difficilius, & ab omnium intelligentia magis disjunctum: „ quantum eſt, *inquit*, *Heb.* 7. v. 20. & 21. non ſine jurejurando ... per eum qui dixit ad illum, juravit „ Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, hoc eſt, quanti a nobis fieri debet ille Sacerdotii titulus, propter quem Deus ipſe ſumma veritas juramentum interpoſuit?

Enimvero quod Chriſtus ſit Rex, Legiſlator & Judex, id ipſi debebatur jure nativitatis temporalis, in qua vi incarnationis natus eſt Filius Dei naturalis, nec magnum illi fuit, ut ab omnibus acciperet honorem, obſequium & rerum ab ipſis geſtarum rationem: quod vero conſtitutus ſit Sacerdos & hominum mediator, qui per ſacrificium ſuum peccatores Deo reconciliaret, omnia peccata deleret, & ex maſſa corruptionis Eccleſiam glorioſam ſibi ſponſam exhiberet,

ex qua naſcerentur filii Dei naturæ divinæ conſortes, regni cæleſti hæredes, veri adoratores in ſpiritu, captum humanum omnino ſuperat; ideoque Deus promiſſum ſuum juramento confirmare voluit.

Atqui ſtupenda illa gratiarum miracula Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, uſque ad conſummationem ſæculi operatur, ſacrificium ſuum offerens Miniſterio Presbyteri, qui unus eſt cum illo Dei & hominum mediator, & unus Sacerdos, eo modo, quo inſtrumentum eſt quid unum cum cauſſa principe movente & applicante.

Dominus ad Moyſen, quem conſtituebat Deum Pharaonis, & ſalvatorem populi ſui, ait Exod. 4. v. 17. *virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* Et Moyſes revera per hancce virgam terram Ægypti prodigiis replevit, flumina in ſanguinem convertit, mare rubrum diviſit, aquam e petra eduxit. Quid vero Presbyter offerens, niſi inſtrumentum vivens in manu Chriſti Salvatoris noſtri, & primarii Sacerdotis, quo utitur ad patranda recenſita gratiarum prodigia? Quando Apoſtolus nondum Sacerdotio inauguratos ad prædicandum miſit, dedit eis poteſtatem e corporibus expellendi dæmones, & omnes languores, quin & mortuos ſuſcitandi: ubi autem Sacerdotes conſtituit, innovat ſigna, mutat mirabilia, per eos quippe animas peccato mortuas ſuſcitat, ex iis Dæmones ejicit, ſpirituales morbos curat, genus humanum reformat, naturam immutat, panem in ſuum corpus ex Maria Virgine natum, vinum in proprium ſanguinem convertit, ac juge ſacrificium ipſe Sacerdos & hoſtia offert valoris infiniti, ac divina majeſtate dignum.

Dicat ergo cum Propheta Pſal. 70. initiandus in Presbyterum, *introibo in potentias Domini:* mirentur univerſi, glorificentque Deum, qui poteſtatem talem dedit hominibus, qua major excogitari non poteſt, extenſior quidem eſt in Epiſcopo, ſed non intenſior, ut ſupra diximus, *Quanta eſt prærogativa Ordinis veſtri!* inquit ſanctus Bernardus, vel quivis Auctor ſerm. 1. ad Paſtores in Synodo congregatos: „ *prætulit*

„ vos Regibus & Imperatoribus : prætulit Ordinem „ veſtrum omnibus Ordinibus, (immò ut altius lo- „ quar) prætulit vos Angelis & Archangelis, Thronis „ & Dominationibus; ſicut enim non Angelos, ſed „ ſemen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptio- „ nem, ſic non Angelis, ſed hominibus, ſoliſque Sa- „ cerdotibus Dominici corporis & ſanguinis commiſit „ conſecrationem : omnes enim ſunt adminiſtratorii „ ſpiritus in miniſterium miſſi : ſed longe excellen- „ tius eſt officium veſtrum, quod admirabile eſt non „ ſolum in oculis veſtris; ſed etiam Angelorum. „

Ad ejuſmodi donorum prodigia cum gratiarum actio- ne contemplanda Pontifex conſecrationem auſpicaturus aſtantium mentes erigit: „ Surſum corda, *inquit*, gra- „ tias agamus Domino Deo noſtro: & *ad Deum men- „ te ſuſpenſus pergit*: vere dignum & juſtum eſt, æ- „ quum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias „ agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne „ Deus, honorum auctor, & diſtributor omnium di- „ gnitatum; & *nonnullis interjectis*, quapropter in- „ firmitati quoque noſtræ, Domine, quæſumus, hæc „ adjumenta largire, quæ quanto fragiliores ſumus, „ tanto his pluribus indigemus. Da, quæſumus, om- „ nipotens Pater in hos famulos tuos Presbyteri digni- „ tatem. Innova in viſceribus eorum ſpiritum ſancti- „ tatis, ut acceptum a te, Deus, ſecundi meriti mu- „ nus obtineant cenſuramque morum exemplo ſuæ con- „ verſationis inſinuent. *Et ad initiandos converſus ait*: „ cum magno timore ad tantum gradum aſcendendum „ eſt, ac providendum, ut cæleſtis ſapientia, probi „ mores, & diuturna juſtitiæ obſervatio ad id electos „ commendent.

Hinc Pontifex ſeu Eccleſia per Pontificem ab initian- dis Presbyteris non exigit dumtaxat corda per confeſ- ſionem ſacramentalem recens purgata, & ex peccandi conſuetudine male olentia, peccatorumque reliquiis adhuc implicata; abſit enim a Sacerdotio tanta inju- ria: ſed provectam virtutem neceſſariam monet, cujus ſemina a tonſura ſaltem Clericali jacta fuerint, ac deinceps piis exercitationibus irrigata germinaverint, in

die

die creverint, ac pro altiori Ordinis gradu fructus fecerint uberiores, domumque Dei jucundo ſuo odore recreaverint. Unde Concilium Mediolanenſe quintum pro examine conſecrandorum Presbyterorum ſic præſcribit, ab iis, qui Sacerdotio initiari volunt, „ hæc ſtudioſe ſigillatim perquirantur, an pie & fideliter in „ miniſteriis anteactis ſe geſſerint: an ſpectata pietate, atque caſtis moribus; an præclarorum bonorum „ operum exemplum & vitæ documenta ab iis expectari poſſint.... an ſacræ confeſſionis aliquam peritiam habeant: an ad alia Sacramenta recte riteque „ miniſtranda idonei ſint: an earum cognitionem explicatiorem habeant, an doctrinam item teneant, „ qua verbum Dei recte tractare, concionemque habere poſſint: atque de re ſacra, de Chriſtianorum virtutum officiis, atque de omni re ad ſalutem neceſſaria apte populum inſtruere aut docere poſſint.... „ præter cetera, quæ ad ſanctæ ſpiritualis vitæ uſum „ pertinent, ea maxime explorentur, quæ de orandi „ modo, neque omni ſanctarum meditationum, cæleſtiumque contemplationum exercitatione ab aliis, „ qui in eo genere religioſe ſeſe exercuerunt, tradita „ ſunt. „ Recte equidem, ſi enim Laicis non conceditur ad menſam Domini ſingulis diebus accedere, niſi ſint purioris vitæ, & piis meditationibus cavere ſoleant, ne rerum exteriorum cura ardorem devotionis extinguat, aut remittat, quanto magis iſta requirenda ſunt ab eo, qui quotidie non ſolum ſaginandus eſt corpore & ſanguine Domini, ſed etiam illa oblaturus in ſacrificium ipſe una cum Chriſto Sacerdos & hoſtia? nam ex ſancto Auguſtino ſæpius laudato, Tractatu de Miſſa, ſacrificium exterius eſt ſignum ſacrificii interioris, hoc eſt, Sacerdos, cum in altari Chriſtum Deo Patri exterius immolat, ſignificat ſe ſuaque omnia cum re oblata devovere: *Imitamini quod tractatis*, ait Pontifex ad initiandos, *quatenus mortis Dominicæ myſterium celebrantes, mortificare membra veſtra a vitiis, & concupiſcentiis omnibus procuretis.* Et ita Sacerdos quotidie Chriſtum debito modo offerens, quotidie vere dicat, *Chriſto confixus ſum*

cruci : mihi mundus crucifixus eſt, Gal. 2. & 6.

Liquet ergo cum quanto Dei contemptu, tremendi myſterii injuria, Eccleſiæ dedecore, & ſpirituali Fidelium detrimento Sacerdotium invadant homines doctrina & pietate rudes, intimæ ſuavitatis ex colloquiis divinis inexpertes, rerum terrenarum affectibus lutei ac ſordidi: ut caveant Epiſcopi ab ejuſmodi etiam in Diaconos aſſumendis, quanto magis in Presbyteros clamat Apoſtolorum Princeps. Act. 6. *conſiderate ergo, Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ... plenos Spiritu Sancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.*

Nec cujuſquam animum moveat Sacerdotum penuria; inepti quippe & indigni, nedum Eccleſiæ ſint utiles, quin maxime noxii, Epiſcoporum onus præ ceteris peccatoribus gravant, & paſtoralem eorum ſollicitudinem plerumque reddunt irritam. Epiſcopus enim luſtret quam ſæpiſſime parochiam, ſtatuat utilia quæque; nihil proficiet, ſi Parochus ſit, non dico *flagitioſus*, ſed parum pius, ac remiſſus. „ Melius eſt er„ go Dominum Sacerdotes paucos habere Miniſtros, „ qui poſſint opus Dei digne exercere, quam multos „ inutiles, qui onus grave ordinatori adducant. C. Ta„ lem, *diſt.* 23. & *ſanctus Leo epiſt.* 85. *de impiorum or*„ *dinationibus; refertur que* C. Miramur, *diſt.* 61. Non „ eſt hoc, *inquit*, conſulere populis, ſed nocere; nec „ præſtare regimen, ſed augere diſcrimen, *Similia ha*„ *bet Gelaſius ſummus Pontifex epiſt.* 1. *quæ refertur* C. „ Monachus, *diſt.* 77. *his verbis :* Convenientia Ec„ cleſiæ miniſteria reparanda ſunt, non inconvenien„ tibus meritis ingerenda... ne per occaſionem ſup„ plendæ penuriæ Clericalis, vitia potius divinis cul„ tibus intuliſſe, non legitima familiæ Domini compu„ temur procuraſſe compendia.

§. X.

De ſecundo Presbyteri officio.

1. PResbyteri eſt benedicere perſonas, & quæcumque in earum uſum veniunt. Munus illud, in

in quolibet legis ſtatu fuit Sacerdotio annexum. In lege naturæ Melchiſedech Gen. 14. benedixit ipſimet Abrahæ, qui pater omnium credentium fuerat deſignatus, & a Deo benedictus. Unde ergo id muneris ſibi ſumpſit Melchiſedech (nam *ſine... contradictione*, inquit Apoſtolus, Hebr. 7. *quod minus eſt a meliore benedicitur*:) hancce rationem reddit Scriptura: *erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*. In lege ſcripta Deus idem munus aſſerit Sacerdotibus Leviticis; iis præſcribit benedicendi formam, Num. 6. v. 23. *Sic benedicetis filiis Iſrael*, inquit, *& dicetis eis*, &c. promittitque v. 26. ſe confirmaturum eorum benedictionem: *invocabuntque nomen meum ſuper filiis Iſrael, & ego benedicam eis*. Enimvero Sacerdotes ex primario ſuo officio offerunt Deo hoſtias placabiles: gratias ergo ab eo referunt, divina quippe liberalitas ac munificentia noſtris donis non vincitur. Quis igitur, niſi Hæreticus negaverit benedicendi poteſtatem & officium a fortiori competere Sacerdotibus Evangelicis, cum lex Evangelica in melioribus repromiſſionibus ſancita ſit, cum ejus Sacerdotes offerant hoſtiam per ſe infinite propitiatoriam, & impetratoriam, cum acceperint claves regni cælorum, ut illud referent pro Ordinis ſui gradu, ac modo? (nam benedictiones quædam reſervatæ ſunt ſummis Sacerdotibus.) Ita fuit ſemper univerſalis Eccleſiæ fides & praxis: hic omnium Fidelium ſenſus, qui a temporibus Apoſtolorum uſque ad noſtras pro magno habuerunt, ſi ipſi ſuaque a Sacerdotibus benedicerentur; ipſi Reges & Imperatores imperium ſuum fauſtum non fore exiſtimant, niſi prius a Sacerdote fuerint benedicti & conſecrati: atque Eccleſia, ut Sacerdotes munificentiſſimum iſtud officium æſtiment, ut par eſt, eoque dignos ſe exhibeant, manus Presbyteris conſecrandas duxit ritu adeo ſolemni ac auguſto, ut ſpectatores intimo religionis ſenſu commoveri ſoleant uſque ad lacrymas. Pontifex quippe ſurgit, depoſita mitra, & flexis genibus, Spiritum Sanctum ſupplex invocans incipit *Veni Creator Spiritus*, & ſchola hymnum proſequente ſurgit, & manus cujuslibet Presbyteri oleo ſancto conſecrat his

magnificis verbis : „ Conſecrare & ſanctificare digne- „ ris, Domine, manus iſtas per iſtam unctionem, & „ noſtram benedictionem, ut quæcumque benedixerint, „ benedicantur, & quæcumque conſecraverint, conſe- „ crentur & ſanctificentur in nomine Domini noſtri „ Jeſu Chriſti . „ Quid hic amplius mirabitur Sacer- dos ? an virtutem manibus ſuis divinitus impreſſam ? an ſanctitatem ſacra unctione & precibus Eccleſiæ iis inditam ? an conſecrationem ad cetera conſecranda & ſanctificanda ordinatam ? nonne horreret ſacrilegium, quo quis abuteretur calice, & aliis vaſis ſacris ad uſus nefandos, vel etiam profanos ? atqui manus ejus ſunt calice ſacratiores : horreat ergo illas movere non ſolum dico ad injuſte percutiendum, aut ad turpia patranda, ſed & ad profana tractanda, niſi ad Dei cultum & gloriam referantur ; memineritque Baltaſſaris Regis Babylonis, cujus impietates Deus ſuſtinuit, donec vaſa ſacra templi Jeroſolymitani ad profanum ſuum convivium adhibuerit, Dan. 5.

§. XI.

De tertio Presbyteri officio.

3. OPortet Presbyterum præeſſe : non enim ordinatur ad miniſtrandum, ſicut Diaconi & inferiores Clericis, ſed ad regendum ſub manu Epiſcopi populum, & inferiores Clericos ſuæ curæ commiſſos : ita enim Pontifex initiandos commonet : „ Tales eſſe „ ſtudeatis „ ut in adjutorium Moyſis & duodecim „ Apoſtolorum „ Epiſcoporum videlicet Catholicorum, „ qui per Moyſen & Apoſtolos figurantur, digne per „ gratiam Dei eligi valeatis ; *ac poſtea in oratione*, „ *quam pro iis fundit*, 1. *celebrat Dei laudes*, *quod* „ cum Pontifices ſummos ; *inquit Deum alloquens*, re- „ gendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis & „ operis adjumentum, ſequentis Ordinis viros, & ſe- „ cundæ dignitatis elegeris. Sic in eremo per ſeptua- „ ginta virorum prudentum mentes Moyſi ſpiritum „ propagaſti, quibus ille adjutoribus uſus, in populo

„ innu-

„ innumeras multitudines facile gubernavit. *Deinde* „ *precatur in hunc modum*: quapropter infirmitatis „ quoque noſtræ, Domine, quæſumus, hæc adjumen„ta largire, qui, quanto fragiliores ſumus, tanto „ his pluribus indigemus. „ Ex quibus perſpicuum eſt non eſſe initiandos Presbyteros, niſi qui & Eccleſiæ utiles, & Epiſcopis adjumentum eſſe poſſint. Quid ſit autem præeſſe ac regere, quæve dotes ad id muneris requirantur, fuſe expoſuimus in 3. part. Tractatus de juſtitia & Jure c. 11. §. 2. ad quem remittimus Lectorem, propter ſcitu neceſſaria, quæ ibi tractantur.

§. XII.

De quarto Presbyteri officio.

4. PRædicationis munus Presbytero incumbit, ſequiturque neceſſario ex præcedenti: quamvis enim aliud ſit regere, aliud prædicare, ut demonſtravimus citato mox loco de Juſtitia & Jure, fieri tamen nequit, ut Presbyter plebem ſibi ſubditam regat ſine miniſterio verbi, ſive illud per ſe, ſive per alium, ubi legitime impeditus eſt, ſtrenue impleat: alioquin ſubliniorem in domo Dei obtinebit locum velut idolum, cui tribuuntur varia nomina, eaque ſplendida, ac plena dignitatis, quamvis ne unius quidem nominis vim & appellationem exprimat.

Enimvero ſi Præſes Paſtor dicitur, verbo paſcat neceſſe eſt, quia *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Matth. 4. *Sicut anima vita eſt corporis*, inquit ſanctus Auguſtinus, *ſed non vivificat ſine cibo corporali; ita Deus vita eſt animæ, ſed non vivificat illam ſine cibo ſpirituali, id eſt, verbo Dei*; adeo ut ex S. Hieronymo in cap. quartum ad Epheſios, *Qui Paſtor eſt, debet eſſe & Magiſter, nec in Eccleſiis, quamvis ſanctus ſit, paſtoris ſibi nomen debet aſſumere, niſi poſſit docere quos paſcit:* illudque probat ex Apoſtolo, qui non ait Deum dediſſe alios Paſtores, alios Doctores, ne Paſtorem

a Doctore ſejungere; ſed indicat Paſtorem & Doctorem eſſe duo nomina unius & ejuſdem perſonæ: *alios Paſtores & Doctores;* ſecundum illud Jerem. 3. *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Si Paſtor eſt Pater, filios adoptionis non parit, niſi verbo veritatis: *per Evangelium ego vos genui*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 4. fruſtra opponit miniſterium Baptiſmi, quo regenerat in adoptionis filios, quia parricida erit, niſi quos ſacro fonte abluit, eos per doctrinam Chriſtianis moribus imbuat. Si Medicus eſt, ſine verbo Dei non ſanat, nec Sacramentum pœnitentiæ proderit, niſi eis, quos „ verbi Dei prædicatione apte præparaverit. Si ſpeculator ad domum Dei cuſtodiendam, clamare non ceſſet, juxta præceptum Domini Ezech. 33. „ Speculatorem, *inquit*, dedi te domui Iſrael, audiens „ ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex „ me: ſi . . . . . . non fueris locutus ut ſe cuſtodiat impius a via ſua, ipſe impius in iniquitate „ ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua „ requiram. „ Si dux eſt plebis ſibi commiſſæ, viam ſalutis doceat, errantes verbo veritatis opportune & importune revocet; laſſos & infirmos ſalutaribus conſiliis & adhortationibus ſuſtentet, recreetque: adverſus hoſtes infeſtantes gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, induſtrie ac fortiter ſtringat; *nec pulerius ſagittat*, inquit ſanctus Auguſtinus, *quam qui verbo ſagittat*. Si lux eſt, ſine continua doctrina parochiam non colluſtrabit; primarum enim tenebræ ſunt rerum divinarum ignorantia, & oblivio ſeu incogitantia & imprudentia, quæ a Theologis dicitur ignorantia practica, ex quibus homines frequentius offendunt. Quare non ſatis fuit Chriſto Domino promittere Diſcipulis, fore ut Spiritus Sanctus doceret eos omnem veritatem; ſed adverſus oblivionem & incogitantiam adjecit Joann. 14. *& ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, ut ſi quæ vel ex memoria exciderint, vel ſi minus attente, quam par eſt, a vobis perpendantur, refricet, ne veſtra intentio deferveſcat. Quia ſicut recedente

te

te lumine Solis, calor remittitur, frigus aerem occupat, & feræ ex cubilibus prodeunt, ſylvas & agros oberrant, ut rapiant: ſimiliter quiſquis ad ſeipſum redierit, proculdubio deprehendet, quod ſi lectionem ſacram, ac rerum divinarum meditationem vel una die intermiſit, conſuetus pietatis ardor deferbuerit, voluntas ſanctis cogitationibus non inſtigata indormierit, ſenſus liberius divagati fuerint, & caro adverſus ſpiritum acrius inſurrexerit, unde plures lapſus, leves quidem in iis, qui ſtatim intermiſſa ſtudia repetunt, ſed interdum graves in aliis, qui nunquam redeunt ad cor, ut videant paupertatem ſuam, defleantque oblivionem & incogitantiam.

Cum autem vulgus Chriſtianorum, præſertim ii, qui in ſæculo agunt, ad lumen Evangelii non ſoleant attendere, niſi a Præpoſitis admoveatur, Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. & 7. de ref. merito ſanxit, ut Parochi ſaltem ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, præter catecheſes parvulis habendas: *Sacras Scripturas, Divinamque legem annuntient, & alias quotieſcunque id opportune fieri poſſe judicaverint*. Cit. 4. negligentioreſque cenſuris compellantur, etiamſi exempti fuerint, aut nullius Diœceſis, cit. cap. 2. adeo perſuaſum erat ſanctæ Synodo, quod ſublata aliquandiu verbi Dei prædicatione, quaſi ſi occumberet Sol, tenebræ ignorantiæ, aut ſaltem oblivionis Dei & incogitantiæ, mentibus Fidelium ſeſe offundant, frigus cupiditatis corda eorum invadat, fluenta gratiarum conſtringat, Sacramentis neglectis, vel indigne ſuſceptis, fidem ac religionem tanquam emortuas exhibeat, univerſamque Parochiæ faciem veluti triſtem hyemis faciem repræſentent.

Hallucinantur ergo illi Parochi, & pietatis admodum rudes ſe demonſtrant,

1. Qui quieti ac otio ſe dedunt, eo prætextu, quod priſtinis ſuis laboribus, ac aſſiduis prædicationibus Parochiani fidei rudimenta, neceſſariaque religionis officia apprime calleant. Quaſi vero ager Domini quotidie non germinet ſentes & noxias herbas

ver-

verbi ſarculo continuo evellendas , Domino per Prophetam dicente , *Clama, ne ceſſes*, Iſaiæ 58. quæ verba expendens Sanctus Auguſtinus ſic loquitur : *Quamvis aſſidue prædicemus, minus tamen reddimus, quam debemus, dicente Scriptura : Clama, ne ceſſes* : nec deſiſtit ab illo munere, licet ætate confectus, & plebe ſatis edocta, de eo enim ſic refert poſſidius : *verbum Dei uſque ad ipſam ſuam extremam ægritudinem imprætermiſſe, alacriter & fortiter in Eccleſia prædicabat*.

2. Qui, ut verbi Dei miniſterium intermittant, prætexunt plures confeſſiones excipiendas, cantum productiorem Feſtis ſolemnioribus, & alia munia : cum Apoſtolorum judicio, prædicationis officium ceteris debeat anteponi : *non eſt æquum*, inquit eorum Princeps Act. 6. *non derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, ſcilicet pauperum. Et Coapoſtolus ejus Paulus 1. Cor. 1. *neminem veſtrum baptizavi, niſi Criſpum & Cajum . . . non enim miſit me Chriſtum baptizare ſed evangelizare* : Baptiſmum quippe, ſi deſit ejus copia, ſupplet in adultis illius votum caritate perfectum : at nihil ſupplet prædicationis defectum, ſi ex eo ſequatur Dei & Divinæ legis oblivio. Eſto in ejuſmodi circumſtantiis brevis ſit oratio, modo fervida ac pinguis.

3. Qui ſilendum exiſtimant tempore meſſis & vindemiæ, ne plus æquo graventur Parochiani nimio labore jam defatigati. Tum enim maxime verbo Dei breviter quidem, ſed apte ad circumſtantias reficiendi ſunt, ne ſine cauſſa tanta patiantur, ne recta eorum ad Deum intentio repeſcat, patientia effluat, aures accommodent ſemonibus maledicis, obſcœnis, & impiis, quibus Meſſores & Vindemiatores undique collecti oblectare ſe ſolent, & mores audientium corrumpere.

4. Qui in ea ſunt ſententia, quod verbum Dei frequentium miniſtratum faſtidium pariat, ſubtractum vero ad tempus avidius appetatur, ſuaviuſque deguſtetur. Sed pace eorum dixerim, iſthæc curandi ratio imperito eſt admodum Medici, pugnatque adverſus notiſſimas ſpiritalis medicinæ regulas. Faſtidium quippe, ſi quod hic occurrat, non oritur ex redundantia, & ut

ut ajunt, nimia verbi Dei repletione; abſit tam abſurda & impia cogitatio; ſed naſcitur vel ex rudi & miſerabili modo dicendi, vel ex pravis auditorum affectibus, qui non niſi ignito Dei eloquio excoqui & abſumi queunt: „ Crudos carnis cogitatus, *inquit S. „ Bernardus ſerm. 22. in Cant.* Igne Spiritus Sancti accedente, coquit divinum eloquium, ac vertit in ſenſus ſpiritales & cibos mentis. *Et ſerm. 24. de diverſis*, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noſter eſt, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, reſurrectio quoque & conſummatio noſtra.

Certum igitur ac indubitatum maneat, Parochum nulla ratione, nullo prætextu immunem poſſe fieri a frequenti verbi Dei prædicatione. Sed quam maxime refert ut tam neceſſarium, tamque ſublime miniſterium convenienter, & qua par eſt, dignitate impleatur: non enim ſatisfacit officio ſuo, qui male eo defungitur; ſatiuſque eſſet conficiendum opus non ſuſcipere, quam illud vitioſum & male elaboratum reddere; artifex, v. g. qui ſubminiſtratam materiam operis injuncti, puta pannum, depravavit, eſt majori reprehenſione dignus, quam ſi operi manus non admoviſſet, nec legitimam habet excuſationem, quod omni ſua induſtria ac diligentia in illud incubuerit; eo enim ipſo peccavit, & ad reparanda damna tenetur, quod artis imperitus quæ ſunt artificis, temere aſſumpſerit. Quamobrem nulla eſt ars tam humilis ac vilis, cujus tyrocinium non ponatur ſub erudito Magiſtro, & ſpecimen edatur, priuſquam liceat eam profiteri.

Quis autem explicet quæ ſequuntur damna ex confuſa & imperita prædicandi ratione? 1. Dei verbum, quo in Religione nihil ſacratius, nihil delectabilius, & acerbiſſima quæque condiuntur, ac ſuavia fiunt, inepte adminiſtratum, faſtidium movet: in contemptum, aliquando etiam in deriſum ac in proverbium vertitur. 2. Conſcientiæ vulnera exaſperat, nedum ſanet; auditoribus ſtomachum movet, & in concionatorem odium ac oblocutionem parit, adeo ut expediret magis ejuſmodi imperitos tacere, quam loqui. Fruſtra culpam

in

in Parochianorum malitiam referunt; nam iidem ipſi Parochiani, qui ægre eos audiunt, cum ſingulari aviditate & ingenti fructu iis aures præbent, qui convenienter verbum Dei annuntiant. Iſthæc nobiſcum experiuntur inepti illi Paſtores, ſed ſine pœnitentia, quod temere & cum evidenti ſalutis ſuæ & aliorum periculo, docendi magiſterium ſuſceperint, adeo ſunt obdurato corde.

Porro magiſterium illud cum Sacerdotio ſuſcipiunt, dicente Pontifice cuilibet initiando: *Oportet Sacerdotem prædicare*: nec eum deinceps a tanto munere arcere licebit Epiſcopo, ſi per electionem, præſentationem, aut reſignationem, aut in vim graduum, jus ad beneficium Parochiale acquirat, modo rudiora Theologiæ rudimenta leviter ac ſtrictim attigerit, moreſque ejus in foro externo reprehendi nequeant: nec mora erit ulla, quod præclaram artem verba faciendi ad populum non didicerit, quod illius nullum ſpecimen ediderit; cum iſta tamen in Republica prærequiruntur ad magiſterium cujuſque artis, etiam viliſſimæ; quod denique homo ſordidus a natura ita ſit inſtitutus, vel balbutiens, & ad ſingula fere verba hæſitans, vel tam tardi ac plumbei ingenii, ut deſit illi argumentorum & verborum copia, etiam pro defenſione rerum infimarum, ſcilicet temporalium. Explorentur ergo initiandorum vires ac facultates, priuſquam verbi duces ac magiſtri conſtituantur; res enim illa excelſum requirit animum: quod autem præcellens eſt, rarum eſſe ſolet: *Non cujuſvis eſt de Deo, diviniſque rebus diſſerere*, inquit S. Chryſoſtomus, *evangelizare perpaucorum eſt, baptizare autem cujuslibet, modo ſacerdotio fungatur*. Et S. Gregorius Nazianzenus in orat. Apologetica de ſua fuga: *Si quis eſt alius*, inquit, *qui præfidenti animo ſuſcipiat miniſterium verbi, aut cujuſvis ingenii eſſe cenſeat, hunc ego inſolentiæ nomine admiror, ne dicam ſtultitiæ. Mihi quidem res minime vulgaris ..... eſſe videtur ..... aut enim mens minime illuminata eſt, aut ſermo elanguit; atque ex uno horum, pariaque ac omnibus, veritas claudicet neceſſe eſt.*

Quod

Quod ſi quæras, quænam debeant eſſe partes Miniſtri verbi Dei,

Reſpondet S. Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana, præſertim c. 12. tria ipſi eſſe præſtanda, ſcilicet docere, delectare, & flectere ſeu movere. Et ratio eſt; quia ex auditoribus alii peccent ex ignorantia, vel incogitantia: aut enim ignorant prohibitum eſſe quod agunt, & præceptum opus, quod prætermittunt: vel ſi iſta noverint, non ſatis ea æſtimant, nec ad ea, ut par eſt, attendunt: iis ergo lumen Evangelii & veritatis præferre neceſſe eſt. Alii, & quidem longe plures, peccant ex malitia vel ſocordia; vident meliora, probantque; ſed deteriora ſequuntur. Hi ægre ferunt ſe edoceri; *ſicut enim gratus eſt, qui cognoſcenda enubilat*, inquit idem Sanctus Doctor cit. libr. 4. cap. 10. *ſic oneroſus eſt qui cognita inculcat*. Agat ergo verbi Dei miniſter, ut duram horum cervicem flectat, & obfirmatam in malo voluntatem moveat, quia *fruſtra perſuadetur verum eſſe quod dicitur, fruſtra placet modus ipſe, quo dicitur, ſi non ita dicitur, ut agatur. Oportet igitur eloquentem Eccleſiaſticum, quando ſuadet aliquid, quod agendum eſt, non ſolum docere, ut inſtruat, & delectare, ut teneat* (attentum ſcilicet auditorem,) *verum etiam flectere, ut vincat*. Sed ſicut alimenta, quantumvis neceſſaria & ſalutaria, niſi apte condiantur, ingrata ſunt, ac plerumque rejiciuntur; ita & ſermo, niſi permiſceatur ſuavitate quadam, quæ auditorem ad ea quæ dicuntur, attentum teneat, & ad bonum flexibilem reddat. Horum trium „ quod primo loco poſitum eſt, „ hoc eſt docendi neceſſitas, in rebus eſt conſtitu„ta, quas diximus; reliqua duo in modo, quo di„cemus.

Iiſdem præceptis Apoſtolus inſtituit ſuum diſcipulum Timotheum, quem Eccleſiæ Epheſinæ præfecerat Epiſcopum; ſic enim ad eum ſcribit epiſt. 2. cap. 4. *Prædica verbum, inſta opportune, importune*. Quomodo vero? *argue*, inquit, *obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. In quem locum Sanctus Chryſoſtomus ait: *quodlibet horum deſit, alterum inutile fit*;

nam

nam ſi abſque argumentis increpet, temerarius videberis, nullaſque te præſefert, v. gr. ſi inclamaverit damnatum iri ebrioſos, maledicos, &c. priuſquam gravibus & firmis momentis demonſtraverit graviſſima eſſe ejuſmodi peccata, & æterna damnatione digna. „ Ubi „ vero præceſſit probatio, tunc & increpationem fa„ cile ſuſcipis, alioquin impudens fiet. Quod ſi ars„ guas vehementer & increpes, obſecrationemque ſub„ ducas, rurſus omnia perdis: quippe reprehenſio per „ ſe intolerabilis eſt, niſi admixtam habeat conſola„ tionem, ſicut & potio, ſalutaris licet, niſi plu„ rima dolorem conſulentur, non ea ſuſtinet langui„ dus. „ Iſthæc tria cernere eſt in omnibus libris Prophetarum, qui erant Synagogæ concionatores. 1. arguunt peccata auditorum; docentque quam ſint gravia, deinde minantur ac terrent, demum adhibent verba conſolatoria; apta ad emolienda corda & eliciendas lacrymas.

Evangelii autem Miniſter, ut utiliter doceat. 1. clare ac dilucide proponet id, de quo futurus eſt ſermo, alias in vanum loqueretur, ſi auditores ſermonis argumentum non ſatis perciperent. Deinde quod in medium adduxerit, ſtabiliter auctoritate tum ſacræ Scripturæ, tum Traditionis, proferendo textus unius, aut alterius e Sanctis Patribus, ut antevertat falſam auditorum opinionem; quaſi Scripturam in alienos ſenſus detorqueat; ipſiſque conſtet quod eam interpretetur juxta ſenſum, quem tenet Sancta Mater Eccleſia. Non autem ſeverior videatur illa doctrina; oſtendet eam naturæ humanæ eſſe omnino conſentaneam; illamque confirmabit ratione naturali omnibus nota.

Delectat dicendo, ſi dicat aperte, dilucide, fervide, & cum dignitate: ſi non memoriter, ſed ex perſuaſione & ex affectu pronuntiare videatur: ſi oratio conſtet verbis propriis, accuratis & minime obſcuris; ſi illuſtretur exemplis nobilibus, & ſimilitudinibus congruis, in quibus nihil ſit abjectum aut humile, quod in deriſum converti poſſit: ſi ita ſit copioſa, ut non redundet; id enim ſunt orationi verba ſuperflua & inordinata, quod ſegetibus excreſcentes herbæ inutiles:

id

Digitized by Google

id eſt, attentionem diſtrahunt, & intellectum obruunt ac confundunt. Denique ſi ad captum auditorum ſit accommodata, nempe eruditior & elegantior; ſi verba habeantur ad eruditos, & ſapientes, quia *onerosus eſt*, inquit ſanctus Auguſtinus ſupra laudatus, *qui cognita inculcat*, niſi novo & perfectiori modo de iiſdem diſſerat: humilior vero & depreſſior, ſi plebei rudiores ac ruſtici edoceantur: namque ex eodem ſancto Doctore, Patronus, qui in foro ſublimiter dixit, & cum omnium admiratione, domum rediens ſe componit ad menſuram parvuli, & puerili modo illum alloquitur, alioquin non intelligendus. Uno verbo dicam, Evangelii Miniſter docendo delectabit, ſi ſit ſermonis apti, facilis, ac perſpicui, faſtidium vero pariet, ſi difficilis, inordinati, & confuſi, quia ubi difficultas, ibi contentio, labor, & pœna: contra vero, ubi omnimoda facilitas aſſequendi mentem illius, qui de magnis rebus diſſerit, ibi quies & voluptas.

Verum quid prodeſt, ſi auditores recredunt verbis, quæ docentur, & ad ea non flectuntur? *docere quidem neceſſitatis eſt*, ut veritas pateat, *delectare ſuavitatis*, ut auditores attenti ac benevoli reddantur: *ſed flectere victoriæ*, quaſi dicat, qui firmis ac perſpicuis rationibus docet, & venuſtate verborum delectat, ſtrenue quidem contra errorem vitiumque decertat, ſed victoria a manibus ejus excidit, ſi auditores non flectat. „ Unum „ igitur ſibi potiſſimum proponet, *inquit Concilium* „ *Mediolanenſe quintum*, in quo omnes nervos, to„ burque induſtriæ ſuæ adhibeat, & in quo munus „ ſuum verſari cognoſcat, ut auditorum ſcilicet ani„ mos commoveat: eum præſertim peccent homines, „ non tam quia verum ignorant, quam quod male af„ fecti ſint. Dabit igitur operam, ut quemadmodum „ per ſingula corporis membra ſanguis diffunditur, ita „ in omnibus concionis ſuæ partibus quædam inſint, „ quæ ad commovendum valeant.

Porro ut commoveat ad colendam virtutem, quam docuit, vel fugiendum vitium, quod arguit, his & ſimilibus utetur incitamentis. In primis oſtendet fluxa & vana eſſe temporalia, quibus detinentur peccatores;

Digitized by Google

credendumque ei, qui expertus & Spiritu Dei afflatus ait Eccl. 2. *riſum reputavi errorem, & gaudium dixi, quid fruſtra deciperis?* Nihilominus dæmonem iis ineſcare & illaqueare incautos homines veluti bruta animantia, quemadmodum ſcriptum eſt Eccl. 9. *ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur; ſic capiuntur homines in tempore malo*. Et Job 20. *Divitias quas devoravit, evomet; & de ventre illius extrahet ea Deus*. Ideo perſtrepunt concionatores, ut animales caveant ab inſidiis, & ſubdola Satanæ conſilia reddant irrita; nullum quippe eſt animal tam vorax ac ſtupidum, ut irruat in eſcam, ſi muſcipulam & periculum odoretur; nec ullus hominum, quantumcunque vecors, id faciet certus fore, ut eum facti poſtea pœniteat: atque certo certius peccatores pœnitebit indulſiſſe ſuis cupiditatibus; una enim eorum vox in morte, Sap. 5. *nos inſenſati,* inquiunt intra ſe pœnitentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes . . . *erravimus a via veritatis . . . . laſſati ſumus in via iniquitatis . . . quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Exponet ob oculos hinc miſeram peccatoris ſortem, ut qui Deum ipſum habeat adverſarium, acutiſſimas animi ægritudines ac moleſtias: *impii autem*, inquit, Iſaiæ 57. *quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt; non eſt pax impiis*: continuos malæ conſcientiæ cruciatus, infamiam, qua aſpergitur ſaltem apud ſapientes, horrorem mortis ineluctabilis, & brevi futuræ, deſperationem, quam inducent anteactæ vitæ memoria, & meritorum penuria: inde juſtorum pacem, & inchoatam felicitatem, rectæ conſcientiæ teſtimonium, quo nullum eſt bonum ſolidius ac jucundius; conſolationem Spiritus ſancti, quam nulla adverſa extinguunt; firmam in Deo ſpem, & certam præmii expectationem. Ignavis pudorem injiciat, exemplo tot virorum ac mulierum, qui ſupra mandatum plurima præſtant. Exprobrabit immenſa Dei Beneficia ſtrictim perſtringenda, pro quibus injurias ipſi rependunt. Increpabit induratos; minabitur Dei vindictam; portendet imminentem ultionem; ponet ob oculos horrendum Dei judicium, & æterna gehennæ

Digitized by Google

næ ſupplicia: hæc ſunt fere incitamento, quibus homines flecti conſueverunt. Sed reprehenſio per ſe exaſperat, &, ut ſupra dicebat Sanctus Chryſoſtomus, intolerabilis eſt, niſi admixtam habet conſolationem. Quærat ergo neceſſe eſt verbi Dei Miniſter condimenta humanitatis, quibus verba increpatoria ita mitiget, ut auditoribus delectationem pariant, nedum faſtidium.

Delectabit autem reprehenſio, ſi ex affectu caritatis prodire cernatur; ſi auditores, non hominem, ſed Deum ſentiant iratum in homine, qui de eorum ſalute anxius, omni ope atque opera, impendens extremum exitium ab ipſis propulſare adnititur. Sic Apoſtolus, ne videretur ex illa & odio inſectari Galatas, qui a fide defecerant, & contumelioſe illos compellare hiſce verbis, *o inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati? ... ſic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?* Gal. 3. ſtatim expandit viſcera vere materna, ut in iis videant teneram ac fervidam pietatem, ex qua prodiere acerbiora ejuſmodi verba *filioli mei*, inquit c. 4. *quos iterum parturio.... vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam;* ut affectus, quos epiſtola ſcriptura non capit, vera voce exprimerem, ut ſcilicet ad inſtar matris, nunc blandirer, nunc plorarem, nunc objurgarem vos, nunc obſecrarem: denique orationem meam in omnem modum verſarem, ut vos flecterem, & ad ſaniorem mentem reducerem. Hinc adhibentur aſperiora verba, quæ veluti ſcalpellum vulnus aperiant, & erroris ſaniem exprimant. Sed protinus condimenta eximiæ caritatis ſuccedunt, quæ inuſtum dolorem non ſolum temperant, ſed in oblectationem convertunt. „ Habent itaque, *inquit ſanctus Bernardus ſerm.* 44. „ *in Cantic.* ex fraterno oleum manſuetudinis, & ex „ divino amore vinum æmulationis, ſecurus accede ad „ ſananda vulnera illius, qui incidit in latrones, „ piiſſimi Samaritani optimus imitator. „ Alioquin verbum mordacius, licet recta intentione, & animo benigno proferatur, „ exaſperat & exulcerat magis... ut qui ſordidus erat, ſordeſcat adhuc, decli-

„ nans

„ nans in verba malitiæ.... ac more phrenetici non „ ſolum repellens, ſed & mordere tentans Medici „ manum, *Idem ſerm. 3. de Reſurrectione*.

Quod ſi aſperius dicta etiam zelo rectitudinis adeo nocent, niſi condiantur ſale ſapientiæ, & ſuavitate caritatis, quanto magis ſi procedant ex impotenti vindictæ animo? Luximus aliquando Parochos, qui ad explendam ulciſcendi ſe libidinem, impie abutebantur cathedra Chriſti, & pro diſciplina patientiæ, humilitatis, & caritatis, ad quam edocendam erecta eſt, omne acerbitatis virus evomebant in eos, a quibus læſos ſe moleſte ferebant, adeo ut is eſſent fructus ex ejuſmodi profana & ſacrilega concione intentus, ſi reos non quidem proprio nomine, ſed aliis ſignis deſignatos, coram univerſo cœtu pudore ſuffunderent. Item ſcandala, inimicitiæ, expoſtulationes apud Epiſcopum, quæ vix admittunt ejus curationem.

Eſto increpandi ſint inobedientes, aliquando etiam dure, ut docet Apoſtolus Tit. 1. v. 13. ſed ſeveritas paterna ſit, non tyrannica, inquit ſanctus Bernardus ſerm. 23. in Cant. in quo Paſtores ſic alloquitur. „ Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non do„ minos: ſtudete magis amari, quam metui..... „ matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. „ Manſueſcite, ponite feritatem: ſuſpendite verbera; „ producite ubera: pectora lacte pingueſcant, non ty„ pho turgeant. Quid jugum veſtrum ſuper eos ag„ gravatis, quorum potius onera portare debetis? „ Habent ſingulæ dignitates ſua inſignia, & habitus ſolemnes, quibus Magiſtratus ac Primates a vulgaribus hominibus ſecernuntur. Ornamentum Sacerdotum eſt ipſa caritas, ut conſtat ex Ordinationis ritu, in quo Pontifex cuilibet initiando imponens caſulam, quæ ſecundum vim nominis eum integre contegere debet, ſic loquitur: *Accipe veſtem ſacerdotalem, per quam caritatem intelligitur*.

Diutius hic immorari nos oportuit propter Clericos, qui caſtis & integris moribus Sacerdotium ac Paſtoralia munia ſuſcipiunt, ne ſcilicet incauti & minime intelligentes, ut nonnunquam contingit, gravibus

pec-

Digitized by Google

peccatis conſcientiam ſuam brevi contaminent, ſeducti plurium Paſtorum exemplo, qui verbum Dei vel adminiſtrare negligunt, vel illud adeo male & incongrue adminiſtrant, ut præ faſtidio grex inde non paſcatur, & miſere pereat: „ Namque Sacerdos, *inquit Sanctus* „ *Chryſoſtomus*, ſi vitam depoſuerit, tuam autem di„ ligenter non curaverit, cum impiis in gehennam de„ truderur. *Et S. Iſidorus lib.* 3. *Sentent.* Sacerdotes pro „ populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut igno„ rantes non erudiant, aut peccantes non corrigant, „ teſtante Domino ad prophetam: Speculatorem dedi „ te domui Iſrael; ſi non fueris locutus .... ſan„ guinem ejus de manu tua requiram.

Nec dicas omnibus Presbyteris non incumbere curam animarum; namque 1. omnibus & ſingulis initiandis dicitur: „ Oportet Sacerdotem præeſſe & prædicare. „ *Item*, tales eſſe ſtudeatis, ut in adjutorium Moyſi „ & duodecim Apoſtolorum, Epiſcoporum videlicet „ Catholicorum, qui per Moyſen & Apoſtolos figu„ rantur, digne per gratiam Dei eligi valeatis „ 2. juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 14. de reform. nullus ad Presbyteratus Ordinem eſt aſſumendus, niſi ad populum docendum & Sacramenta adminiſtranda idoneus comprobetur; & cap. 16. nullus debet ordinari, *qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis*. 3. Pontifex ſingulis initiandis orarium ſeu ſtolam imponit ſuper utrumque humerum, dicens: *accipe jugum Domini*. Atqui orarium eſt propter orationem ad populum habendam, ut ſupra diximus. Diaconus fert illud uno duntaxat humero. Presbyter vero utroque: quia Diaconus utpote Miniſter, nonniſi juſſus verbum Dei ſpargit ac diſſeminat: Presbyter vero qui præeſt in ſolicitudine, non ſolum illud ſeminat, ſed inſuper cura illi incumbit, ut germinet, creſcat, & fructum afferat. Ipſius eſt rigare, agrum colere, inutiles ac noxias herbas eruncare, & beſtias arcere; in quibus plurimus eſt labor ac tantus, ut Apoſtolus velit, 1. Tim. 5. v. 17. Presbyteros, qui ſic præſunt, & ſic laborant in verbo dignos haberi duplici honore, id eſt, abundantiori ſuſtentatio-

nis

Digitized by Google

bis ſubſidio. Orarium igitur ſeu ſtola; quæ ſingulis Presbyteris imponitur ſuper utrumque humerum, minus eſt ipſis ſignum dignitatis, quam oneris, cui ferendo pares non eſſent, niſi crux Chriſti, quam Pontifex efformat ſuper eorum pectus, intus inuncta eſſet Spiritu Sancto, qui per caritatem a ſe in cordibus infuſam, jugum, alias per ſe intolerabile, leve ac ſuave efficit.

§. XIII.

De quinto Presbyteri officio.

QUintum Presbyteri officium eſt baptizare, quia ſolus Paterfamilias jus habet aſciſcendi ſibi domeſticos, aut ſi quis alius, ut Primarius famulus, nonniſi ex ejus mandato: atqui per Baptiſmum Catechumeni cooptantur in numerum domeſticorum Dei & Eccleſiæ: ſoli autem Epiſcopi & Presbyteri in Dei familia patres ſunt: Ergo his ſolis jure ordinario baptizare competit, Diaconis vero tanquam primariis miniſtris, nonniſi jure extraordinario, & ex Epiſcopi vel Presbyteri mandato.

§. XIV.

De Epiſcopis.

Q. 1. U*Nde Epiſcopi nomen?*

R. A verbo Græco Ἐπισκοπεῦμαι, Latine, *ſpeculor, conſidero, ſuperintendo*. Epiſcopus igitur idem eſt ac ſuperintendens, quo ſenſu Cicero lib. 7. Epiſt. ſic ſcribit ad Atticum: *vult.... Pompejus me eſſe quem tota hæc Campania & maritima hora habeat Epiſcopum, ad quem delectus & rerum ſumma referatur.*

Q. 2. *Epiſcopi nomen fuitne ſemper proprium Sacerdotum primi Ordinis?*

R. Negat Sanctus Chryſoſtomus cum aliis bene multis; probatque tempore Apoſtolorum Epiſcopi nomen fuiſſe

fuiſſe commune Sacerdotibus primi & ſecundi Ordinis. 1. hom. 1. in epiſt. ad Philippenſes, in qua ſic habet: *Quid hoc ſibi vult?* (quod Apoſtolus bene precetur Sanctis, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconis, nulla facta Presbyterorum mentione) *Itane unius civitatis plures erant Epiſcopi, nequaquam; ſed hoc titulo deſignat Presbyteros, tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.* 2. ex 1. Tim. 3. ubi Apoſtolus, omiſſis presbyteris, de ſolis Epiſcopis & Diaconis ſermonem habet: *oportet ergo*, inquit, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum*, &c. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues*. In quæ verba ita loquitur homil. 11. *Inter Epiſcopum atque Presbyterum intereſt ferme nihil: quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura præmiſſa eſt; & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt.* Uſus tamen deinceps obtinuit, ut ſoli majores Sacerdotes appellarentur Epiſcopi. Vocantur etiam Antiſtites, quaſi ante alios Clericos ſtantes, iiſque præſidentes: Pontifices, quia præ aliis multa poſſunt facere: Eccleſiæ Principes, ut apud ſanctum Ignatium Epiſtol. ad Smyrnenſes, Origenem Tractatu 12. in Matth. ſanctum Hilarium canon. 26. in Matt. Optatum Milevitanum libr. 5. contra Parmenianum, &c.

Q. 3. *Quid eſt Epiſcopatus?*

R. Eſt Ordo ſupremus, quo datur Presbytero poteſtas conferendi Sacramenta Confirmationis & Ordinis, regendique Eccleſiam ipſi commiſſam, hoc eſt Clerum & plebem.

Dicitur 1. *Ordo*, propter rationes, quibus cap. 4. probavimus Epiſcopatum eſſe Ordinem diſtinctum a presbyteratu.

Dicitur 2. *ſupremus:* quia Epiſcopatus eſt apex & faſtigium Sacerdotii. *Qui eſt Epiſcopus*, inquit S. Auguſtinus lib. quæſt. in vetus & novum Teſt. q. 101. *niſi primus Presbyter, hoc eſt ſummus Sacerdos?* Et S. Ignatius: *honora Epiſcopum ut Principem Sacerdotum*, Epiſt. ad Smyrnenſes.

Digitized by Google

Dicitur 3. *quo datur Presbytero*; quia ex dictis nequis eſſe Epiſcopus, qui Presbyter non fuerit.

Dicitur 4. *poteſtas conferendi*, &c. quibus verbis deſignatur Ordinis poteſtas Epiſcopi propria: quia confirmare Neophytos, & ordinare Eccleſiæ Miniſtros, ſunt actus Ordinis, nec ad eos exercendos ſufficit poteſtas Iuriſdictionis, quam habet Capitulum Sede vacante, & Epiſcopus nondum conſecratus.

Dicitur 5. *& regendi Eccleſiam ipſis commiſſam*, ut denotetur poteſtas juriſdictionis; juriſdictio quippe eſt poteſtas gubernandi ſubditos, jus dicendo, ferendo leges, coercendo refractarios, & puniendo tranſgreſſores,

Ergo Epiſcopo duplex competit poteſtas: Ordinis ſcilicet, & juriſdictionis.

Dices: poteſt quis eſſe Epiſcopus ſine poteſtate juriſdictionis; ordinatio enim non dat juriſdictionem. Ergo in definitione Epiſcopatus non debuit inſeri poteſtas regendi.

Diſtinguo antecedens; ſine poteſtate juriſdictionis completa, Concedo: incompleta & radicali, Nego anteced. Epiſcopatus enim ex ratione ſua eſt ad regendum. Igitur ſicut Presbytero in ejus inauguratione datur poteſtas radicalis & incompleta remittendi peccata, quæ tum complebitur, cum ſubditi fuerint ipſi aſſignati, ita & Epiſcopo poteſtas regendi Eccleſiam quæ fuerit ipſi adſcripta.

Inſtas: latum eſt diſcrimen inter poteſtatem remittendi peccata, & poteſtatem regendi Eccleſiam: in illa quippe, ſi completa ſit, neceſſario concurrunt poteſtas Ordinis, & poteſtas juriſdictionis, adeo ut ſi alterutra deſit, peccata ſacramentaliter remitti nequeant. Contra vero ſine charactere Epiſcopali poteſt quis regere Eccleſiam ex privilegio ſibi ſubditam; nam & Capitulum Sede vacante gubernat Diœceſim: ergo poteſtas regendi Eccleſiam non debet inſeri in definitione Epiſcopatus, quemadmodum poteſtas remittendi peccata includitur in definitione Presbyteratus.

Con-

Digitized by Google

Conceſſo antecedente, diſtinguo alteram confirmationis partem: ſine charactere Epiſcopali poteſt quis extraordinarie Eccleſiam regere, Concedo: ordinarie, & juxta Chriſti inſtitutum, Nego propoſitionem, & conſequentiam; per characterem quippe Epiſcopalem ordinatur Epiſcopus ad functiones hierarchicas & Epiſcopales obeundas, quemadmodum per characterem Sacerdotalem Presbyter fit Miniſter idoneus & ordinarius Baptiſmi: licet extraordinarie Diaconus vel etiam Laicus baptizare poſſit in caſu neceſſitatis. Unde Conc. Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 2. de reformat. electum & confirmatum in Epiſcopum privat fructuum perceptione, niſi intra tres menſes conſecretur.

Q. 4. *Utraque Epiſcopi poteſtas, Ordinis ſcilicet & juriſdictionis, eſtne inſtitutionis divinæ?*

Aerius Presbyter, ex Arianorum ſecta, inter errores, quos effutiit quarto ſæculo, docuit nullum debere eſſe diſcrimen Epiſcopum inter & Presbyterum, ut refert S. Auguſtinus lib. de hær. hæreſi 39. „ Aeriani, *inquit*, a quodam Aerio ſunt nominati, qui „ cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus „ non potuit ordinari ... dicebat Presbyterum ab Epi„ ſcopo nulla differentia debere diſcerni. „ S. Epiphanius, qui vidit naſcentem hæreſim, graviſſimis hiſce verbis Auctorem inſectatus eſt hæreſi 75. „ Eſt il„ lius dogma, *inquit*, ſupra hominum captum furio„ ſum & immane: quanam, inquit, in re Presbytero „ Epiſcopus antecellit? nullum inter utrumque diſcri„ men eſt, par & idem honor ac dignitas. „ Aerio ſubſcripſit Wicleffus decimo quarto ſæculo, ex Thoma Vald. lib. 2. art. 3. c. 60.

Calvinum non puduit hujuſmodi erroris monſtrum ſuſcitare lib. 4. Inſt. c. 4. §. in quo ſic habet: „ qui„ *bus* docendi munus injunctum erat, eos omnes no„ minabant Presbyteros: illi ex ſuo numero in ſingu„ lis civitatibus unum eligebant, cui ſpecialiter dabant „ titulum Epiſcopi, ne ex æqualitate, ut fieri ſolet, „ diſſidia naſcerentur ... atque idipſum pro temporum „ neceſſitate fuiſſe humano conſenſu inductum fatentur

 „ ipſi

„ ipſi veteres. „ Hanc impietatem Concil. Tridentinum anathemate damnavit ſeſſ. 23. can. 7. his verbis: „ Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſu„ periores , vel non habere poteſtatem confirmandi „ & ordinandi ; vel eam, quam habent , illis eſſe „ cum Presbyteris communem ... anathema ſit. „ Et hæc pro poteſtate Ordinis. Pro poteſtate vero juriſdictionis can. 6. ſic decernit : „ Si quis dixerit in „ Eccleſiæ Catholica non eſſe Hierarchiam DIVINA „ ORDINATIONE inſtitutam , quæ conſtat ex Epi„ ſcopis , Presbyteris , & Miniſtris , anathema ſit. Quare ad propoſitam quæſtionem,

R. Epiſcopi jure Divino ſunt Presbyteris ſuperiores poteſtate tum Ordinis, tum juriſdictionis.

Prima pars, quæ eſt de poteſtate Ordinis, probatur: quia is eſt jure Divino ſuperior poteſtate Ordinis, qui habet poteſtatem, qua caret alter conferendi quædam Sacramenta v. g. Presbyter jure Divino eſt ſuperior Diacono, quia poteſt conficere Euchariſtiam, & ſacramentaliter remittere peccata; quod non poteſt Diaconus: atqui Epiſcopus poteſt conferre duo Sacramenta, ſcilicet Confirmationis, & Ordinis , quod non poteſt Presbyter : ergo.

Minor probatur, cùm ex dictis Tractatu de Sacramento Confirmationis c. 4. §. 1. ubi demonſtravimus ſolum Epiſcopum eſſe Miniſtrum hujus Sacramenti ; tum ex dicendis de Miniſtro ſacræ ordinationis, quem aſſeremus ſolum eſſe Epiſcopum.

Secunda pars, quæ eſt de poteſtate juriſdictionis , probatur 1. ex Scriptura 1. Timoth. 5. ubi Apoſtolus Timotheum Epheſiorum Epiſcopum ſic inſtituit verſ. 1. *Seniorem ne increpaveris ;* & verſ. 19. *adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere , niſi ſub duobus aut tribus teſtibus :* „ Quæ verba expen„ dens Sanctus Epiphanius hæreſ. 75. adverſus Ae„ rium , ſic habet : „ Quid attinebat Epiſcopo vetare „ ne Presbyterum objurgaret , niſi majorem ipſo po„ teſtatem obtineret? Quare deinceps admonet , ad„ verſus Presbyterum cito accuſationem ne admiſe„ ris , niſi duobus tribuſve teſtibus ? Non alicui

„ ex

Digitized by Google

„ ex presbyteris præcepit, ut accuſationem contra „ Epiſcopum non admitteret, aut Epiſcopum non objurgaret.

2. Apoſtolus epiſt. ad Titum c. 1. v. 5. ſcribit ſe eum in Creta inſula reliquiſſe, ut conſtitueret per civitates Presbyteros: quæ manifeſte indicant Titum, utpote Epiſcopum, ſuperiorem fuiſſe Presbyteris.

3. Chriſtus Dominus ex Diſcipulis alios aliis præpoſuit ordine diſpari, duodecim quidem Apoſtolos, Luc. 6. v. 13. in primo dignitatis gradu, ſeptuaginta vero Diſcipulos in ſecundo. Luc. 10. v. 1. Apoſtolis quippe, non vero diſcipulis dixit Joan. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes;* atqui una eſt Patrum ſententia Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis, presbyteros vero Diſcipulis.

Origenes hom. 27. in cap. 33. Num. S. Gregorius Nyſſenus de vita Moyſis, & S. Hieronymus epiſt. ad Fabiolam, ſcribunt, duodecim fontes, quos reperuerat Judæi in deſerto Elim, Exod. 15. ſignificare duodecim Apoſtolos, quorum locum tenent Epiſcopi; ſeptuaginta vero palmas juxta fontes poſitas, eſſe ſeptuaginta Diſcipulos. „ Nec dubitem, *inquit ſanctus* „ *Hieronymus*, quin de duodecim Apoſtolis ſermo ſit, „ de quorum fontibus derivata aqua totius mundi ſiccitatem rigant. Juxta has aquas ſeptuaginta creverunt palmæ, quos & ipſos ſecundi Ordinis intelligimus Præceptores, Luca Evangeliſta teſtante duodecim fuiſſe Apoſtolos, & ſeptuaginta Diſcipulos „ minoris gradus, quos & binos ante Dominus præmittebat; quibus & Paulus refert; quod apparuerit „ Dominus primum undecim, deinde Apoſtolis omnibus, alios volens intelligi primos, & alios ſecundos Chriſti diſcipulos. *Nicolaus I. Epiſtol.* 47. Subiturus ad cælos Eccleſiam Apoſtolis commendavit, „ ac per eos tanquam hæreditario jure ſucceſſoribus „ eorum, nobis ſcilicet, quos Paſtores, & Epiſcopos, „ ac Pontifices ſuper ipſam conſtituit. „ Denique Eugen. IV. in celebri decreto pro Armenis, & Patres Trid.

Digitized by Google

ſeſſion. 23. cap. 4. docent, Epiſcopos in locum Apoſtolorum ſuccedere. Ergo ſicut Apoſtoli Diſcipulis, ex Chriſti ordinatione, excellunt: ita Presbyteris Epiſcopi, qui idcirco nonnumquam Apoſtoli vocantur, ut obſervat S. Pacianus epiſt. 1.

Probatur 2. trito S. Auguſtini, & Vincentii Lirinenſis argumento: quod ſemper & ubique in Eccleſia fuit obſervatum, nec in ullo Concilio invenitur inſtitutum; illud cenſeri debet inſtitutionis Apoſtolicæ & Divinæ: atqui talis eſt præeminentia dignitatis & juriſdictionis Epiſcopalis.

Sanctus Ignatius, Apoſtolorum æqualis ac diſcipulus, epiſtola ad Smyrnenſes: „ Epiſcopos ſequimini, „ ut Chriſtus Patrem, & Presbyterorum collegium, „ ut Apoſtolos; ſine Epiſcopo nemo quidquam faciat „ eorum, quæ ad Eccleſiam ſpectant. Honora Deum ut „ omnium Auctorem & Dominum: Epiſcopum vero „ ut principem Sacerdotum, imaginem Dei referen- „ tem: Dei inquam, propter principatum, Chriſti „ vero propter ſacerdotium.

Nec refert quod ſanctus Martyr Presbyteris det locum Apoſtolorum; Diaconis vero locum ſeptuaginta Diſcipulorum; ſemper enim ſubordinationem ſervat. In epiſtola ad Trallianos ſcribit, Diaconum tenere locum Apoſtolorum, Presbyterum locum Chriſti, & Epiſcoporum locum Dei. Ita etiam Auctor Conſtitut. Apoſt. lib. 2. cap. 30.

Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 17. „ Dandi quidem Babtiſmi, *inquit*, jus habet ſummus Sacerdos, „ qui eſt Epiſcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi: „ non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Ec- „ cleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt.

Omnes ferre S. Cypriani epiſt. teſtantur, in Eccleſia, ſive Romana, ſive Carthaginenſi, & in ceteris Affricæ Eccleſiis, unum Clero præfici Epiſcoporum. Illud ipſum indicant Concilia ubique ab initio uſque ad noſtram ætatem celebrata, adeo ut quarto ſæculo non ſolum Catholici, ſed & hæretici ſtupuerint Aerii frontem, qua auſus eſt aſſerere Epiſcopos & Presbyteros eſſe poteſtate ac dignitate pares; erroremque ſtatim

op-

Digitized by Google

oppreſſerint; ut patet ex S. Cypriano & Auguſtino ſupra laudatis.

Dices 1. Act. 20. v. 17. Paulus a Mileto *mittens Epheſum, vocavit majores natu Eccleſiæ*, hoc eſt Presbyteros, quos v. 28. appellant Epiſcopos: *attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Ergo iidem erant Epiſcopi, qui Presbyteri.

Reſpondeo diſtinguendo conſeq. iiſdem nomine tenus, Concedo, iiſdem re, ſeu Ordine & Dignitate, Nego conſeq. jam enim diximus tunc temporis nomen Epiſcopi fuiſſe commune Presbyteris primi & ſecundi Ordinis; ſaniores quippe erat omnes, ſaltem morum gravitate & Dignitatis excellentia.

Inſtas: in una civitate plures non erant Epiſcopi proprie dicti: ergo quos Apoſtolos nominat Epiſcopos, erant dumtaxat ſimplices Presbyteri.

R. 1. Non ex ſola civitate Epheſina ſed ex vicinis locis Apoſtolus advocavit Paſtores, ex S. Irenæo lib. 3. c. 14. *In Mileto*, inquit, *convocatis Epiſcopis & Presbyteris, qui erant Epheſi, & in maximis civitatibus dixit*, &c.

R. 2. Etiamſi ſupponatur ſeniores ex ſola civitate Epheſina ad Apoſtolum conveniſſe, iſthæc ejus verba, *vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, diriguntur ad hujus Eccleſiæ Senatum, cui præerat Epiſcopus; & ita Epiſcopus & Presbyteri poſiti erant a Spiritu ſancto, ille quidem in primo juriſdictionis Ordine, iſti vero in ſecundo.

Dices 2. Act. 15. Apoſtoli & ſeniores pariter convenerunt ad terminandam motam controverſiam de legalibus: & pariter pronuntiarunt, *viſum eſt*... *Spiritui ſancto & nobis*: ergo in exordiis Eccleſiæ par erat Epiſcoporum & Presbyterorum auctoritas.

Nego conſeq. quod enim convocata fuerit tota Eccleſia Jeroſolymitana, & Epiſtola Synodica omnium nomine ſcripta, demonſtrat quidem peractam omnium conſenſionem: ſed non probant Presbyteros, ſeu Seniores tanquam Judices in hac fidei controverſia ſediſſe, ac ſententiam tuliſſe; namque ex ſacro textu con-

Digitized by Google

trarium colligitur, refert quippe S. Lucas ſolos Apoſtolos in ſanctiſſimo illo conventu fuiſſe locutos, & eorum ſententiarum omnibus placuiſſe.

Dices 3. S. Hieronymus plura momenta congerit, ut probet Epiſcopos humano tantum Jure eſſe Presbyteris ſuperiores. Operæ pretium eſt verba S. Doctoris integra exſcribere, utpote difficilia & in ſcholis multum ventilata.

Sanctus igitur Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Titum ſic ſcribit: „ Antequam diaboli inſtinctu ſtudia „ in Religione fierent, & diceretur in populis, ego „ ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, communi preſ„ byterorum Concilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſt„ quam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos „ putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum „ eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur „ ceteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, „ & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Nam, *inquit ep.* „ 85. *Evagrium*, & Alexandriæ a Marco Evangeliſta „ uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, preſ„ byteri unum ſemper ex ſe electum in excelſiore „ gradu nominabant: quomodo ſi exercitus imperato„ rem faciat, aut Diaconi eligant de ſe quem indu„ ſtrium noverint & Archidiaconum vocent. Hactenus S. Hieronymus, ex cujus verbis tria colliguntur. 1, ante Corinthiorum ſchiſma presbyterum, & Epiſcopum fuiſſe unum & eundem, 2. cum prius Communi conſilio Epiſcoporum & Presbyterorum gubernarentur, in remedium ſchiſmatis decreto ac ordinatione Eccleſiæ unum e Presbyteris electum fuiſſe, ac ceteris præpoſitum, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret. 2. hujuſve Presbyteri electionem non fieri nova conſecratione, ſed eo modo, quo ex Diaconis fiunt Archidiaconi, & ex militibus imperatores: atque hunc morem in Eccleſia Alexandrina fuiſſe obſervatum uſque ad S. Dionyſium, hoc eſt ad medium tertii ſæculi.

S. Auguſtinus patrocinatur S. Hieronymo epiſtola 82. alia 19. ad ipſum ſcripta, in qua ſic habet: *quanquam enim ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbytero major ſit*,

te-

Digitized by Google

tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. Quid ad hæc?

Reſpondet Medina lib. 1. de ſacrorum hominum origine & continentia cap. 5. non ſolum Hieronymum ſed & Ambroſium, Auguſtinum, Sedulium, Primaſium, Chryſoſtomum, Theopylactum, & Oecumenium idem Aerio ſenſiſſe. Quam Medinæ ſententiam Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 15. vocat (*ut leviſſime dicam*, inquit) valde inconſideratam, illamque multis momentis egregie confutat, oſtendendo S. Hieronymum & laudatos Patres tantum diſtare ab Aerio, quantum Catholicus ab Hæretico, & cælum ab inferis diſtat, quia Aerius non modo negabat Epiſcopum jure Divino majorem eſſe Presbytero; ſed etiam contendebat Eccleſiam ex abuſu & corruptela Epiſcopos Presbyteris anteponere. At S. Hieronymus aſſerit diſtantiam Epiſcopum inter & Presbyterum legitime fuiſſe ab Apoſtolis poſitam in remedium ſcilicet ſchiſmatis. Deinde S. Doctor agnoſcit Epiſcopum ordinatione divina majorem eſſe Presbytero, quantum ad Ordinis poteſtatem.

Idem tamen Bellarminus loco citato, & Maldonatus Tractatu de Ordine quæſt. 4. cap. 8. concedunt ſanctum Hieronymum ſenſiſſe Epiſcopos jure dumtaxat Eccleſiaſtico Presbyteros antecellere poteſtate juriſdictionis: *Quamvis*, inquit Bellarminus, *ſanctus Doctor non fuerit conſtans in hac ſua ſententia;* probatque ex momentis in noſtra reſponſione conferendis. Itaque.

R. Cum Theologorum turba, negando Sancti Hieronymi fuiſſe ſententiam, Epiſcopos non præeminere Presbyteris jure Divino; ac 1. quidem quod S. Hieronymus agnoverit Epiſcopos jure Divino Presbyteros antecellere poteſtate Ordinis, non poteſt eſſe dubium; cum expreſſe aſſerat laudata epiſtola ad Evagrium, ſolos Epiſcopos ſacræ ordinationis eſſe Miniſtros: „ quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, „ quod non faciat Presbyter? „ Idem docet de Sacramento Confirmationis, Dialogo contra Luciferianos, in quo ſic habet, „ quod ſi hoc loco quæris, „ qua-

Digitized by Google

„ quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſco-
„ pi accipiat Spiritum ſanctum... diſce hanc obſerva-
„ tionem ex auctoritate deſcendere, quod poſt aſcen-
„ ſionem Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcen-
„ dit... Si Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius
„ orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti ob-
„ tineret. „ Ubi ſanctus Doctor colligit tum ex Scriptura, tum ex Traditione, ſolum Epiſcopum eſſe Miniſtrum Confirmationis.

Quod vero ſpectat præminentiam juriſdictionis Epiſcopalis, multa evincunt S. Hieronymum eam divinæ inſtitutioni adſcribere: 1. enim in laudato Commentario Epiſtolæ ad Titum proponit Epiſcopis exemplum Moyſis, *qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. Ex quo infert S. Doctor Epiſcopos debere in commune Eccleſiam gubernare: atqui Moyſes divina inſtitutione major erat ſeptuaginta Senibus, quos, Deo præcipiente, in partem ſollicitudinis aſſumpſerat. 2. ſcribit ibidem: *Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Preſbyteris eſſe majores*. Ergo in mente ſancti Hieronymi, Epiſcopi majores ſunt Presbyteris, partim inſtitutione divina, ſcilicet quoad primariam & radicalem inſtitutionem juriſdictionis Epiſcopalis, quæ ex ratione ſua tendit ad regendum Clerum, & plebem ſubditam, partim conſuetudine Eccleſiæ, quæ, ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ut loquitur ſanctus Doctor, mutavit diſciplinam, decrevitque ut deinceps ad Epiſcopum *omnis Eccleſiæ cura pertineret*: cum ante Corinthianum ſchiſma eſſet communis Epiſcopo & Presbyteris. 3. laudata epiſtola 85. ſcribit Epiſcopos id eſſe in Eccleſia, quod Aaron in Synagoga: Presbyteros filiis Aaronis, qui erant ſimplices Sacerdotes, reſpondere: atqui Aaron jure divino erat ſuperior ſimplicibus Sacerdotibus: Ergo. Denique in epiſtola ad Marcellam ait Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis, qui ſane jure divino ſuperiores erant ſeptuaginta Diſcipulis; *apud nos*, inquit, *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*. Ergo Sanctus Hieronymus ſententiam fuit, Epiſcopos jure di-

divino majores eſſe Presbyteris, quod poteſtatem juriſdictionis.

Nec obſtant, quæ ex verbis ſancti Doctoris eliciunt.

Non primum, quia ſanctus Doctor probat dumtaxat eos qui nunc dicuntur Presbyteri, olim appellatos fuiſſe Epiſcopos: quod ſupra poſt S. Chryſoſtomum agnovimus.

Non ſecundum; quamvis enim Epiſcopus & Presbyteri ante Corinthianum ſchiſma communi conſilio gubernarent; in illo tamen conſeſſu præerant Epiſcopi, ut jam diximus in reſponſione ad primam & ſecundam objectionem; cum enim tunc omnes gregi Domini invigilarent ac intenderent, merito omnes dicebantur Epiſcopi, hoc eſt ſpeculatores & intendentes. Ex quo autem omnis Eccleſiæ cura ad unum pertinuit, Epiſcopi nomen evaſit illi proprium, & ſimplices Sacerdotes retinuerunt ſolum nomen Presbyteri, utpote qui ſupponantur Senes tum ætate, tum præſertim morum maturitate.

Non tertium: ita enim S. Hieronymus ſcribit unum e Presbyteris electum fuiſſe in Epiſcopum; quomodo unus e Diaconis eligitur in Archidiaconum, & unus ex exercitu in Imperatorem, ut non neget Presbytero ſic electo neceſſariam fuiſſe novam inaugurationem ad obeunda munia Pontificalia. Enimvero quomodo illud negaret, qui tam diſerte docet Presbyterum non poſſe Neophytos confirmare, nec Eccleſiæ Miniſtro ordinare?

Inſtas: atqui iſthæc interpretatio aliena eſt omnino a ſcopo, & a mente S. Hieronymi.

Probatur ſubſumptum. Argumenta Hieronymi eo tendunt, ut comprimatur tumor quorumdam Diaconorum Romanæ Eccleſiæ, qui, ut erant Præfecti ærarii Eccleſiaſtici, officioſius a populo obſervabantur, & ideo ſe ſupra Presbyteros extollebant. „ Audio, *inquit*, quendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut „ Diaconus Presbyteris, ideſt, Epiſcopis anteferret. „ Nam cum Apoſtolus clare docet eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos, quis patiatur ut menſarum & viduarum Miniſter ſupra eos ſe tumidus ef-

 „ ferat,

„ ferat , ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque con-
„ ficitur ? „ Probat autem in primis Presbyteros eſſe Epiſcopos , quia unus ex Presbyteris in Eccleſiæ primordiis ſolebat eligi in Epiſcopum , quemadmodum ſi unus ex Diaconis aſſumatur in Archidiaconum . Atqui vanum & futile eſſet illud argumentum , ſi Presbytero ſic electo opus eſſet nova conſecratione ad obeunda munia Epiſcopalia . Diaconi quippe reponere poſſent , etiam ex Diaconis eligi Epiſcopos ; S. enim Athanaſius Diaconus ſucceſſit S. Alexandro in Sede Alexandrina . An propterea liceret S. Hieronymo concludere eum ſe ſupra Epiſcopum erigere , qui adverſus Diaconum intumeſceret ? Minime vero , cum Diaconus in Epiſcopum electus indigeat inauguratione ſaltem Presbyterii : ergo S. Hieronymus nihil concludit adverſus timidos Diaconos , niſi excludat a Presbytero in Epiſcopum electo neceſſitatem novæ conſecrationis .

Nego ſubſumptum , cujus confirmationis minorem diſtinguo : vanum ac futile eſſet ratiocinium S. Hieronymi in aliqua hypotheſi , Concedo ; in hypoteſi , in qua verſatur , Nego minorem . Enimvero S. Hieronymus ſpectat Presbyteros juxta diſciplinam , quæ obtinuit tempore Apoſtolorum & permanſit in Eccleſia Alexandrina uſque ad medium tertii ſæculi : hoc eſt , quatenus Eccleſiam in commune gubernabant præſide Epiſcopo ; & ita nomen Epiſcopi , ſeu ſpeculatoris & intendentis ipſis competebat , idemque erat ſupra Presbyterum , ac ſupra Epiſcopum ſe efferre . Præterea tunc temporis Presbyteri ex gremio ſuo unum eligebant , quem ſibi præficerent , quemadmodum Cardinales Romanæ Eccleſiæ unum ex ſuo Collegio eligunt in ſummum Pontificem , qui hoc ipſo ipſis præficitur , quamvis , niſi jam Epiſcopus fuerit omnia quæ ſunt ſummi Pontificis exercere , nequeat , niſi prius conſecretur . Porro qui ſe extollerent vel ſupra illos Presbyteros Epiſcopi electores & cooperatores , vel ſupra Cardinales merito diceretur ſe efferre ſupra vel Epiſcopum , vel ſedem Apoſtolicam ; quod reponi nequit de Diaconis in hypotheſi , quod ex ipſis unus in Epiſcopum vel Presbyterum aſſumeretur , quia cum ſint in ordine

Mi-

Digitized by Google

Miniſtrorum, cum Epiſcopo aut Presbytero Eccleſiam non gubernant, nec jus habent eligendi ex ſuo ordine Epiſcopum aut Presbyterum, ac proinde falſo diceretur quis ſupra Epiſcopum aut Presbyterum ſe extollere, eo ipſo, quo in Diaconum inſurgeret.

Non quartum, quod petitur ex S. Auguſtino, quia S. Doctor ſcribit vocabulum Epiſcopi, non vero characterem Epiſcopalem ex uſu Eccleſiæ evaſiſſe honoris titulum, ſcilicet ex quo decretum eſt, ut omnis Eccleſiæ cura ad Epiſcopum devolveretur; cum ante ſchiſma Epiſcopi nomen eſſet officii & laboris; non ſolum apud Chriſtianos, ſed etiam apud Judæos, & apud Ethnicos, ut patet ex ſupra allato Ciceronis teſtimonio. Nec aliud volunt PP. quos laudat Medina.

Fidem non meretur quod nono habente ſæculo ſcripſit Eutychius Patriarcha Alexandrinus, ſcilicet nullum in Ægypto extitiſſe Epiſcopum uſque ad Demetrium, cui Heraclas ſucceſſit in Sede Alexandrina circa ann. 234. ideoque Patriarchas illius Eccleſiæ per illud tempus fuiſſe conſecratos impoſitione manuum Presbyterorum. Namque 1. incredibile eſt S. Marcum, qui fundavit Eccleſiam Alexandrinam, eamque rexit 19. ann. ſolum ex Apoſtolis ſeu Apoſtolicis viris nullos ordinaſſe Epiſcopos, ſolamque Ægyptum tamdiu ſponſo fuiſſe viduatam. 2. Una eſt omnium Scriptorum vox, Anianum, qui ſub S. Marco militavit, S. Evangeliſtæ ſucceſſiſſe in Sede Alexandrina. 3. Ex Tertulliano lib. contra Valentinianos: Valentinus erat Ægyptius & ad hæreſim defecit ægre ferens, quod alter in Epiſcopatu ipſi prælatus fuiſſet, ex S. Epiphanio hæreſi 31. 4. S. Dionyſius creatus Epiſcopus Alexandrinus ann. 248. ſcribit adverſus Nepotem Epiſcopum in Ægypto, ex Euſebio lib. 7. Hiſt. cap. 19. & in Epiſt. ad Fabium Antiochenum (apud eundem Euſebium cit. lib. 4 cap. 42.) meminit cujuſdam Cheremonis grandævi Epiſcopi Ægyptii. 5. Denique, inauditum eſt in Eccleſia Epiſcopum inaugurari a ſimplicibus Presbyteris.

Dices 4. Concilium Carthaginenſe quartum, ad quod

Digitized by Google

quod conveniſſe feruntur 214. Epiſcopi, cuique ſubſcripſit S. Auguſtinus; Presbyteros pares facit Epiſcopis; ſic enim habet Can. 35. *Collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat* (Epiſcopus.) Et Can. 34. *Epiſcopus quolibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur*: Ergo.

Nego ant. Immo laudatus Can. 35. confirmat noſtram ſententiam, nedum deſtruit, ita enim PP. ſtatuunt: *Ut Epiſcopus in Eccleſia & in conventu Presbyterorum ſublimior ſedeat: intra domum vero, collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat*. Itaque nomen collegæ non ſemper ſignificat omnimodam æqualitatem ut in duobus Conſulibus, Imperatoribus, Epiſcopis, ſed plerumque ſocietatem dumtaxat & collectionem hominum ad diem munus explendum, ſervato tamen ſociorum ordine. Sic Imperator exercitus Centuriones & alios inferiores Præfectos vocitare ſolet ſocios, commilitones, & Collegas. Quod autem PP. Carthaginenſes eo ſenſu nomen collegæ acceperint, conſtat ex ipſo canonis contextu, in eo quippe decernunt Epiſcopo non ſolum primam, ſed & ſublimiorem ſedem, quoties celebris Presbyterorum conventus habetur, ut in Eccleſia, vel Synodo in privatis vero & familiaribus congreſſibus monent Epiſcopum, ne Presbyterum coram ſe ſedente ſtare patiatur, utpote qui non ſit ejus miniſter, quemadmodum Diaconus, ſed ſocius & collega in regimine Eccleſiæ, in qua præeſt iſte ſuo & inferiori modo; ita & in omni loco ei ſedere competit, Diacono vero ſtare utpote Epiſcopi & Presbyteri miniſtro. Quia, tamen Diaconus non miniſtrat niſi in iis, quæ pertinet ad cultum Dei; & eatenus non tam eſt miniſter hominis, quam Dei: PP. Carthaginenſes volunt ut Presbyter & Epiſcopus ejus miniſterium in honore habeant, jubeantque illum coram ſe ſedere, quod herus nunquam ſuo famulo concederet: *Diaconus*, inquiunt, Can. 37. *Ita ſe Presbyteri, ut Epiſcopi miniſtrum noverit*. Et Can. 39. *Diaconus quolibet loco, jubente Presbytero ſedeat*.

Q. 1. *Eſtne de fide Epiſcopum jure divino ſuperiorem eſſe Presbytero?*

R. Etſi

R. Etſi Eccleſia hactenus expreſſe non definierit Epiſcopos jure Divino eſſe Presbyteris ſuperiores, quoad poteſtatem juriſdictionis, ſententia tamen affirmans omnino eſt tenenda.

Prob. Tum quia momenta in confirmationem præcedentis reſponſionis prolata illud demonſtrant; tum quia, licet Conc. Trid. expreſſe non definierit hujuſmodi propoſitionem fide Divina eſſe credendam, evidenter tamen colligitur ex ejus doctrina; namque 1. ſeſſ. 23. cap. 4.: *Declarat præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere; & poſitos, ſicut .... Apoſtolus ait, a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei.* 2. Can. 6. ſub anathemate credendum docet in Eccleſia Catholica eſſe Hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. Atqui ſi Epiſcopi non eſſent jure Divino, ſed Eccleſiaſtico dumtaxat Presbyteris ſuperiores ratione poteſtatis juriſdictionis, Hierarchia Eccleſiaſtica Divina Ordinatione non eſſet inſtituta, cum in ea Epiſcopi non præeſſent Presbyteris, niſi lege Eccleſiaſtica: Ergo. Hinc Maldonatus Tractatu de Ordine cap. 8. aſſerit noſtram ſententiam proxime accedere ad fidem: alii, ut Eſtius in 4. diſt. 24. §. 25. certam & efficaciter deductam ex ſacris litteris. Sacra Facultas Pariſienſis oppoſitam ſententiam cenſura ſua notavit ut falſam, verbo Dei contrariam, & olim a ſe reprobatam ann. 1664. die 24. Maji.

Q. 6. *Quot ſunt Epiſcopi officia?*

R. Septem recenſet lib. Pontificalis his verbis: *Epiſcopum oportet judicare, interpretari,* (ſcilicet verbum Dei & legem) *conſecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.* Quam autem ſingula officia ſint gravia, & late pateant, alienum eſt a noſtro inſtituto accuratius exponere; non enim ſervimus futuris Epiſcopis, ſed futuris dumtaxat Presbyteris, & Parochis, ad quos non ſpectat docere Epiſcopos, quanta Deus & Eccleſia ab ipſis exigant.

Digitized by Google

§. XV.

De Chorepiſcopis.

Q. 1. QUinam erant Chorepiſcopi, quorum frequentem mentionem faciunt Concilia & Scriptores Eccleſiaſtici?

R. Erant Epiſcoporum Vicarii, ſeu Suffraganei in pagis conſtituti, qui plura obibant munia Epiſcopalia; nam χώρα oppidum ſignificat.

Q. 2. *Chorepiſcopi erantne inſigniti charactere Epiſcopali?*

R. Theologi conveniunt quoſdam Chorepiſcopos conſecratione Epiſcopali fuiſſe inauguratos, nimirum qui a ſua ſede pulſi fuerant, vel ab hæreſi ad Eccleſiam Catholicam redibant. Primum patet de Armentario, qui ex Epiſcopatu Ebrodunenſi dejectus, a Synodo permiſſus eſt Chorepiſcopum agere in pagis quibuſdam, & urbibus minoribus. Secundum de Epiſcopis Novatianis ad fidem converſis, quibus primum Conc. Nicænum Can. 8. Chorepiſcopatus Dignitatem concedit. Mihi etiam veriſimile eſt Epiſcopos aliquando propter ampliſſimas Diœceſes, quas, vel propter ſenium, vel propter perſecutiones infidelium, & pericula itinerum in pagis ac minoribus civitatibus Chorepiſcopos Epiſcopali charactere donaſſe, vel uti Suffraganeos, quales hodie cernuntur in Germaniæ partibus. Suadet Can. 10. Conc. Antiocheni ann. 341. in quo ſic habetur: *Ii, qui ſunt in vicis, & pagis, qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem, manuumve impoſitionem acceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent, earumque cura & ſolicitudine gerenda contenti ſint. Conſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment: nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe & regio ...... fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis, cui ſubjicitur.* In hoc Canone ſermo eſt de Chorepiſcopis, qui ordinati

Digitized by Google

nati fuerant Epiſcopi, ſecernunturque ab aliis, qui erant dumtaxat Presbyteri. Iis competit ex officio ordinare Subdiaconos, & inferiores Clericos; quemadmodum Concilium Ancyranum can. 12. agnoverat anno 314. ſed nonniſi ex licentia Epiſcopi primarii Diaconos & Presbyteros conſecrare debent, quod laudatum Concilium Ancyranum jam præſcripſerat.

Poſtrema canonis verba, *fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo Civitatis, cui ſubjicitur*, difficultatem pariunt: quia juxta canones, Epiſcopus non conſecratur, niſi a tribus Epiſcopis. Sed illa difficultas facile ſolvitur ab iis, qui contendunt legem illam eſſe mere Eccleſiaſticam, Ordinemque Epiſcopalem ab uno Epiſcopo valide ac licite poſſe conferri in caſu neceſſitatis, quæ hic facile præſumitur; cum tunc temporis difficilius eſſet tres Epiſcopos ex remotis locis, in unum convenire ad Chorepiſcopum in pago inaugurandum.

Alii volunt canonem illud dumtaxat ponere diſcrimen inter Ordinationem primarii Epiſcopi, & Chorepiſcopi, quod primarius Epiſcopus ex canonum præſcripto conſecrandus ſit a Metropolitano, adjunctis duobus Epiſcopis aſſiſtentibus, Chorepiſcopis a ſuo primario Epiſcopo, & duobus Chorepiſcopis ex locis adjacentibus.

Alii ex poſtrema illa canonis parte certo evincere ſe exiſtimant Chorepiſcopos ex ſua inſtitutione fuiſſe tantum Presbyteros, qui tanquam Vicarii generales Epiſcopi, nonnulla juriſdictionis Epiſcopalis exercebant: per accidens vero fuiſſe, quod aliqui ex Chorepiſcopis inſigniti eſſent charactere Epiſcopali. Probant autem ſuam ſententiam ex reſponſo Leon. III. ad Epiſcopos Galliæ, qui apud ipſum conqueſti fuerant de Chorepiſcoporum arrogantia ann. 800. Reſponſum Leonis III. amplexi ſunt Epiſcopi Galli & Germani anno 803. referturque in Capitulari Aquiſgranenſi. In illo autem reſponſo declarat Summus Pontifex non eſſe Presbyterum, aut Diaconum, aut Subdiaconum a Chorepiſcopis ordinatum; neque quidquam, quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſerit, eſſe peractum; ſed

quid-

Digitized by Google

quidquid ex iis illicite erat ab ipſis præſumptum; omnia a canonice ordinatis Epiſcopis debere rite peragi, *quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non finit, ut videatur iteratum*.

Contrarium eodem ſæculo Nicolaus I. Ep. 39. reſpondit Rodulpho Archiepiſcopo Bituricenſi, qui ad ipſum ſcripſerat Presbyteros & Diaconos a Chorepiſcopis ordinatos a quibuſdam Epiſcopis deponi, ab aliis vero denuo conſecrari: „ Nos vero, *inquit Summus Pontifex*, dicimus nec innocentes oportere per„ celli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel ite„ ratas conſecrationes: Ad formam enim ſeptuaginta „ Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet Epiſco„ porum habuiſſe officia? Sed quia ſacri canones ve„ tant, ne omnes ſibi omnia vindicent, ac per hoc „ dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuos videa„ tur transferri, fiatque vilior honor Epiſcopi, de„ cernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri. Hinc intricatiſſima quæſtio, & longa diſſertatione indigens, num Chorepiſcopi ex ſua inſtitutione eſſent veri Epiſcopi, an tantum Presbyteri ac veluti Decani rurales? Deinde quomodo conciliari poſſint reſponſa ſummorum Pontificum: an ſuppoſititia ſit Epiſtola Nicolai I. aut reſponſum Leonis III. & Capitulare Aquiſgranenſe; id enim ſuſpicantur de epiſtola Nicolai I. qui exiſtimant Chorepiſcopos fuiſſe dumtaxat Presbyteros; contra vero alii, qui volunt eoſdem fuiſſe Epiſcopos, ſuſpectum habent reſponſum Leonis III. maxime cum nititur Decreto Damaſi, quod conſtat eſſe ſuppoſititium, pugnetque adverſus Concilium Nicænum ſecundum, quod agnoſcit ex antiqua conſuetudine Chorepiſcopos ordinare Clericos minores. Quin Concilium Meldenſe poſt receptum Leonis III. reſponſum, ut ſupponitur, hoc eſt, anno 849. prohibet Chorepiſcopis dumtaxat can. 44. ne Sacramentum Confirmationis conferant, vel etiam Ordines Eccleſiaſticos, qui per impoſitionem manuum tribuuntur, id eſt, Diaconatum, & Presbyteratum. Pugnantia ejuſmodi Decreta forte conciliari poſſent, ſi diceretur Leonem III. & Concilium Aquiſgranenſe loqui de Chorepiſcopis juxta co-

Digitized by Google

eorum inſtitutionem ſpectatis, nempe ut Presbyteris; quibus non competit Minores etiam Ordines conferre, niſi ex privilegio quod eis concedunt Concilium Nicænum II. & Concilium Meldenſe; Nicolaum vero I. ſcribere de Chorepiſcopis, quos Epiſcopi quietis nimium amantes facilius charactere Epiſcopali donabant, ut graviora Sacerdotii onera in eos conjicerent. Sed cum ejuſmodi difficultatum elucidatio nihil ad propoſitum noſtrum conferat, & ad eam opus ſit longa diſſertatione, eas non ingredimur; conſulant, qui voluerint, Petrum de Marca, Hallierum, & Molinum.

Q. 3. *Quando & qua occaſione abrogati ſunt Chorepiſcopi?*

R. 1. Abrogati videntur nono exeunte ſæculo; nulla enim eorum fit mentio poſterioribus ſæculis. 2. Cauſſa abrogandi Chorepiſcopos fuit partim eorum præſumptio, de qua frequentes erant in Gallia querimoniæ nono ſæculo: partim Epiſcoporum diſſidia, & muneris ſui negligentia; ii quippe vel propriæ quietis nimium amantes, vel in aulis Principum frequentiores, Sacerdotii onera in Chorepiſcopos paſſim rejiciebant, ut teſtatur Hincmarus tom. 2. Conciliorum Galliæ: „ Quidam Epiſcopi, *inquit*, etiam a longe „ procedentibus temporibus ſcandalum pro ſua quie„ te & voluntate intromiſerunt, ordinantes Chorepi„ ſcopos, & eis quæ ſummis Pontificibus conveniunt, „ agere permittentes, quos Apoſtolica Sedes reproba„ vit, & Apoſtolico mucrone reſcidit, ſicut in De„ cretalibus eorum qui voluerit recenſere, inveniet.„

APPENDIX.

De Tonſura Clericali.

DOctrinæ ratio poſtulat, ut expoſita cujuſque Ordinis notione, ſanctitate, ac officiorum varietate, diſſeramur de Tonſura Clericali, per quam Eccleſia initiandos præparat ad Ordines.

§. I.

§. I.

De notione Tonſuræ Clericalis.

Q. 1. *Tonſura Clericalis eſtne Ordo?*

R. Minime. quidqud contra ſentiant Canoniſtæ, quia ex dictis per Ordinem datur poteſtas ſpiritualis exercendi nonnulla officia, quæ tendunt ſaltem remote ad Miſſæ ſacrificium rite peragendum: atqui per Tonſuram Clericalem ejuſmodi poteſtas non confertur, Clericus quippe ſola Tonſura inſignitus nullam habet in Eccleſia functionem: ergo Tonſura Clericalis non eſt Ordo. C. tamen *Cum contingat*, tit. de ætate & qualitate præficiendorum dicitur Clericatus Ordo, ſed latiori ſignificatione, juxta quam Congregationes Monaſticæ vocantur Religioſi Ordines, ut capite primo obſervavimus: per Tonſuram quippe Clerici deputantur ad quoddam ſanctioris vitæ genus.

Q. 2. *Quid eſt igitur Tonſura Clericalis?*

R. Eſt cæremonia ab Eccleſia inſtituta, per quam Laicus baptizatus, & Sacramento Confirmationis conſignatus, ſacro ritu in Clerum adſcribitur.

Dicitur 1. *cæremonia ab Eccleſia inſtituta*: *quia* Tonſura Clericalis non eſt inſtitutionis divinæ, cum Eccleſia Græca illam non obſervet, & in Latina nullum ejus inveniatur veſtigium tribus primis ſæculis. Sanctus enim Cornelius ſummus Pontifex in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum ſcripta tertio mediante ſæculo, accurate deſcribit diverſos Clericorum gradus, qui ſua ætate erant in Eccleſia Romana, nulla facta mentione Tonſuræ Clericalis. S. quoque Cyprianus, ſancti Cornelii coætaneus, ep. 61. non agnoſcit alios Clericos præter eos, qui altari & ſacrificiis deſerviunt: „ Cum, *inquit*, ſinguli „ divino Sacerdotio honorati, & cuncti in Clericali miniſterio conſtituti, nonniſi altari & ſacrificiis „ deſervire, & precibus atque orationibus vacare de„ beant.

Di-

Dices 1. *Sanctus* Anicetus, qui Eccleſiam rexit ſecundo ſæculo, ſtatuit ex libro Pontificali Damaſi, „ ut Clerici, juxta Apoſtolum, comam non nutriant, „ ſed deſuper caput in modum ſpheræ eradant, quia „ ſicut diſcreti eſſe in converſatione debent, ita & „ in tonſura & in habitu diſcreti debent apparere:„ ergo Clerici á primis Eccleſiæ ſæculis fuerunt attonſi.

R. Negando illud Decretum eſſe S. Aniceti; nam conveniunt omnes Theologi Decretales Epiſtolas, quæ tribuuntur ſummis Pontificibus ſancto Siricio, hoc eſt, quarto ſæculo antiquioribus, eſſe adulterinas, & confictas octavo ſæculo.

Dices 2. ex Gregorio Turonenſi lib. 1. de gloria Martyrum cap. 28. *Petrus Apoſtolus ad humilitatem docendam, caput deſuper tonderi inſtituit.* Ergo.

Reſpondet Amalarius de divinis officiis c. 15. ejuſmodi Traditionem eſſe admodum incertam: „ Interrogatus ab aliquibus, *inquit*, quis primus tonſus „ ſit more noſtro? legi in epiſtola cujuſdam viri, „ Petrus. Sed quia non tantæ auctoritatis eſt, maluimus eum præterire. Non tamen abs re eſt, ſi dixerimus eum (*Petrum*) vel aliquem ejus ſucceſſorem „ 1. fuiſſe tonſum more noſtro; quoniam ab illa Eccleſia ſumptus eſt ille uſus, in qua illi ſederunt.„ Enimvero credibile non eſt, quod tribus prioribus ſæculis Clerici, in quos perſecutio maxime ſæviebat, & ideo occultare ſe cogebantur, externo Tonſuræ Clericalis ſigno perſecutoribus ſe prodiderint, nec aliud ex veteribus monumentis colligi poteſt, quam Clericos nunquam comam nutriviſſe, ſemper inceſſiſſe compoſito ad modeſtiam capillo.

Dicitur 2. *Laicus baptizatus, & Sacramenti Confirmationis conſignatus*, 1. quia ſoli Eccleſiæ filii gaudere debent ejus honoribus: atqui per Baptiſmum naſcuntur Eccleſiæ filii: Ergo: 2. quia Neophytus nondum Confirmationis ſignaculo munitus, dicitur a Patribus ſemi-Chriſtianus, parvulus in Chriſto, qui ut adverſus perſecutores fidei decertare valeat tanquam gregarius miles, ſacro chriſmate roborandus eſt ac perficiendus:

Digitized by Google

dus: Ergo a fortiori ut inter duces hujus ſpiritalis militiæ adſcribatur. Hinc ordinationem Novatiani, qui ſacramento Confirmationis conſignatus non fuerat, uti illegitimam Veteres reprehenderunt. Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 4. de reform. ſanxit, ut *prima tonſura non initientur, qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint.*

Dicitur 3. *ſacro ritu*; Eccleſia enim pro Clerico ordinando præſcripſit ſolemnes ritus, de quibus poſtea ſigillatim, a ſolo Epiſcopo peragendos, ut vel hinc Fideles intelligant quanti facienda ſit Tonſura Clericalis.

Dicitur 4. *in Clerum adſcribitur*, per illam quippe cæremoniam evehitur quis e ſtatu Laicorum ad Ordinem Eccleſiaſticum, atque eo titulo gaudet honoribus & privilegiis Clericorum, quemadmodum monet Pontifex completo Tonſuræ ritu, *Filii Cariſſimi*, inquit, *animadvertere debetis, quod hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & privilegia Clericalia ſortiti eſtis.*

Q. 3. *Omnes Tonſura inſigniti gaudentne hujuſmodi privilegiis?*

R. Minime, ſic enim decernit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 6. de reform. „ Is etiam (*Clericus*) „ fori privilegio non gaudeat, niſi Beneficium Eccle- „ ſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & Ton- „ ſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi „ inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in ali- „ qua ſchola, vel Univerſitate de licentia Epiſcopi, „ quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos ver- „ ſetur.

Q. 4. *Quæ ratio movit Eccleſiam, ut ſacram hanc cæremoniam inſtitueret?*

R. Sacramenti Ordinis dignitas ac eximia ſanctitas, ad quod Tonſura Clericali eſt quædam præparatio, ſicut Catechumenatus ad Baptiſmum, ex Catechiſmo Romano; & Novitiatus ad profeſſionem Monaſticam ex Halliero & aliis paſſim Theologis. Cum enim Sacerdotium ſit res plane Divina, nec ad ejus munia ut par eſt, obeunda ſatis ſit ſtudium acquirendæ perfectionis, quemadmodum ſufficit ad profeſſio-

nem

Digitized by Google

nem Monaſticam; ſed requiratur ipſa perfectionis adeptio, ut ſuo loco demonſtrabimus, æquum fuit, ut Eccleſia ſuis Candidatis, qui ſigna divinæ vocationis & bonæ ſpei præſeferrent, prius rudimentis diſciplinæ Sacerdotalis imbuendos curaret, quam ad ullum Ordinem admitterentur.

Quemadmodum igitur idoneus non eſt ad profeſſionem Monaſticam emittendam, qui prius per annum ſaltem diſciplinæ regularis tyrocinium non poſuerit; Computatur autem ille probationis annus a die duntaxat, qua ſæcularem habitum, comam, & quidquid redolet pompam mundanam, depoſuit, Religioſum veſtitum induit, quem ſi ſemel abjiciat, perinde eſt ac ſi Novitiatum abdicet: interim Monaſterii leges, ac conſtitutiones plene edocetur, & ad eas aſſiduis exercitationibus ita accurate inſtituitur, ut ad aliud cum Religioſis profeſſis ipſi interdicatur, ne quid in eis forte deprehendat, quod ex humana fragilitate, ut ſolet, exciderit, unde minuatur ejus ſtudium exigendi mores juxta Ordinis inſtitutum, nec alia via ſervari aut reſtitui poteſt regularis diſciplina: Similiter Eccleſia a ſuis Novitiis exigit 1. ut habitum ſæcularem abjiciant: 2. caput attondeant: 3. veſtem Clericorum propriam aſſumant, deferantque continuo cum ea, quæ decet, modeſtia: 4. profiteantur ſanctioris vitæ diſciplinam, & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 23. *cap.* 6. in Seminario inſtituantur juxta Eccleſiaſticas leges, niſi ſtudiorum cauſſa *in aliqua ſchola de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſentur*, ſub cura tamen vel parentum, vel alicujus probatæ perſonæ, ut mores eorum Sacerdoti & inſtituto conveniant.

§. II.

§. II.

De depoſitione ſæculari habitus.

PRimo initiandus expoliat ſe omnibus ornamentis ſæculi, quæ liber Pontificalis ideo vocat ignominiam ſæcularis habitus, quia vana veſtium elegantia & ſuperfluus cultus ſunt veluti inſignia, Gallice *livrées*, quibus denotantur, qui mundo ſerviunt ſub principe dæmone; ac propterea ſacræ Tonſuræ candidatus, ut teſtetur ſe mundo vale dicere, ante omnia exuit ſæcularem veſtitum; mox induendus Religionis veſte pulla, & lugubri, ut nihil ſit ipſi commune cum mundanis. Unde Enodius lib. 11. epiſt. 14. ad Camellam, cujus filius erat Clero adſcriptus: „ *Si*, inquit, *eum mundo ſubtraxeris, mundi in ſe ſchemata non requiras*. Caveat ergo Clericus, ne quid eorum aliquando reſumat fœdifragus; quæ ſolemniter & coram altari propter Deum abjicit, ſed dicat cum ſponſa Cant. 5. urgentibus eum ad ignominioſam hujuſmodi defectionem, *expoliavi me tunica mea, quomodo induar ea*? Hanc gratiam ipſi adprecatur Pontifex in oratione, qua complet Tonſuræ ritum: „ Omnipotens ſempiterne Deus, *inquit*, propitiare peccatis noſtris, & ab omni ſervitute ſæcularis habitus hos famulos tuos emunda: ut dum IGNOMINIAM ſæcularis habitus deponunt, tua ſemper in æternum gratia perfruantur.

§. VII.

De attonſione & raſura capillorum.

SEcundo Novitius noſter offert capillos ſolemni ritu tondendos, & in vertice capitis radendos in formam ſpheræ ſeu coronæ utpote legis Evangelicæ Levita, id eſt, aſſumptus ex populo, ac Nazaræus, hoc eſt, a Laicis ſeparatus. De Levitis enim ſic habetur Num. 8. „ Tolle Levitas ex medio filiorum

„ Iſrael

Digitized by Google

„ Iſrael . . . aſpergantur aqua luſtrationis, & radant
„ omnes pilos carnis ſuæ . . . cumque Levitæ fuerint
„ coram Domino, ponent filii Iſrael manus ſuas ſu-
„ per eos: *In ſignum ſcilicet quod eos Domino dona-*
„ *rent; unde ſequitur*, & offeret Aaron munus in con-
„ ſpectu Domini a filiis Iſrael. *De Nazaræo vero lex*
„ *ita præſcribit cap.* 6. omnibus diebus conſecrationis
„ ſuæ ſanctus erit Domino. *Et infra*, tunc radetur
„ Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis cæſarie
„ conſecrationis ſuæ: tolletque (*Sacerdos*) capillos
„ ejus, & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſa-
„ crificio pacificorum.

Quidquid ſit de variis hujuſce ritus myſticis ſignificationibus, e diverſis Scriptoribus excogitatis, conſtat apud omnes detonſionem capitis in Eccleſia Catholica ſemper fuiſſe uſurpatam in ſignum abdicationis rerum terrenarum, & negotiorum ſæcularium, adeo ut apud Scriptores Eccleſiaſticos tondere capillos Religionis gratia, idem ſit, ac abdicare ſæcularia deſideria & ſanctioris auſteriorisque vitæ genus amplecti.

Quod autem Eccleſia eo fine inſtituerit Tonſuram Clericalem, demonſtrat ritus ejus integer, qui ſane mimicus eſſet ludus, ſi initiandus ad eum alia mente accederet. Enimvero Pontifex cæremoniam auſpicaturus, aſtantes commonet his verbis: *Oremus, Fratres cariſſimi, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro his famulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum feſtinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis conſervet, & a mundi impedimento, ac ſæculari deſiderio corda eorum defendat: (expurgatos ergo jam ſupponit, cum ne contaminentur ſit duntaxat anxius) ut ſicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, & ab omni cæcitate ſpirituali & humana oculos eorum aperiat, & lumen eis æternæ gratiæ concedat*. En quam multa & perfecta a Clerico mox futuro expetuntur.

Præmiſſa Pontificis commonitione, ritus conſecrationis ſtatim inchoatur a Pſ. 15. quem quidem David

Digitized by Google

cecinit in perſonâ Chriſti, ſed initiandus ex ordinatione Eccleſiæ eum ſibi accommodat, utpote qui Chriſto totaliter adhærens, unus ſpiritus cum illo efficiatur. Dicit ergo: *Conſerva me, Domine, quoniam ſperavi in te*, hoc eſt in ſenſu accommodatitio, conſerva, Domine, quem ex populo elegiſti in præcipuam ſortem tuam. Scio quod bonorum meorum non eges, cum ipſe ſit omne bonum; ſed æterna lex tua jubet, ut opera tua ſerviant tibi, & ea, quæ ex te exierunt, ad te redeant rerum omnium principium: ideoque me totum tibi devoveo. Homines cæci vecordiæ tribuent, quod vanas ſpes, quibus me lactat mundus, contemnam; ſed mirificabis voluntates meas in Sanctis tuis, qui laudabunt efficaciam gratiæ tuæ, qua me multiplici infirmitate laborantem a ſæcularibus deſideriis retraxiſti, ut ſacrificium, quod nunc offero, tibi ſit acceptum, qui non delectaris hoſtiis carnalibus, & pura mente ſolemnem hanc profeſſionem emittam, DOMINUS PARS HÆREDITATIS MEÆ, ET CALICIS MEI, TU ES, QUI RESTITUES HÆREDITATEM MEAM MIHI. His verbis a Pontifice nomine Dei acceptatis, adjuncta tonſione capillorum conſignatis, conſecratur Nazaræus noſter.

Ergo latum eſt diſcrimen inter collationem Ordinum, & collationem Tonſuræ Clericalis. In collatione ſcilicet cujuslibet Ordinis initiandus accipit a Domino per miniſterium Pontificis: in collatione vero Tonſuræ ipſe munus offert: illic audit Pontificem dicentem, *accipe poteſtatem legendi*, *offerendi*, &c. & acceptat; hic loquitur ipſe ſolemniterque profitetur ſe remittere nuntium deſideriis ſæcularibus, ac totum ſe tradere Domino, ut ſit ejus ſors & hæreditas; nec aliæ ſunt partes Pontificis, quam ut nomine Dei ac totius Eccleſiæ præclarum munus gratum habeat, preceturque quatenus emiſſam profeſſionem ſua gratia confirmet: *Præſta quæſumus, omnipotens Deus*, inquit tonſione peracta, *ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino depoſuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, & eos ſine macula in ſempiternum cuſtodias.*

Cle-

Clericus in ſua profeſſione calicem commemorat; ſive quia ſortes, quibus hæreditas inter fratres dividitur, in calice ſeu vaſe reponi ſolent; ſive quia centuplum ſequentibus Chriſtum promittitur Marci 10. v. 30. cum perſecutionibus, quas calicis nomine Scriptura deſignat Matth. 20. v. 22. *poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* Clericus quippe non vocatur ad quietem & delicias temporales; ſed ad laborem, & tribulationes multas. Spinea Chriſti corona, cujus ſignum geſtat in capite, prius impoſita fuit in contumeliam ac ludibrium, quam verteretur in gloriam & honorem. Crux quoque in tonſionis ritu delineata apud Latinos & Græcos ipſum armat ad tolerantiam; „ neque ob id tantum iu coronam attondemur, *inquit* „ *Beda lib.* 5. *Hiſt. cap.* 22. quia attonſus eſt Pe- „ trus; ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ Paſ- „ ſionis ita attonſus eſt. *Et S. Germanus Conſtantino-* „ *politanus in Theoria:* Duplex corona, *inquit*, cir- „ cumpoſita capiti Sacerdotis ex capillorum ſignifica- „ tione, imaginem referre venerandi capitis Apoſto- „ li Petri, quæ . . . ei attonſa eſt ab iis, qui ejus „ ſermoni non credebant, ut illuderetur ab ipſis; ei- „ que Magiſter Chriſtus benedixit, & infamiam in „ honorem, illuſionem in gloriam convertit. *Ex qui-* „ *bus Hallierus art.* 2. §. 3. *de ritu Tonſuræ ſic conclu-* „ *dit*, quidni ergo Clericatus ſuſceptio ad ignomi- „ niam & deriſionem ferendam per capillorum tonſu- „ ram cenſeretur: quemadmodum enim in Sacramento „ Confirmationis, quo ad profeſſionem Chriſtianæ Re- „ ligionis homo armatur, alapa confirmandus cædi- „ tur: ut diſcat Religionis noſtræ profeſſioni oppro- „ briorum & contumeliarum tolerantiam eſſe conjun- „ ctam: ita potiori jure Clericorum numero cooptan- „ dus, & ad Chriſtianæ Religionis prædicationem in- „ ſtituendus, per capillorum tonſuram, quæ ignomi- „ niam & irriſionem & ſubſannationem denotat, ini- „ tiatur, (*damnati enim ad metalla vel ſervitutem* „ *tonderi ſolebant*) ut ſibi in Clericali miniſterio mundi „ cavillos, irriſiones, cachinnos, illuſiones, ſanas „ negligendas eſſe noverit.

§. IV.

De habitu Clericali.

INitiandus, depoſita veſte ſæculari, induit Clericalem, quæ duplex eſt, alia communis ad uſum quotidianum: alia ſolemnis, quæ a duodecimo ſæculo ſuperpelliceus dicitur, quod ſuperponatur vulgaribus veſtibus, quæ pelliceæ erant, ut colligitur ex Sancto Paulino ep. 10. ad Severum, & ex Sancto Ambroſio, aut quovis auctore lib. de Dignitate Sacerd. cap. 4. ubi luxum quorumdam reprehendit, ſicut & Haymo Halberſtat. nono ſæculo in caput tertium 1. Tim. qui pro rurioribus pellibus Caſtorinas ſibi quærebant. Almutiæ, quas Canonici geſtant, quidam in humeris, ut Victorini; alii communiter in brachio ſiniſtro, cum eas prius in capite deferrent, ex Concilio Baſileenſi ſeſſ. 24. & Senonenſi c. 18. an. 1528. ſunt quoddam hujuſmodi veſtis pelliceæ veſtigium.

Sacram hancce veſtem (Superpelliceum intelligo) ipſe Pontifex Clerico imponit dicens: *induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Sicut enim Clericus depoſitione capillorum & ſæcularis habitus, teſtatus eſt ſæcularem hominem ſe diuturna carnis caſtigatione exuiſſe; ita in impoſitione Superpellicei novum hominem induere oſtenditur, ut obſervat Yvo Carnotenſis de veſtibus Sacerd. „ Byſſus, *inquit*, eſt genus li-„ ni candidiſſimi, & ad ſummum candorem multa „ vexatione, & ablutione perductum: ſignificat autem „ perfectam carnis munditiam... hanc munditiam caro „ Sacerdotalis ex ſe non habet, ſicut nec linum ex „ ſe eſt candidum; ſed ſicut dictum eſt multis caſti-„ gationibus & ablutionibus redditur candidum, ut „ aptum fiat indumentis Pontificum. Forma eſt Sacer-„ dotalis munditiæ, ut ſecundum Apoſtolorum Sacerdo-„ tes carnem ſuam caſtigent, & in ſervitutem redi-„ gant: & præeunte gratia, habent per induſtriam, „ quod non potuerunt habere per naturam. Hæc ve-

„ ſtis

Digitized by Google

„ ſtis Græcè ποδήρης, id eſt, talaris appellatur; quia „ a collo uſque ad talos extenditur. „ At tempore Concilii Baſileenſis ad medias tibias duntaxat producebatur cit. ſeſſion. 1.

Porro Clerici ſolemnem ſuam veſtem aſſumere debent quoties in Templo coram Domino aſtant, & divinis interſunt officiis: ſi enim Regii Miniſtri officio coram Rege non defunguntur, niſi ſuis inſignibus ornati: nec Magiſtratus pro Tribunali ſedent, aut ſe Præſidi ſiſtunt, niſi in ſolemni habitu; quanto magis id obſervare debent Clerici, cum in conſpectum Dei veniunt, & loci ſanctitas, & præſens Dei majeſtas id exigunt? ſplendidus quippe ille ornatus confert ad magnificentiam divino cultui exhibitam, & ad reverentiam aſtantium provocandam. *Regina Saba*, inquit Textus ſacer 3. Reg. cap. 10. *videns ſapientiam Salomonis, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, non habebat ultra ſpiritum*. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione de Laudibus Sancti Baſilii refert Valentem Imperatorem, cum ingreſſus eſſet Templum, in quo erat Sanctus Præſul, expaviſſe, & animis concidiſſe, viſo Clericorum ordine & habitu, ac ſtupenda, quæ iis reſpondebat, aſtantium reverentia. Et hæc de Superpelliceo.

Communem vero habitum, quo Clerici exterius ſecernuntur a Laicis, commendant nomina, quibus inſignitur; dicitur enim habitus Religioſus a Sidonio lib. 4. epiſt. 24. habitus Sancti nominis a Salviano l. 4. ad Eccleſ. Cath. ſacra veſtis a Balſamone in can. 61. Apoſtolorum; habitus Religionis a Conſtantio in vita Sancti Germani Altiſſiodorenſis, & a Pontificali Romano, Religionis, inquam, non ab homine inſtitutæ, quemadmodum Monachorum Ordines; ſed ab ipſomet Chriſto Domino; ideoque habitus ille non temere, ſed cum ſumma reverentia eſt ſuſcipiendus, ac religioſe deferendus. Ejuſmodi autem Religionis ſenſus erga veſtem Clericalem tria exigit a Clerico.

Primum, ut curam illam habeat, pluriſque faciat, quam omnia mundi ornamenta, ſummo honori & gloriæ ducat, quod ipſi conceſſum ſit illam induere,

duere; maximamque pœnam exiſtimet ea ſpoliari, & ad ignominiam ſæcularis habitus revocari. Illud ſuadet ritus, quem Eccleſia obſervat in Clerici inemendabilis degradatione, in qua ſic habet Pontifex: „ auctoritate Dei omnipotentis tibi auferimus habitum Clericalem, & nudamus te Religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, ſpoliamus ... & velut Clericalis profeſſionis indignum redigimus te ad ſervitutem & ignominiam habitus ſæcularis. *Et infra*, te velut ingratum filium a ſorte Domini, ad quam vocatus fueras, abjicimus, & coronam tui capitis, regale quidem ſignum Sacerdotii, de tuo capite amovemus. „ Quid ad hæc Clerici, qui cæco, ac veluti rabido furore perciti, ita in ſe ipſos ſæviunt, ut propriis manibus religioſam veſtem, hoc eſt, Chriſti inſignia ſibi detrahant, & ad ſervitutem ac ignominiam ſæcularis habitus ſponte ſe redigant: Hos Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 6. de reformat. indignos Clericatus honore pronuntiat, & fori privilegiis privatos declarat: „ is etiam (*Clericus*) fori privilegio non gaudeat, niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat; aut Clericalem habitum & tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola vel Univerſitate de licentia Epiſcopi; quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur. „ Et quidem merito, quia etſi habitus non faciat Monachum, ut loquitur ſancta Synodus ſeſſ. 14. c. 6. de reform. Monachus tamen, qui habitum deſerit, ſi ſit Profeſſus, punitur ut apoſtata; ſi Novitius, hoc ipſo Novitiatum abjicit, & ab Ordinis privilegiis cadit. De Clericis vero, qui Beneficia QUALIACUMQUE Eccleſiaſtica obtinent, ſic ſtatuit Concilium cit. c. 6. ſeſſ. 14. „ Si poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per Edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem ... juxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum, non detulerint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio & Beneficio, ac fructibus, redditibus & proventibus ipſorum Beneficiorum, nec non, ſi ſemel correpti, denuo in hoc deliquerint,

„ etiam

Digitized by Google

„ etiam per privationem officiorum & Beneficiorum „ hujuſmodi coerceri poſſint, & debeant, ſecundum „ Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi „ editam quæ incipit, „ Quoniam innovando. Cum autem pœnæ adeo graves peccatum mortale denotent in ejuſmodi Clericis, qualiacumque Beneficia obtineant, qua conſcientia & religione Confeſſarii iis abſolutionis beneficium impendunt, extrema ſupplicia cum ejuſmodi larvatis Clericis ſimul experturi?

Alterum a Clerico poſcit Religio, ut ſcilicet caveat ne religioſum, quem geſtat, habitum deturpet, dedecoretque, inſtar eorum, qui profana ſacris miſcentes, & ut loquitur Concilium Tridentinum cit. c. 6. ſeſſ. 14. *pedes in diverſis ponentes, unum in Divinis, alterum in carnalibus*, veſtem Clericalem componunt & induunt ad formam, elegantiam & morem, quem Sæculares in veſtimentis ſuis obſervant, adeo ut in ornatu eorum jam non eluceant modeſtia, ſanctitas, humilitas, vera Chriſti inſignia, & Sacerdotum ornamenta, juxta illud Pſalmi 131. *Sacerdotes ejus induam ſalutari*, id eſt, ſanctimonia & pietate intuentibus ſalutari, ſed mundi luxus, vanitas & oſtentatio, propria dæmonis ſchemata, & ignominia ſæcularis habitus. Unde merito contorſeris verba Apoſtoli 2. Cor. 6. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Quis, inquam ego, conſenſus onorati pulveris, & crinium in cincinnos docta manu diſtinctorum, cum ſigno crucis Chriſti in capite Clericorum expreſſo? an non ſatius videretur tonſuram & veſtem Clericalem prorſus deponere, quam illas tam impie violare ac polluere; cum iſthæc agendi ratio ſpeciem quandam præ ſe ferat ſacrilegii? Quibus placere ſtudent ejuſmodi puerilibus nugis? nam certum eſt, quod omnibus ſapientibus diſpliceant.

Nec dicas Deo curam non eſſe de veſtibus, ſed de moribus; reſpondet enim ſanctus Bernardus lib. 3. de conſid. cap. 5. „ forma hæc veſtium, deformitatis „ mentium & morum indicium eſt. *Et Apol. de mo-* „ *ribus Relig.* c. 9. ex cordis theſauro ſine dubio

Digitized by Google

„ proceditque quidquid foris apparet vitioſum. Vanum „ cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior ſuperfluitas vanitatis indicium eſt; mollia indumenta „ animi mollitiem indicant; non tanto curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus. „

Tertium a Clericis exigit Religio, nimirum ut mores, geſtus, & perſonam ſacræ veſti accommodent, quemadmodum Tragœdiarum Actores vultum, ſermonem, greſſum, totumque habitum exhibent perſonæ, cujus partes ſuſtinent; alioquin ſpectatores offenderet, & in contemptum veniret, qui regalibus veſtimentis ornatus, plebeii aut ruſtici inceſſum, vocem & perſonam exprimeret: „ quapropter, *inquit ſancta „ Synodus Tridentina ſeſſ. 22. c. 1. de reformat.* ſic „ docet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos, „ vitam, moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, „ greſſu, & inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus „ nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum „ præ ſe ferant: levia etiam delicta, quæ in ipſis „ MAXIMA ESSENT, effugiant, ut eorum actiones „ cunctis afferant venerationem; „ homines quippe non ſolent diſtinguere inter veſtimentum & veſtitum, ut veſtem illius venerentur, cujus perſonam propter incompoſitos mores deſpiciunt. Hinc certa & quodammodo inevitabilis habitus Clericalis violatio in Clericis, junioribus quam pars ſit, ex puerilibus ac ludicris eorum exercitationibus, quæ plerumque rixas & pugnas pariunt, non ſine ſacræ veſtis injuria.

§. V.

De profeſſione ſanctioris diſciplinæ, quæ emittitur in Tonſura Clericali.

QUod de habitu Monachorum ſupra dicebat ſancta ſynodus Tridentina, *habitus non facit Monachum*, ſed mores, & auſterioris vitæ inſtitutum: illud merito uſurpamus ad noſtrum propoſitum, ſcili-

eet, nec depoſitio habitus ſæcularis, nec attonſio capitis, nec aſſumptio veſtis Clericalis faciunt Clericum, iſta enim ſunt duntaxat Clericorum inſignia, & exteriores quædam notæ, quibus Clerici a Laicis ſecreti quidem apparent; ſed niſi intus animum Clericalem gerant, hoc eſt, vitæ ſanctioris ſtudium, larvatos Clericos merito dixeris, qui eſſe ſe fingunt, quod revera non ſunt: aſſumptio enim Religioſi nominis proprie & ex ratione ſua eſt reſponſio devotionis, inquit Salvianus lib. 2. ad Eccleſ. Cath. quod nobis hic demonſtrandum incumbit, quamvis ſpectata ætatis noſtræ corruptela, quæ potiſſimum adverſus Tonſuram Clericalem obtinuit, & inde ſerpens in Eccleſiaſticos Ordines, innumera invehit mala, lubeat cum Epiſcopo Graſſenſi non minus eruditione ac pietate, quam dignitate illuſtri, lacrymas potius fundere, quam verba. Sed Rectores Eccleſiæ malis commovendi ſunt; illud autem facilius aſſequemur, ſi accuratius exponendo ſponſionem, quæ emittitur in Tonſura Clericali, illi præbeamus anſam conferendi Clericorum mores cum Clericalis vitæ inſtituto, a quo plures prorſus diſcrepare ſtatim advertens, & quidem non ſine intimo doloris ſenſu, ut de filiis erga matrem Eccleſiam pie affectis conjicere licet.

Igitur Tonſuram Clericalem nihil aliud eſſe, quam profeſſionem ſanctioris diſciplinæ, probatur tum ex ejus inſtituto, tum ex toto ritu, quo confertur, quæ alioquin eſſet inanis cæremonia & ludicra ſcena.

Ac primo quidem ex ejus inſtituto: una quippe Catholicorum vox eſt, Tonſuram eſſe ab Eccleſia inſtitutam, ut diſpoſitionem ad Ordines, ad quos ſe habet, ſicut novitiatus Monachorum ad profeſſionem monaſticam; cum enim nemo repente fiat ſummus, & gratia imitetur naturam, quæ ut obſervat ſanctus Thomas 1. 2. q. 113. art. 10. ab imperfectioribus ad perfectiora paullatim progreditur: *caritas inchoata*, inquit ſanctus Auguſtinus Tractatu 5. in 1. Joan. *meretur augeri, ut aucta mereantur perfici*; temere quis

Digitized by Google

ſolemnia perfectionis vota nuncupat; niſi prius perfectionis tyrocinium poſuerit, ac per tempus Novitiis præſcriptum Monaſticæ vitæ leges apprime didicerit, atque in iis obſervandis omnimode exercitatus idoneum ſe probaverit ad profitendam ſpiritalem illam militiam.

Quod ſi ejuſmodi præludia requiruntur ad legitimam vitæ Monaſticæ profeſſionem, ſolemniterque ſpondentur in ipſa religioſi habitus aſſumptione; quale tyrocinium profitetur Clericus in Tonſura, in qua Novitiatum auſpicatur ad Ordines & munia Sacerdotalia, quæ longe perfectiorem virtutem exigunt, quam profeſſio Monaſtica; cum ex ſancto Auguſtino ep. 69. alias 76. & ex quotidiana experientia bonus Monachus vix bonum Clericum & Paſtorem faciat? & ex iis, inquit, *qui in Monaſterio permanent, nonniſi probatiores atque meliores in Clericum aſſumere ſoleamus?* ſatis enim eſt, ſi probatus Monachus ad ſummam virtutem pervenire conetur: ſed Paſtor eam attigiſſe debuit, quia ſtatus ejus eſt perfectionis acquiſitæ, Monachi vero perfectionis acquirendæ, ex antiqua & conſtanti doctrina Theologorum Pariſienſium. Unde ſanctus Bernardus ſerm. 12. in Cantica, adverſus ipſum incuſantes, quod ſoli ſibi viveret, dum poſſet, *ut putabant*, multis prodeſſe, opponit Chriſti verba, „ quid „ moleſti eſtis huic mulieri? *atqui* non eſt vir, ut „ putatis, qui poſſit mittere manum ad fortia, ſed „ mulier... ſi quando de muliere in virum, & virum „ perfectum profecerit, poterit & in opus perfectionis „ aſſumi. Fratres, revereamur Epiſcopos, „ (*Idem dicito de quovis Paſtore*) ſed vereamur labores. „ Agnoſcamus impares vires noſtras, nec delectet „ molles & femineos humores virorum ſupponere „ ſarcinis . . . temerarie objurgat virum de prælio „ revertentem mulier nens in domo. Dico enim ſi is, „ qui de clauſtro eſt, eum, qui verſatur in populo, „ interdum minus diſtricte, minuſve circumſpecte ſeſe „ agere deprehenderit... non ad judicandum confeſtim „ proſiliat, ſed meminerit ſcriptum, *melior eſt* „ *iniquitas viri, quam mulier benefaciens*, *Eccli.* 42.

„ Nam

„ Nam tu quidem in tui cuſtodia vigilans benefacis; „ ſed qui juvat multos, & melius facit & virilius. „ Quod implere non ſufficit abſque aliqua iniquitate, „ id eſt, abſque quadam inæqualitate vitæ & converſationis ſuæ: memento quia caritas operit multitudinem peccatorum. „ Abſit ergo a Monaſteriorum præfectis, ut Religioſos ſibi inutiles, nonnunquam etiam moleſtos, utpote diſciplinæ impatientes, data occaſione ad curam Paſtoralem amandent exonerandæ *familiæ* gratia, quod ſine gravi peccato fieri nequit, cum optimi vix pares ſint tanto muneri. Sed illud obiter dictum ſit occaſione vitæ ſanctioris, quam Clericus ſolemniter profitetur in ſuſceptione Clericalis Tonſuræ: utpote quæ ex ſua ratione & inſtituto ſit præparatio ad Ordines & ad munia Sacerdotalia digne ac laudabiliter obeunda.

Idipſum demonſtrat totus ritus, quem Eccleſia obſervat in Tonſura Clericali. Namque 1. iſthæc verba, *Dominus pars hæreditatis meæ*, &c. quæ profert initiandus dum attondetur, ſunt ſolemnis profeſſio, qua declarat ſe renuntiare ſæcularibus deſideriis, abjicere placendi curas per veſtimentorum & capillorum cultum, ſolumque Deum fore deinceps ipſius ſortem, divitias, & omnia. In ea certe ſignificatione laudata verba ab Eccleſia accipi teſtatur oratio, quam ſtatim fundit Pontifex: „ Præſta, quæſumus, omnipotens „ Deus, *inquit*, ut hi famuli tui, quorum hodie comas „ capitum pro amore divino depoſuimus, in tua di„ lectione perpetuo maneant, & eos ſine macula in „ ſempiternum cuſtodias. „ In hac oratione Pontifex non dubitat, de candido attonſorum pectore, ſupponitque eos, ut præ ſe ferunt, divino amore flagrare, ac eluiſſe omnem peccati & cupiditatis labem, ſed anxius ſolummodo eſt ob lubricam juvenum ætatem, & vehementes concupiſcentiæ motus, quos patitur adoleſcentia: ideoque obnixe rogat, ut Deus ſua potenti gratia caſtos illorum mores illibate cuſtodiat, & fervens proficiendi deſiderium ſemper adjuvet.

Dehinc Eccleſia ſibi gratulans, quod donum adeo gratum meruerit offerre, decurrit Pſalmum vigeſimum

Digitized by Google

tertium, in quo David ſpiritu prophetico afflatus, celebravit Chriſti triumphum ex ſuis hoſtibus, mundo ſcilicet & dæmone, atque ex eorum tyrannide erutos ſpectans Clericos in præſentia initiatos canit: *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*: quaſi dicat: nunc Princeps mundi ejectus eſt foras, orbis terrarum & univerſi, qui habitant in eo, redeunt ad legitimum Dominum ſuum; Novitiolos iſtos Chriſtus accipit in hæreditatem ſuam & poſſeſſionem: ipſe eos formavit ſuper omnes fluctus ſæculi hujus; nec enim decet aut licet alios aſcendere in montem Domini, & ſtare in loco ſancto ejus, niſi fuerint ſicut iſti, innocentes manibus & mundo corde, qui cæleſtia meditantes, non in vanum acceperunt animam ſuam; in vanum quippe videtur accepiſſe animam ſpiritualem & rationalem, qui ſollicite quærit unde corpus aut commode nutriat, aut ſplendide veſtiat, ut inde ſibi & aliis complaceat, cum ad iſta ſufficiat anima aut Vulpis, aut Pavonis. Non ſic iſti abutuntur anima ad imaginem Dei creata, ſed eam occupant iis rebus, divinis ſcilicet, ad quas creata eſt. Propterea *benedictionem accipient a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo*, qui ab iis incœpta ad finem promovebit; generatio enim Deum ſic quærentium eſt genuina ejus ſoboles, non ſpuria autem adulterina, ideoque ipſi cara, & ut dicitur Iſ. 61. v. 3. *plantatio Domini ad glorificandum*, id eſt, novellæ plantæ ad celebrandam & dilatandam Dei gloriam, ornandumque Chriſti in cælum aſcendentis triumphum. Atque ut Novitii noſtri in iſto perfectionis acquirendæ propoſito perſeverent, Pontifex preces geminat, ut devoti in Eccleſia perſiſtant, & in ultima oratione ut ab omni ſervitute ſæcularis habitus emundentur.

Mirabamur olim, cur in collatione Clericali Tonſuræ plura & accuratiora diſciplinæ Eccleſiaſticæ tradantur documenta, quam in collatione Ordinum, qui longe majorem ab initiandis exigunt perfectionem. Sed deſiit admiratio, cum reputavimus Tonſuram Clericalem uti Novitiatum, promotionem vero ad Ordines tanquam profeſſionem, quæ profitentem ſup-

ponit

ponit ex novitiatu edoctum, & apprime exercitatum in iis, quæ pertinent ad illud vitæ genus, ad quod ſe aſtringit: ideoque monendus eſt ſolummodo, ut abundet in eo totius forma virtutis: ſit doctrina ejus ſpiritualis medicina populi Dei, & odor vitæ ejus delectamentum Eccleſiæ Chriſti; uno verbo dicam, mores perfectiori modo exigat ad normam ipſi præſcriptam in ritu Tonſuræ Clericali; quam quidem normam omnes & ſinguli ab Oſtiario ad Epiſcopum uſque continuo præ oculis habere debent, quemadmodum Religioſi profeſſi Regulam & Conſtitutiones, quæ ipſis, dum Novitios agerent, accuratius fuerunt expoſitæ.

Quæ cum ita ſint, quiſquis Eccleſiam diligit, miſeratione commoveatur neceſſe eſt, ob fœdum & ſacrilegum Tonſuræ Clericalis abuſum; non eſt ſanctioris vitæ profeſſio, ſed ſimulatio. Initiandi in ſacro Tonſuræ ritu, veluti in theatro, Clerici perſonam ad tempus ſuſtinent, veſtem Clericalem aſſumunt ad ſpectaculum; quo exhibito, eam ſtatim deponunt. Delenda eſt communis, & ab omnibus recepta Tonſuræ Clericalis notio, non amplius dici debet præparatio ad *Ordines*, ſed aptius definietur diſpoſitio ad *Beneficia*, honores, & commoda temporalia. Non jam Beneficium propter Officium, ſed ordine perverſo Officium & ſacratiſſimi Ordines propter Beneficium. Ex omnibus enim, ſi paucos excipias, qui Tonſura Clericali initiantur, alii benemulti, præſertim ex Nobilibus, ſi res eorum familiaris ſit anguſtior, Clerici initiantur ſine animo promerendi unquam ſacros Ordines, & operam conferendi in Eccleſiæ obſequium; ſed ſola cupidine capeſſendi & retinendi, ſaltem ad tempus ſimplex aliquod & pingue Beneficium, vel gratia, qua ipſi aut amici pollent apud Principem, vel Beneficiarii conſanguinei tranſmiſſione, ac veluti jure hæreditario, ut ipſi autumant.

Dixi, *retinendi ſaltem ad tempus*, ſcilicet donec mundus ampliora ipſis offerat, quam Chriſtus; uſus quippe obtinuit, ut ſi Clerici Beneficiarii frater natu major fato functus ſit, magnaſque opes ac ampliſſi-

mas dignitates reliquerit, ille natu minor, jam major effectus, Clericatum abdicet, ſervitutem ſæcularis habitus reſumat, & terrena cæleſtibus, carnalia ſpiritualibus anteponat abſque cujuſquam offenſione aut ſcandalo; quia ſola inuſitata peccata homines horreſcunt, uſitata vero aut levia, aut nulla putant.

Adverſus hujuſmodi abuſum militant Sacri Canones: „ Prioribus Canonibus concordantes, *inquit*, *Concilium VIII. can.* 5. definimus neminem de Senatoria „ Dignitate, vel mundana converſatione nuper tonſum ſuper intentione vel expectatione Pontificatus „ vel Patriarchatus honoris, Clericum aut Monachum „ factum, ad hujuſmodi ſcandere gradum: licet per „ ſingulos Ordines divini Sacerdotii plurimum temporis feciſſe probetur: neque enim propter religionem, vel amorem Dei, aut propter expectationem „ tranſeundi viam virtutum, ſed ob amorem gloriæ ac „ principatus tonſus hujuſmodi reperitur. *Et Concil.* „ *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *de reform.* Prima tonſura, „ *inquit*, non initientur .... de quibus probabilis „ conjectura non ſit, eos non ſæcularis judicii fu„ giendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præ„ ſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

Quale autem peccatum ſit ſuſcipere Tonſuram cum animo nunquam ſuſcipiendi majores Ordines, ſed ſola cupidine conſequendi commoda temporalia ex redditibus Eccleſiæ, controvertitur in ſcholis. Negat eſſe peccatum mortale Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſp. 31. Affirmant Bannez 2. 2. quæſt. 12. art. 1. Hallierus cap. 3. de iis quæ in examine quærenda ſunt, §. 7. cujus verba operæ pretium eſt integra exſcribere: „ Adeo, *inquit*, jam paſſim aliquorum inolevit „ temeritas, & Religionis contemptus, ut non ad „ Tonſuram modo, verum etiam ad omnes Ordines „ ſolius temporalis Beneficii, vel honoris gratia ſe „ conferant: Tonſuram vero præſertim eo tantum fine „ capeſſant, abutentes ſacra iſta deſignatione in Clerum „ ad ſua commoda, Epiſcopalem benedictionem ad „ profanas ambitiones convertentes, Eccleſiæ expecta„ tionem fruſtrantes, evertentes myſticum cæremoniæ

„ iſtius

„ iſtius ſenſum, mendacii Eccleſiaſtici, quæ in Ton-
„ ſuræ collatione funduntur, verba parceſque arguen-
„ tes, profeſſionem Clericatus temere ipſi ementien-
„ tes, ejuſque prærogativam injuſte ac fraudulenter
„ uſurpantes. Quos proinde neſcio quis a lethali no-
„ xa excuſare poſſit, quos injuſtitiæ, ſacrilegii, pu-
„ blici mendacii, abuſuſque rei ſacræ non levibus cri-
„ minibus conſtrictos teneri oſtendimus. Nulla vox tot
„ crimina velare poteſt, nulla ratio teneri; quis enim
„ levem materiam cenſeat, profanationem rei ſacræ,
„ violationem totius Clericatus, promiſſionem coram
„ tota Eccleſia fallacem, uſurpationem alieni juris,
„ Ordinis Clericatus perturbationem? Quis adeo per-
„ fricatæ frontis defendere audeat leve crimen eſſe am-
„ bitionem illam ac avaritiam, quæ ſacros ritus con-
„ tra Eccleſiæ intentionem in ſua commoda, honoreſ-
„ que detorqueat? Quis non illud crimen ſacrilegæ
„ temeritatis arguat, per quod publica benedictio,
„ eaque myſtica, caſſa, myſterio vacua, inanis, in-
„ fructuoſa redditur, ita ut, quod gravius etiam eſt,
„ in pluribus mendacii coargui poſſit? Quis non men-
„ dacium in Spiritum ſanctum publicam illam Cleri-
„ calis puritatis profeſſionem, quæ fit Deo, ſpectan-
„ tibus Angelis, auditoribus Sanctis, ſtipulationem
„ firmante Eccleſia, acceptamque habente Epiſcopo,
„ eſſe credat, ſi ab ea diſcordet profitentis ani-
„ mus? .... Quis jus Beneficiorum obtinendorum,
„ veluti teruncii unius aut alterius parvi faciat, illud-
„ que levius æſtimet, quam ut in ejus uſurpatione
„ injuſta peccati lethalis noxam eſſe credat. Niſi for-
„ te gravis materia eſſe creditur, ſi quis aureum v.
„ gr. nummum injuſte ſibi vindicarit, aut jus unius
„ aſſis quotannis recipiendi injuſte acquiſierit: levis
„ autem materia cenſeatur, ſi quis ſibi non debitum
„ Beneficii obtinendi jus Tonſuræ ſuſceptione velit
„ injuſte acquirere, & aditum ad omnes Eccleſiaſticos
„ honores contra Eccleſiæ, ad quam eorum diſtribu-
„ tio ſpectat, expreſſam voluntatem temere ſibi pa-
„ tere cupiat.

Confirmat ſuam ſententiam idem Auctor, teſtimo-
nio

nio Navarri de Oratione & Horis Canonicis cap. 7. num. 15. ubi ſic habet: *Sequitur compluribus, qui prima Tonſura, aut quatuor Minoribus initiantur; ſatius fore ipſo Ordinationis die frangere crura, quam prima Tonſura, aut quatuor Minoribus ordinari: tum propter proxime dicta, tum quod non ſe ordinant ad finem debitum, nimirum ut ſerviant Deo in Officiis Eccleſiaſticis, quandoquidem non intendunt initiari Sacris, aut munia ſacra ut tales ſubire*. Et hæc de iis, qui Tonſuram ſuſcipiunt cum animo vel non promerendi ſacros Ordines, nec Eccleſiæ inſerviendi, vel ad tempus duntaxat vitam exigendi juxta Clericatus leges, vel, quod pejus eſt, nec habitum, nec mores Clericorum induendi unquam, niſi forte aliquod pingue beneficium obvenerit.

Nec dicas licere Clericis a propoſito reſilire; id enim ipſis conceditur, quomodo Novitiis Monaſtici inſtituti. Quis autem a peccato eximeret Novitium, qui habitum Monaſticum aſſumeret cum animo vel nunquam Religionis vota nuncupandi, vel habitum deſerendi, ſi intra probationis annum benignior fortuna ipſi arrideat; vel vitam non exigendi ad Monaſticam Regulam? „ Exquiratur proinde ſedulo, *inquit* „ *Hallerius* §. 7. *de examine initiandi Clerici*, unuſcu„ juſque voluntas, qui ad Tonſuram petendam acce„ dit, utrum ſæcularibus deſideriis renuntiare, utrum „ cælibatum aliquando vovere, utrum Clericaliter vi„ vere Eccleſiaſticamque diſciplinam ſectari velit? quam„ vis enim eum, qui prima Tonſura inſignitus eſt, „ nulla lex ad permanendum in eo, quem elegit, „ ſtatu aſtringat, ſi tamen ſine cauſſa Clericatus ſta„ tus ſemel ſuſceptus deſeratur, proculdubio mutatio „ iſta deſerentis levitatem, animique inconſtantiam „ denotat, vixque a peccato excuſari poteſt, obſecran„ te Apoſtolo Eph. 4. *Ut digne ambuletis vocatione*, „ *qua vocati eſtis*, & docente Domino Luc. 9. *Neminem* „ *mittentem manum ad aratrum, & reſpicientem retro*, „ *aptum eſſe regno Dei*. Quod ſi Divinæ providentiæ ar„ cana inſcrutabilia ſcrutari tamen licet, ex pluribus, „ qui abſque cauſſa e Clericali ſtatu deſciverint, præ-

„ ſer-

„ ſertim ſi antea bonis Eccleſiaſticis ditati fuerint ; „ paucos reperias , qui non vel male perierint , vel „ non inter ſæcularium negotiorum vortices graviter „ periclitati fuerint.

Alii ardenter quidem expetunt ex Tonſura aſcendere ſingulos Ordinum gradus ad Sacerdotium , quin & ad ſupremi Sacerdotii faſtigium, ſi aliqua ſpes ipſis effulgeat, atque ad huncce ſcopum ſtudia ſua dirigunt, mores exterius fingunt, nullum laborem refugiunt ; ſed mercenariorum more, ut ſcilicet vel vitæ neceſſaria ac commoda comparent, vel honoratiores inceandant, præſint aliis, & ubique primas ſedes occupent : „ Quis eſt mercenarius ? „ *inquit S. Auguſtin. tract.* 47. *in Joan.* ſunt quidam „ Eccleſiæ præpoſiti, de quibus Paulus Apoſtolus di„ cis , ſua quærentes , non quæ Jeſu Chriſti . Quid „ eſt ſua quærentes ? non Chriſtum gratis diligentes, „ non Deum propter Deum quærentes , temporalia „ commoda ſectantes, lucris inhiantes, honores ab ho„ minibus appetentes. Hæc quando amantur a Præpo„ ſito , & propter hæc ſervitur Deo , quiſquis eſt ta„ lis , mercenarius eſt , & inter filios non ſe compu„ tet , „ nec inter Paſtores, quamvis utilis & neceſſarius , ut ibidem notat Sanctus Doctor ; ait enim Chriſtus Joan. 10. *mercenarius autem , & qui non eſt Paſtor* , &c. legiſperitum a ſuo comitatu repulit Matth. 8. quia noverat ejus animum mercenarium , honoris & commodi temporalis cupidum : *Vulpes* , inquit , *foveas habent*, & *volucres cæli nidos*, in volucribus elationem denotans ; in vulpibus divitiarum cupiditatem , interprete S. Hieronymo, Gloſſa , & aliis ; *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* : atque Pſalm. 100. *non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam*.

Cum ergo Chriſtus , qui ſe Oſtiarium nuncupat Joan. 10. v. 3. januam claudat ejuſmodi ſuperbis ac cupidis, qua temeritate, quave cæcitate, ne quid dicatur gravius, audent ipſi clanculum & quaſi per feneſtram ingredi , more furum , reclament licet ſacri Canones , & Sancti Patres ſupra laudati ? Quis paterfamilias

lias ferat ſibi domeſticos obtrudi, quos rejicit a ſuo miniſterio? nec ſatis eſt ejuſmodi cupidis, quod in domo Dei miniſtrent, renitente Domino; ſed eorum ſuperbia eo uſque aſcendit, ut & dominari aut præeſſe ambiant: *nunc vero quia ſola attenditur gloria, & non pœna*, inquit Sanctus Bernardus Tractatu de moribus & officio Prælatorum, *purum eſſe Clericum erubeſcitur in Eccleſia, ſeque viles æſtimant & inglorios, qui quocunque eminentiori loco non fuerint ſublimati*. O ſtoliditas, & cæcus furor! Pudet Sacerdotium ſine Dignitate gerere, quo nec Angeli ipſi digni ſint; pudet in ſortem Domini vocari, eſſe ſelectam ejus portionem, Deo ipſi famulari niſi terreni cumuletur divitiis & honoribus? *Quam certe dignius, ampliuſque conſentaneum rationi*, inquit idem Sanctus Bernardus Tractatu de vita & moribus Clericorum, *ut pro carnali victu carnalia magis opera, & negotia exerceret; nec fieret inverſor rerum, aut inhonoraret miniſterium ſpirituale*. Ordo ſane perverſus terrena cæleſtibus mercari: nam *ſi propterea evangelizamur, ut manducemus*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 24. *vilius habemus Evangelium, quam cibum: & erit jam bonum noſtrum in manducando, neceſſarium autem in Evangelizando*, & poſtquam veriſſimam hancce ſententiam multis modis verſavit, ſic concludit cap. 25. *Ego quæcunque res propter aliud aliquid quæritur, ſine dubio inferior eſt, quam id, propter quod quæritur. . . Quapropter ſi Evangelium & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & poſterius Evangelium, id eſt regnum Dei; ita ut, ſi non deſit cibus, non quæramus regnum Dei*.

Dices: duplex hic diſtinguendus eſt finis; alius primarius, qui principaliter movet, alius ſecundarius, & minus principalis: atqui una Theologorum vox eſt, licitum eſſe ſpiritualia appetere propter commoda temporalia tanquam finem minus principalem, alioquin damnandi eſſent omnes Clerici, qui ſpe quæſtus pſallunt in Choro, inter quos tamen Sanctus Thomas docet diſtinguendum his verbis quodlib. 8. art. 1. „Si
„ hu-

„ hujuſmodi diſtributiones recipit (*Clericus*) quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam „ committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet finem principalem Deum in tali actu, ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundario, non „ quaſi in finem, ſed ſicut in id, quod neceſſarium „ eſt ad ſuam ſuſtentationem, conſtat quod non vendit actum ſpiritualem, & ita ſimoniam non committit, nec peccat. „ Ergo ſine temeritate negari non poteſt, quin licite quis ſuſcipiat Tonſuram Clericalem propter commoda temporalia minus principaliter intenta, cum ſummus Pontifex Gelaſius c. *Conſulis* diſt. 74. iis incitandos ſcribat Diaconos, qui ad Presbyterii gradum venire detrectabant, *ut hac ſaltem ratione conſtricti & honorem, quem refugerant, appetere nitantur & quæſtum.*

R. 1. Abſit a nobis, ut recedamus ab iſta communi ſententia, ſed cavendus eſt abuſus, quis enim niſi impius dixerit fas eſſe per Tonſuram Clericalem intendere minus principaliter luxum, oſtentationem, & pompam ſæcularem, cum iſta per ſe mala ſint, & omni modo fugienda? „ Sacrum Officium, *inquit ſanctus* „ *Gregorius* 1. *part. Paſt. c.* 8. non ſolum non diligit „ omnino, ſed neſcit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis; ceterorum ſubjectione paſcitur, laude propria lætatur, ad „ honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia „ exultat. Mundi ergo lucrum quæritur ſub ejus honoris ſpecie: QUO MUNDI DESTRUI LUCRA „ DEBUERANT; cumque mens humilitatis culmen „ arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, „ intus immutat. „ Illud igitur Theologorum & Canoniſtarum effatum reſtringi debet ad neceſſaria vitæ ac ſtatus commoda.

R. 2. Qui ad Tonſuram vel ad Sacerdotium accedunt, licet ſibi videantur pluris gloriam Dei æſtimare, ſæpiſſime tamen neceſſaria vitæ commoda principaliter intendunt, ſitque, inquit S. Gregor. cit. prima parte Paſtor. cap. 9. *Ut aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſten-*

Digitized by Google

oſtendat; nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare, quod non amat: de mundi autem gloria non amare quod amat: Enimvero non diſtinguunt illi inter rationis judicium, & voluntatis affectum; cumque judicent gloriam Dei & Sacerdotium omnibus commodis temporalibus eſſe præferenda, firmiterque adhæreant huicce veritati, utpote evidenter notæ, facile ſibi perſuadent ſe honorem Dei principaliter intendere, ſed falſo plurimum, quia voluntas terrenis magis afficitur, & ut obveniant, mercenarium ad ſerviendum Deo impellis, paratum tamen quæ Dei ſunt, potius relinquere, quam ſua, dicente Domino Joann. 10. verſ. 13. *Mercenarius . . . . fugit, quia mercenarius eſt; & non pertinet ad eum de ovibus.*

Primo mercenarius viſo lupo fugit. „ Peccantem, „ *inquit S. Auguſt. cit. Tract. 46. in Joan.* non libere „ audet redarguere. Ecce neſcio quis peccavit, graviter „ peccavit, increpandus eſt; excommunicandus eſt, „ ſed excommunicatus inimicus erit, inſidiabitur, nocebit „ cum potuerit: jam ille, qui ſua quærit, non „ quæ Jeſu Chriſti; ne perdat quod ſectatur, humanæ „ amicitiæ commoditate, & inimicitiarum humanarum „ incurrat moleſtias, tacet, non corripit; *ecce lupus* „ ovium guttur apprehendit, diabolus fideli adulterium „ perſuaſit: tu taces, non increpas, o mercenarie! „ lupum venientem vidiſti, & fugiſti. Reſpondet „ forte, & dicit, non fugi: fugiſti, quia tacuiſti; „ tacuiſti, quia timuiſti; fuga animi timor „ eſt, corpore ſtetiſti, ſpiritu fugiſti ... affectiones „ noſtræ motus animorum ſunt... progrederis animo „ cum appetis: fugis animo cum metuis. „ Atque vel ex hac una nota apparet quam multi in domo Dei ſint mercenarii, pauci vero Paſtores, qui ad ædificandam plebem, ad aſſerendam fidem & neceſſariam diſciplinam non ſolum commoda, ſed etiam animas ponant: nam ut ait idem ſanctus Doctor Tractatu 47. *ad hoc pertinet*, paſce oves meas, *ut ponas animam tuam pro ovibus meis.*

Secundo, ad mercenarium non pertinet de ovibus; hoc

Digitized by Google

hoc eſt, nón curat ſintne pingues aut macilentæ, ſanæ aut infirmæ, an pabula miniſtrata faſtidiant necne, modo injunctum opus utcunque perficiat, & quam intendit mercedem, honorem ſcilicet, reverentiam, & alia emolumenta temporalia exigere poſſit. „ Vides, „ *inquit S. Bernardus lib. 4. de conſid. cap.* 2. omnem „ Eccleſiaſticum zelum fervere ſola pro dignitate tuen- „ da, honori totum datur, ſanctitati nihil, aut pa- „ rum . . . De placito Dei ultima mentio eſt, pro „ jactura ſalutis nulla cunctatio, niſi quod ſublime „ eſt, hoc ſalutare dicamus, & quod gloriam redo- „ let, id juſtum.

Nec mirum, ſequitur enim neceſſario neceſſitate conſequentiæ, ut Sacerdotio adepto ad illum finem utatur, propter quem illud anxie ac ſolicite deſideravit. Unde qui divino amore, & deſiderio ſalutis proximi flagrans, ut Clero aſcriberetur, conſenſit, hic totum ſe paſcendis ovibus exponit, unus illi quæſtus, una pompa, una voluntas, ſi quomodo ſubditos poſſit parare Domino plebem perfectam; nihil ſibi reputat indignum, niſi quod eorum ſaluti obviare putat; non quærit quæ ſua ſunt, ſed cum gaudio impendit, nec ſua tantum, ſed & ſeipſum exemplo Apoſtoli, ſuperimpendit in labore & ærumna, gloriaturque in contumeliis & perſecutionibus pro Chriſto, quatenus patefaciunt viſcera materna, quibus diligit eos, a quibus gratis & injuſte vexatur; atque iis amoris ignibus eo adducit rebelles, ut revereantur Paſtorem, ſuſcipiant illum ſupra communem hominum ſortem divinitus conſtitutum, eique cum omni fiducia regendos ſe committant. Nihil hic fingimus; ſed quotidianam experientiam proferimus, qua freti ſæpe monuimus eos qui a Seminario emittebantur ad regendas Parochias, eos non habituros plebem omnino ſubditam, donec paſſi inſignem injuriam, omnibus demonſtraverint ſe eos pluſquam ſua, ſuos, & ſe diligere.

Contra vero mercenarius, qui Sacerdotium principaliter ambivit propter honorem & commoda temporalia, perquirit in primis quis ſibi debeatur, illudque ſeve-

ſevere exigit; præcipuum, ne dicam unum, illi ſtudium dignitatem & ſui Sacerdotii jura tueri, & amplificare ſi poſſit, ſubditos licet a ſe removeat, odium eorum incurrat, & verbum Dei fruſtra illis male in ſe affectis miniſtret; non enim pertinet ad eum de ovibus, modo rem ſuam faciat majorem, colligatque quantum ſatis ſit, ut ſine Sacerdotio commode & honorifice aliquando ſuſtentetur: tunc enim de quiete cogitat, gregem Domini dimittit, non quidem gratis, ſed quodammodo vendit: cui vero? non digniori, qui quod ab ipſo peccatum eſt, corrigat, ſed plura offerenti, puta pinguius beneficium ſimplex, aut majorem penſionem, adeo ut ejuſmodi mercenarium pecuarium diceres, qui ex arte, quæſtum intendens omni labore & induſtria copioſos greges comparat, multa ſolicitudine in paſcua emittit, ex iis mercatur, vendit, permutat, donec locupletiſſimus effectus arti renuntiat, in otio bonis partis fruiturus. Non occulta Cleri dedecora pandimus, ſed quam deteſtanda ac deflenda, quæ in more poſita cernuntur abſque offenſione, exponimus. Quot enim dabis ex Clericis, qui Sacerdotium non æſtiment velutis artem ad quæſtum, pompam, & vitæ commoda, qui dicant parentibus, utpote novi Teſtamenti Levitæ, *neſcio vos*, quique Deo vocante egrediantur de terra ſua, & cognatione ſua, ubi abundant panibus, ut tanquam Vicarii amoris Chriſti impleant in laboribus & ærumnis, quæ deſunt paſſionibus ejus, ſalutem ſcilicet animarum, quæ ſicut oves ſine Paſtore jacent in pagis & locis remotioribus? Qui vero rei familiaris anguſtia coarctati illuc proficiſcuntur, nonne omnem lapidem movent, vel ut ad ſuos accedant mediante permutatione, quam alibi diximus illicitam, nonnunquam etiam ſimoniacam, niſi ſit in utilitatem Eccleſiæ! vel ut Præbendam, aut aliud Beneficium ſimplex obtineant in otio victuri, vel ut quam citiſſime ditentur ex bonis Domini, & pertæſi vitæ ruſticanæ urbem repetant, ubi Clerici ſe invicem inutiliter premunt præ multitudine, Prætexunt onus formidabile, propriæ ſalutis periculum, quod tamen exponere non formidarunt ad conſequenda

vitæ

vitæ neceſſaria. Dicant igitur auro a ſe collecto, propter te periclitati ſumus aliquos annis; ſed ſimul audiatur vox populorum, *facti ſumus ſicut oves occiſionis*, mercenarii, quos pro Paſtoribus habemus, animas noſtras negotiantur, ad omnem uſum ſuum convertunt, permutant, venduntque plura & commodiora offerentibus. Tantæ perverſitatis initia vidit, luxitque S. Auguſtinus lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 25. „ Sicut, *inquit*, omnes militantes accipiunt annonam „ & ſtipendium; ſic omnes Evangelizantes accipiunt „ victum & tegumentum. Sed non omnes propter ſalutem Reipublicæ militant, ſed propter illa, quæ „ recipiunt: ſic & non omnes propter ſalutem Eccleſiæ miniſtrant Deo; ſed propter hæc temporalia, „ quæ tanquam annonam & ſtipendia conſequantur, „ aut propter hoc & propter illud. Sed ſupra jam „ dictum eſt, Non poteſtis duobus Dominis ſervire, „ ergo ſimplici corde tantummodo propter regnum Dei „ debemus operari bonum ad omnes; non autem in „ hac operatione vel ſolam, vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare. „ Cum autem nemo repente fiat ſummus, nec ordinaria Dei lege cupiditas & ſuperbia nobis congenitæ, pœnitus corde eradi queant, niſi multis exercitationibus; Eccleſia Tonſuram Clericalem ſacris Ordinibus præmittendam cenſuit ut Clerici ſanctioris vitæ tyrocinium ponerent, eunteſque de virtute in virtutem gradatim accederent ad eam perfectionem, quam exigit Sacerdotium. Verum & hic irrepit alius abuſus duobus præcedentibus longe frequentior.

Alii igitur Tonſuram Clericalem paſſim ſuſcipiunt, non ut tyrocinium auſterioris vitæ & diſciplinæ Sacerdotalis, de eo quippe ne quidem cogitant, ſed ut neceſſariam conditionem, ſine qua ad ſacros Ordines non promoverentur, adeo ut Tonſura hodie uſurpetur eo fere modo, quo Novitiatus in iis Ordinibus Religioſis, in quibus collapſa eſt regularis obſervantia. Enimvero ſicut in hujuſmodi Ordinibus ſatis eſt ad Novitiatum, ut quis inſcribatur tanquam cupiens profiteri, geſtetque exteriorem habitus Religioſi no-

notam, quam caute accommodat ad morem ſæculi, tegitque ubi erubeſcit videri Monachus ; interim arbitrio ſuo vivit, tritam ſæculi vitam ambulat, donec elapſo tempore a ſacris Canonibus pro Novitiatu præſcripto, vovet quod implere idoneus non eſt, ſcilicet ſtudium acquirendæ perfectionis, homo ſtrictioris diſciplinæ impatiens, in pietate rudis, & in malo ſæpe edoctus, ex quo vitiato fonte fluunt in ejuſmodi Ordines probra ac dedecora, quæ ipſos Laicos offendunt, interdumque cogunt Eccleſiam intromittere homines vere Religioſos, qui collapſam diſciplinam priſtino ſplendori reſtituant, & ad eam Novitios debitis ac idoneis exercitationibus inſtituant. Sic plerique Tonſuram ſeu Novitiatum Sacerdotii ſuſcipiunt, nomen dant Clero, & ſæcularium mores ſectari non deſiſtunt: pro virtutis magiſtro qui eradat innata ſuperbiæ & pravæ cupidinis elementa, leges vitæ Sacerdotalis edoceat, & ad eas aſſiduis exercitationibus inſtituat, quemadmodum præcipiunt Concilia Toletanum ſecundum, Mediolanenſe quintum, & Burdigalenſe ſecundum ; impetum juvenilis ætatis ſequuntur ſibimet relicti, vitioſos habitus contrahunt, in obſcœnis volutatibus ut plurimum volutantur, & ſi quid inerat bonæ ſpei dum Tonſura initiarentur, prorſus extinguunt. En ſelecta Dei portio, & præclarum munus, quod ipſi offertur a filiis Iſrael. Talis Novitiatus præmittitur ad Sacerdotium; tale tyrocinium ponitur ad magiſterium virtutis: *Non miremur*, inquit S. Bernardus lib. de conver. cap. 19. *quicumque præſentem Eccleſiæ ſtatum miſeramur*, ſcilicet quod adeo in pluribus jacet Clericalis diſciplina, ſed mirandum potius quomodo in tanta rerum perturbatione ſtet in paucis, quos Deus ſibi ſervavit. *Heu genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, quis inter tua illa primordia tam divina, & ſpiritualibus affluentem charismatibus Chriſtianæ Religionis ortum, credere poſſet poſſe talia in te aliquando reperiri?* Idem cap. 20.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

De diſpoſitionibus requiſitis ad Tonſuram Clericalem.

Conſtat ex dictis, quo animo, quove conſilio debet accedere ad ſacram Tonſuram; quid in primis ſit ipſi vitandum, & quid proſequendum. Superſunt dumtaxat nonnullæ difficultates hic diſſolvendæ. Itaque,

Q. 1. *Quæ ætas requiritur in eo, qui initiandus eſt Tonſura Clericali?*

R. 1. C. *Nullus*: tit. de temporibus ordinat. in ſexto prohibetur, ne Tonſura infantibus conferatur. *Nullus Epiſcopus*, inquit Bonifacius VIII. *vel quivis alius infanti (niſi forte Religionem intraret) ſeu illiterato . . . Clericalem præſumat conferre Tonſuram . . . Qui vero contra fecerit (ut in eo quo peccaverit, puniatur) per unum annum a collatione Clericalis Tonſura dumtaxat noverit ſe ſuſpenſum*. Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. de reform. decernit nullum initiandum prima Tonſura; qui fidei rudimenta non fuerit edoctus, quique legere & ſcribere neſciat, & de quo probabilis conjectura non ſit, cum hoc vitæ genus elegiſſe, ut Deo fidelem cultum exhibeat, quæ ſane ſupponunt ætatem adultam.

R. 2. Etſi Canones non definierint tempus, infra quod Tonſuram conferre non liceat, Epiſcopi tamen communiter ſigunt annum decimum quartum: nec immerito, quia cum ab illo anno completo pubertas in maſculis initium ducat, & acta impuberum, propter imbecillem prudentiam, non ſint firma, niſi accedat patris aut tutoris conſenſus, qui poteſt irritare omnia eorum vota, ut dictum eſt tractatu de Religione, recta ratio poſtulare videtur, ut pubes ſit, qui auſteriorem diſciplinam profitetur, ſeque ſacris altaribus mancipat. Quin hactenus arbitratus ſum me gratum Deo obſequium præſtiturum, ſi ejuſmodi pubeſcentes nondum ſatis ſui compotes, nec dura caſtitatis præ-

Digitized by Google

lia expertes, ad maturiorem ætatem protrahere poſſem.

Q. 2. *Qui conſcius peccati mortalis Tonſuram ſuſcipit, ſit ne reus gravioris delicti?*

Prima ſpecie non videtur peccare, quia Tonſura non eſt Sacramentum, ſed aliquod ſacramentale; atqui uſus ſacramentalium, v. g. aquæ luſtralis, non exigit in ſuſcipiente ſtatum gratiæ ſanctificantis: Ergo nihilominus,

R. Peccaret, qui conſcius peccati lethalis Tonſuram ſuſciperet, probaturque tum ex communi Catholicorum ſenſu, qui Tonſuræ candidatos cenſent præparandos confeſſione ſacramentali: idque præſcribit Synodus Carnotenſis anno 1526. tum ratione, quia peccato mortali inquinatus Tonſuram Clericalem ſua ſignificatione fruſtratur: fallax ejus profeſſio, quod Deum in ſortem eligat, cum ſit a Deo averſus: quod ejus famulatui ſe mancipet, ipſe dæmonis mancipium. Quare longe diſpar eſt ratio Tonſuræ Clericalis & aliorum Sacramentalium, cum in iſtorum uſu ſimilis dolus & fallacia non concurrant.

Utrum autem peccatum illud ſit mortale, prudentioribus definiendum relinquo; id enim ſolo rationis judicio penſitari poteſt, cum ex Scriptura, vel ex Traditione certa non ſuppetant argumenta.

Affirmat Hallierus, probatque citato opere de ordinat. p. 1. ſect. 4. §. 1. „ Ne, *inquit*, omnes indignæ „ receptionis Tonſuræ defectus & deformitates minutatim perſequar, injurius eſt in Deum, & Clericali „ ordini contumelioſus, qui impœnitens Clericorum „ catalogo inſcribi ſe procurat, & Deo ſe in iſto „ ordine miniſtraturum devovet: Deo quidem injuriam infert, qui nulla in Deum præcedente con- „ verſione ... ejus ſe famulatui conſecrat ... Ordi- „ ni vero Clericali contumeliam inurit, cujus cum finis „ ſit ad Deum adducere, non poteſt ſine ejus opprobrio „ quiſquam eum Ordinem ingredi averſus a Deo, & „ alio ductore indigens, quo ad Deum reducatur „ Tonſuram quoque Clericalem contaminat, quam vere a mundo abſtrahentem, & ad Deum adducentem

„ dicere

„ dicere poſſumus, eamque ſua ſignificatione fruſtra-„ tur, qui mundi inquinamentis conſpurcatus, & „ divinis contemplationibus miniſteriiſque ineptus, „ eadem initiari non veretur. „ Huic ſententiæ aſtipulatur Natalis Alexander art. 5. regula 21. de Sacramento Ordinis.

Q. 3. *Clericus, qui habet animum deſerendi ſtatum Clericalem, poteſtne tuta conſcientia in alicujus Beneficii poſſeſſionem venire, vel jam obtentum retinere?*

R. 1. Una eſt omnium Theologorum vox, peccare eum, qui, cum ſtatuerit redire ad ſæcularia vota, nihilominus acceptat aut retinet quodlibet Beneficium; quia Eccleſiam circumvenit, animo Clericus non eſt, id eſt ſors Domini; partem in ſæculo quærit, altari ſervire non vult; & nihilominus percipit ſubſidia, quæ pia Mater præbet junioribus Clericis, ut ad Sacerdotium commodius poſſunt inſtitui, ac tales reddi, qui coram Domino ſtent, ipſique digne miniſtrent; ergo ſpem illius fallunt, qui Beneficia ad alium uſum convertunt; meritoque in ejuſmodi fraudatores intorques quod legitur Iſaiæ 1. *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* Sed quæſtio eſt, quale ſit illud peccatum, an grave, an leve?

Nonnulli Moderni diſtinguunt inter Beneficia, quibus annexa eſt cura animarum, & Beneficia, quæ dicuntur ſimplicia; docentque priora quidem ſine peccato mortali non poſſe retineri cum animo redeundi ad ſæculum; id enim neceſſario colligitur ex capite *Commiſſum*, de elect. in ſexto: ſed aliter cenſent de poſterioribus contra aliorum ſententiam, cui ſubſcribimus. Quare

R. 2. Peccant mortaliter, qui cum animo deſerendi ſtatum Clericalem, acceptant, aut retinent quodlibet Beneficium. Probatur 1. quia ad peccatum mortale duo neceſſaria ſunt, & ſufficiunt ex omnium Theologorum doctrina, nempe deliberata voluntas, & materia gravis: atqui peccatum illud eſt in materia gravi, ut conſtat ex præcedenti reſponſione; de deliberata autem voluntate nullum eſt dubium. Ergo.

Probatur 2. auctoritate celebrium Theologorum, quorum nonnulla teſtimonia non abs re erit proferre.

Dominicus Soto lib. 10. de juſtitia & jure q. 5. art. 5. „ neque arbitror, *inquit*, a culpa mortali eſſe mundum, qui Beneficium habet, cui annexum eſt Clericale obſequium, ſi non Sacerdotale, ſaltem illum Ordinem ſuſcipiendi, qui ad tale ſervitium neceſſarius eſt, aut ſi nullus requiritur Ordo, ſaltem intentio neceſſaria eſt Clericorum more vivendi. „

Toletus lib. 5. cap. 5. n. 5. *peccaret quidem mortaliter qui animo ducendi uxorem retineret Beneficium aliquod*. Et lib. 4. *cap.* 18. num. 4. *mortaliter peccat . . . nec eſt abſolvendus, donec aut animum mutet, aut Beneficium dimittat*.

Sylvius 2. 2. quæſt. 63. art. 2. quæſt. 2. „ Qui vel Canonicatus, vel Capellanias, vel alia Beneficia recipiunt aut poſſident, ut eorum fructibus alantur, donec ſtudia abſolverint, aut donec uxorem ſibi convenientem invenerint, poſtea dimiſſuri, peccant mortaliter, & obligati ſunt vel ea ſtatim relinquere, vel propoſitum habere vivendi more Clericorum. „

Sambovius tom. 2. Reſolut. caſu 1. eandem ſententiam amplectitur, multiſque argumentis confirmat.

Q. 4. *Fraudatores illi tenenturne reſtituere fructus Beneficii mala fide perceptos?*

R. Tenentur, ſi Beneficio cura animarum ſit annexa, ita enim decernit C. *Commiſſa*, de elect. in ſexto: *Ceterum*, inquit Bonifacius VIII. „ ſi promoveri ad Sacerdotium non intendens, aut Parochialem receperis Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipſam poſtmodum dimiſſurus, niſi voluntate mutata, promotus fueris, teneberis ad reſtitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter. Illum autem, qui eam tibi contulit, cum te non crederet ad hujuſmodi ordinem promovendum, præter divinam, quam exinde incurrit, offenſam, ad ſervandam indemnem eamdem Eccleſiam decernimus obligari. „ Ex hoc canone, fraudulenter percipit fructus Eccleſiæ Parochialis, teneturque ad eorundem reſtitutionem, ſi ad Sacerdotium non intendat promoveri

ante

Digitized by Google

ante annum elapſum a pacifica poſſeſſione. Et ratio eſt, quia operam huic Eccleſiæ nec præſtitit, nec præſtiturus erat. Agricolæ quidem arbuſculas recens inſertas, quamvis nondum fructiferas, colunt, rigant, ſtercorant, ſpe fructuum aliquando percipiendorum. Similiter Eccleſia juniores Beneficiarios, puta Canonicos, licet pro illa ætate idonei non ſint ad obeunda munia, propter quæ eorum Præbendæ inſtitutæ ſunt, propriis ſumptibus alit, fovet; eorum ſtudia adjuvat, ut ſcientia & virtutibus apprime ornati utiliter & cum laude ipſi inſerviant. Ergo ſi intendant alibi ſedem figere, quam in propria Eccleſia, vel quod pejus eſt, Clericatum deſerere, bona Eccleſiæ ſuæ fraudulenter conſumunt; & eadem ratione qua Parochus, de quo Capite *Commiſſa*, ad reſtitutionem tenentur: *ſi enim agricolæ daretur pecunia*, inquit Alexander de Hales 3. p. q. 36. memb. 5. art. 2. *ut in agro laboraret: & ipſe acciperet, & non laboraret; nonne raptor & fur eſſet? Similiter & videtur de iſtis.* Quin Ducaſſe Tract. de juribus Eccleſiarum Cathedralium 1. p. ſect. 6. n. 5. refert quod aliunde jam acceperamus, nempe in territorio ſupremi Senatus Toloſani, juniores Canonicos ſatiſdare Eccleſiæ, cujus ſumptibus aluntur in ſcholis, quod ſi ſtatum Clericalem aliquando abjiciant, impenſas pro ſe factas eidem Eccleſiæ refundent, quod rectæ rationi & æquitati omnino conſentaneum eſt, præſertim ſi ſubſidia illa mala fide & cum animo redeundi ad ſæculum acceperint; in more enim poſitum non eſt ejuſmodi impenſas repetere ab eis, qui, cum ad Ordines promoveri & Eccleſiæ ſuæ fidelem operam dare intenderent, poſtea mutarunt conſilium, ne forte reſtituendi difficultas homines ineptos, invitos, & a Deo minime vocatos in ſacro Ordine retineret.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Utrum ſinguli Ordines ſint Sacramenta?

Certum eſt apud omnes Catholicos Presbyteratum eſſe Sacramentum; namque fide divina conſtat Ordinem generatim ſumptum eſſe novæ legis Sacramentum proprie dictum, ut ſupra demonſtravimus: atqui iſthæc Eccleſiæ definitio non cadit, ſecundum communem Theologorum ſententiam, in Ordines a Presbyteratu diſtinctos; namque præterquamquod abſque ulla cenſuræ nota Sacramenti dignitatem denegant alii Epiſcopatui præciſe ſpectato, alii Diaconatui, & multo plures Subdiaconatui & inferioribus Ordinibus, Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 1. ita definiit Ordinem eſſe Sacramentum, ut ſolius Presbyteratus expreſſe meminerit: *Si quis dixerit non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile & externum, vel eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi & offerendi verum corpus & ſanguinem Domini, & peccato remittendi & retinendi ... anathema ſit.* Præſens igitur quæſtio eſt dumtaxat de Ordinibus a Presbyteratu diſtinctis: ad quam

R. 1. Epiſcopatus eſt Sacramentum proprie dictum, & a Presbyteratu diſtinctum. Ita communiter cenſent recentiores, & ex veteribus Altiſſiodorenſis, Durandus, Paludanus, Joannes Major contra plures alios antiquiores a nobis laudatos cap. 4. qui negarunt Epiſcopatum eſſe Ordinem & Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum.

Probatur noſtra reſponſio 1. ex confutatione oppoſitæ ſententiæ: ideo quippe ejus Patroni negant ordinationem Epiſcopalem eſſe Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, quia exiſtimant Epiſcopatum non habere ſpecialem reſpectum ad Euchariſtiam: atqui citato capite 4. firmiſſimis momentis contrarium demonſtravimus: Ergo.

Probatur 2. quia tria ad Sacramentum proprie dictum requiruntur, ut ſæpius obſervavimus. 1. ſpeciale ſignum

ſignum ſenſibile, & in Eccleſia permanens: 2. divina inſtitutio: 3. gratia ſpecialis ejuſmodi ſigno annexa, Atqui tria hæc reperiuntur in ordinatione Epiſcopali. Namque 1. a temporibus Apoſtolorum uſque ad noſtra, Epiſcopi in Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali, conſecrati ſunt ſigno ſenſibili, nempe ſpeciali manuum impoſitione. 2. ſignum illud eſt a Chriſto Domino inſtitutum, ut conſtat ex dictis citato cap. 4. ubi evicimus Epiſcopos eſſe a Chriſto Domino inſtitutos, & eſſe Presbyteris jure divino ſuperiores. 3. Huicce manuum impoſitioni annexa eſt gratia, ex Apoſtolo 1. ad Timoth. cap. 4. ubi monet diſcipulum, ne negligat gratiam, quæ data eſt illi per impoſitionem manuum, qua ordinatus eſt Epiſcopus Epheſinus: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.*

Nec dicas gratiam illam conceſſam fuiſſe Timotheo ratione Presbyteratus, qui pro more illius ſæculi, ut jam obſervavimus, ſimul cum Epiſcopatu conferebatur. Namque alius eſt ritus conſecrandi Epiſcopum, alius initiandi Presbyterum, ut conſtat ex pleriſque S. Cypriani epiſtolis, & ex can. 2. Conc. Carthaginenſis IV. Atqui priore ritu gratiam, de qua Apoſtolus *loco citato*, conferri conſtans eſt Eccleſiæ Traditio. S. Leo ſerm. 1. in anniverſario ſuæ aſſumptionis de conſecratione Epiſcopali ſic habet: „ Cum hujus di„ vini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas per„ venit functiones, non per generationum tramitem „ currit, nec quod caro & ſanguis creavit, erigitur; „ ſed ceſſante privilegio patrum & familiarum ordine „ prætermiſſo, eos rectores Eccleſiæ accipit, quos Spi„ ritus ſanctus præparavit, ut in populo adoptionis „ Dei, cujus univerſus ſacerdotalis, atque regalis eſt, „ non prærogativa terrenæ originis obtineat functio„ nem, ſed dignatio cæleſtis gratiæ gignat Antiſti„ tem. „ Theodoretus lib. 4. Hiſt. cap. 5. ſcribit quemdam Moyſem nomine virum ſanctum induci non potuiſſe, ut a Lucio Ariano Epiſcopo conſecraretur in Epiſcopum, perſuaſus per impoſitionem manuum Hæreti-

retici non dari Spiritum ſanctum. Denique in ordinatione Epiſcopi Pontifex electo manus imponens, ait: *Accipe Spiritum ſanctum;* atqui ex Concilio Trident. ſeſſ. 23. can. 4. Epiſcopus non fruſtra profert ejuſmodi verba: ergo.

Confirmatur. Incredibile omnino eſt Chriſtum, qui largus & munificus in Diaconos & Presbyteros extitit, ſolos Epiſcopos prætermiſiſſe: in illorum ordinatione ampliſſima dona conferre, ut Fideles purgent, ac illuminent, ut loquitur auctor libri de Hierarchia Eccleſiaſtica; iſtis vero nulla: quibus tamen competit Fideles perficere per Sacramenta Confirmationis & Ordinationis. Addere liceat: Fideles conjuges per benedictionem nuptialem tanquam per ſignum gratiæ efficax ſanctificantur, ut ſint ſincera imago unionis Chriſti cum Eccleſia: vir diligat uxorem ſicut Chriſtus Eccleſiam, uxor vero ſubdita ſit viro ſicut Eccleſia Chriſto, Epheſ. 5. & ambo onera matrimonii ſuſtineant, quomodo decet Chriſtianos, filioſque ad pietatem inſtituant; & audebit quis aſſerere vacuam eſſe benedictionem, qua conſecrantur Epiſcopi, Eccleſiæ ſponſi, Vicarii amoris Chriſti (ut loquitur S. Ambroſius) quorum Ordo non ſolum eſt ad gignendos filios, ſicut Presbyterium, ſed etiam patres; ut ſupra dicebat S. Epiphanius (quibus tota Eccleſia, & regiminis ejus pondus præſertim innititur) Abſit ut in illud abſurdum lapſi fuerint magni illi Theologi, qui negant Epiſcopatum eſſe Ordinem, & Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, ſicut enim docent Epiſcopatum eſſe extenſionem characteris Sacerdotalis, ita & gratiæ.

R. 2. Diaconatus non ſolum eſt Ordo, ſed etiam Sacramentum proprie dictum. Primum eſſe de fide aſſeruimus cap. 4. & cap. 5. §. 6. adverſus Novatores, qui contendunt Diaconatum eſſe miniſterium profanum ab hominibus inſtitutum ad temporalia Eccleſiæ bona adminiſtranda, eleemoſynas diſtribuendas, &c. Secundum negant Durandus in 4. diſt. 14. q. 2. Cajetanus tom. 1. Opuſculorum tract. 11. & nonnulli alii Scholaſtici, adverſus quos hic dumtaxat diſputamus.

Pro-

Probatur itaque ſecunda pars noſtræ reſponſionis, quia ordinationi Diaconorum nihil deeſt ex iis tribus, quæ ſupra diximus ad Sacramentum proprie dictum requiri & ſufficere. 1. In ordinatione Diaconorum eſt ſignum ſenſibile in Eccleſia permanens, ſcilicet manuum impoſitio. 2. Signum illud eſt divinitus inſtitutum, ut probavimus cit. §. 6. 3. Habet annexam promiſſionem gratiæ: *Caro*, inquit Tertullianus lib. de reſurrectione carnis cap. 8. *manus impoſitione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur*. Hanc gratiam ſignificant verba quæ profert Epiſcopus in ipſa manuum impoſitione: *Accipe*, inquit, *Spiritum Sanctum ad robur*. Quod autem non fruſtra id proferat, definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 4.

Nec refert, quod verba illa ab aliquot tantum ſæculis fuerint incerta in ritu ordinationis Diaconorum, oratio enim, quæ immediate ſubſequitur, eandem gratiam ſignificat. Utrum autem forma hujus Sacramenti conſiſtat in laudatis verbis, an in oratione, diſputant Theologi.

Placet illorum ſententia, qui aſſerunt laudata verba habere rationem formæ, quia effectum hujus Sacramenti perfecte exprimunt. Nec obſtat, quod non fuerint ſemper in uſu; namque ex capite ſeptimo Tractatus de Sacramentis in genere, Chriſtus reliquit Eccleſiæ determinandum quibus verbis exprimerentur effectus Sacramentorum, Græci enim aliis verbis utuntur, quam Latini. Unde Eccleſia Latina potuit mutare formam hujus Sacramenti, ſervata eadem verborum ſignificatione.

Circa Subdiaconatum, & Minores Ordines, utrum ſcil. ſint Sacramenta, major eſt ſcholæ controverſia. Affirmarunt ſanctus Thomas in 4. diſt. 24. & plures e veteribus, quos ſequuntur Victoria, Petrus Soto, Bellarminus, Gamachæus noſter, & alii benemulti. 1. quia nullus ex iis Ordinibus iterari poteſt: ergo in quolibet eorum imprimitur character, atqui character non poteſt imprimi niſi per Sacramentum: ergo. 2. quia Chriſtus inſtituit omnia miniſteria neceſſaria, ut debita cum veneratione Euchariſtia celebraretur:

In primitiva Eccleſia, inquit S. Thomas cit. diſt. 24. q. 1. art. 1. *propter paucitatem Miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur* . . . *nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicitæ in una Diaconi poteſtate. Sed poſtea ampliatus eſt cultus divinus, & Eccleſia, quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit in diverſis*. 3. quia ex Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 2. ab initio naſcentis Eccleſiæ Subdiaconatus, & quatuor minores Ordines fuerunt in uſu: ergo a Chriſto inſtituti ſunt.

Verum hujuſmodi momenta non admodum urgent.

Non primum, quia nec Tonſura Clericalis ſemel valide collata, nec conſecrationes Eccleſiam iterantur, etiamſi nullus in eis imprimatur Character.

Non ſecundum, quia ſi pro variis miniſteriis aſſerendi ſunt diverſi Ordines, & diſtincta Sacramenta, in Oſtiariatu implicite continebuntur quatuor Ordines, & in Lectoratu quinque; nam ex dictis Oſtiario competunt quatuor officia, & Lectori quinque, & ita penes erit Eccleſiam multiplicare innumeros Ordines & Sacramenta.

Non tertium; tum quia in Eccleſia Græca omnes illi Ordines non ſunt in uſu; tum quia non ſequitur in ea eſſe inſtitutionis divinæ, quæ ſemper obſervata ſunt; ſed ſolum non eſſe facile mutanda. Benedictio fontis baptiſmalis, & exorciſmi in ritu Baptiſmi ſemper uſurpata ſunt, inde tamen nullus colliget ea fuiſſe a Chriſto inſtituta. Quare

R. 3. Subdiaconatus & quatuor minores Ordines non ſunt Sacramenta. Ita ex Veteribus Amalarius lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 6. Yvo Carnotenſis 2. parte Decreti cap. 72. Gratianus diſt. 21. in Præfatione, Hugo a S. Victore lib. 2. de Sacramentis; Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 24. Durandus; & ex recentioribus Gajetanus, Dominicus Soto, Navarrus, Vaſqueſius, Eſtius, & alii quamplurimi, adeo ut hæc ſententia videatur evaſiſſe communior.

Probatur autem 1. ex confutatione oppoſitæ ſententiæ.

Probatur 2. poſitive triplici ratione.

Pri-

Prima petitur ex Traditione; Patres enim conſtanter docent in ordinatione dari Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem, nunquam vero meminerunt dari per inſtrumentorum porrectionem; atqui in ordinatione Subdiaconorum & Clericorum inferiorum nulla fit manuum impoſitio. Ergo Patres non crediderunt in ejuſmodi ordinatione dari Spiritum ſanctum, nec proinde conferri Sacramentum.

Secunda ratio me maxime movet, nempe ſolus Epiſcopus eſt Miniſter Sacramenti Ordinis, ut infra probabitur ex ſanctis Epiphanio, Hieronymo, & Auguſtino adverſus Aerium: atqui eodem ſæculo, ſcil. quarto, quo Aerius errorem ſuum finxit, Chorepiſcopis in Concilio Antiocheno conceditur poteſtas ordinandi Subdiaconos, & alios inferiores Miniſtros, quod deinceps Concilium Nicænum ſecundum, & alia confirmarunt; ut dictum eſt ubi de Chorepiſcopis. Idem Concilium Nicænum ſecundum canone 14. poteſtatem tribuit Abbatibus, modo ſint Presbyteri, & ab Epiſcopo benedicti, ſuos ſubditos initiandi ad minores Ordines. Idem privilegium iis concedunt Alexander III. cap. *Requiſivit*, tit. 13. de *ordinatis ab Epiſcopo*, &c. Innocentius III. cap. *Cum contingat*, tit. *de ætate & qualitate ordinandorum*, & Concilium Trident. ſeſſ. 23. c. 10. de reform. *Abbatibus*, inquit, *ac aliis, quantumvis exemptis, non liceat in poſterum . . . cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel minores Ordines conferre.*

Tertia ratio: ſi illi Ordines eſſent inſtitutionis divinæ, Eccleſia, utpote fidelis cuſtos depoſiti a Deo ſibi crediti, illos caute conſervaſſet: atqui Eccleſia Græca, ut ſupra monuimus, a mille annis & ſupra, ſolum Lectoratum ex quatuor minoribus Ordinibus retinet, nec propterea Latini cum Græcis congregati in Concilio Conſtantinopolitano generali octavo, in Lugdunenſi ſecundo, & Florentino, ullam litem moverunt, quaſi Græci a divina inſtitutione recederent: ergo veriſimilius eſt hujuſmodi Ordines ab Eccleſia eſſe inſtitutos, nec proinde habere rationem Sacramenti proprie dicti.

Eccleſiæ igitur id contigit, inquit Cardinalis Bona, quod hominibus ſolet, qui cum tenuis ſunt fortunæ, uno contenti ſunt famulo; ubi vero augentur eorum reditus, augent etiam domeſticorum numerum, familiæ miniſteria dividunt, ſingula ſingulis diſtribuentes, ut ſpectabili famulorum grege ſtipati honoratiores incedant. Sic Eccleſia, in ſuis primordiis paupercula, & infidelium perſecutionibus agitata, uno utebatur Miniſtro, Diacono ſcil. ad omnes functiones Hierarchicas. Cum autem crevit credentium multitudo, & Fidelium oblationes, plures inſtituit Miniſtros, varia, quæ Diaconis incumbebant, miniſteria in ſingulos diſtribuit, tremenda myſteria auguſtiori pompa & apparatu ad provocandam Fidelium reverentiam accommodata, celebravit, viditque impletum quod prædixerat Deus Iſaiæ c. 60. v. 15. *ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem & generationem, & ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.* Quomodo ergo nunc periit priſtinus ille decor? unde præſens Eccleſiæ dejectio, & inopia tanta, qualem ab initio paſſa non eſt, ut Paſtores non in pagis modo, ſed & in ampliſſimis urbibus, ne vel Diaconos habeant ad miniſterium? an quia Fidelibus res familiaris eſt anguſtior, aut quia refriguit eorum pietas? Laudandi tamen, quod ſumptibus ſuis plura, quam unquam, magnifica extruent Oratoria, Collegia, ſeu ſodalitia paſſim inſtituant, aſſignatis amplis redditibus ad alendos Sacerdotes & alios Clericos magno numero. Sed cui probabitur, quod Eccleſiam matricem a pietate ſua excludant, quæ etiam neceſſariis indiget; deeſt illi ſplendida ſuppellex, qualis decet ad ſolemnia ſacrificia; deſunt ſacri Miniſtri, quorum vices ſupplent Ludimagiſter & Laici conjugati; deeſt & Sacerdotum ſufficiens numerus ad plebem ut par eſt regendam, & ſpiritalia ſubſidia ſuppeditanda. Hinc alio divertunt oves, Paſtorem nec audiunt, nec ſequuntur; jacetque Eccleſiaſtica diſciplina. Quibus malis ut occurrat Tridentina Synodus, Epiſcopos hortatur, eiſque præcipit ſeſſ. 23. cap. 17. de reform. ut quovis modo Eccleſias Cathedrales &

Pa-

Digitized by Google

Parochiales priſtino ſplendori reſtituant, iiſque provideant Miniſtros cujuſque gradus & Ordines; *Ut ſanctorum Ordinum*, inquit, *a Diaconatus ad Oſtiariatum functiones ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermiſſæ, in uſum juxta ſacros Canones revocentur, nec ab Hæreticis tanquam otioſæ traducantur; illius priſtini moris reſtituendi deſiderio flagrans Sancta Synodus decernit, ut in poſterum hujuſcemodi miniſteria nonniſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur: omneſque & ſingulos Prælatos Eccleſiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, ut quantum fieri commode poterit, in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus ſuæ Diœceſis, ſi populus frequens, & Eccleſiæ proventus id ferre queant, hujuſmodi functiones curent reſtituendas, & ex aliqua parte redditunm aliquorum ſimplicium Beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ, ſi proventus ſuppetant, aut utriuſque illorum, eas functiones exercentibus ſtipendia aſſignent.*

C A P U T VII.

De materia & forma cujuslibet Ordinis.

CErtum eſt formam cujuſvis Sacramenti eſſe verba, quæ proferuntur a Miniſtro in ipſo uſu materiæ, v. gr. in Baptiſmo: *Ego te baptizo, &c.* dum funditur aqua: in Extrema Unctione: *Per iſtam unctionem, &c.* cum ungitur infirmus. Ubi ergo aſſignaverimus materiam ſingulis Ordinibus eſſentialem, perſpicuum erit eorundem formam eſſe verba ab Epiſcopo prolata, cum materiam applicat; v. gr. cum manus imponit, vel inſtrumenta porrigit.

Priuſquam autem quidquam definiatur circa Ordinum materiam, obſervandum eſt in primis quinam ab Eccleſia, qui vero a Chriſto ſint inſtituti; cum enim prio-

priores pendeant a voluntate Eccleſiæ, penes illam eſt eorum ritus immutare, vel adjiciendo, vel detrahendo, ita ut materia, quæ prius fuit accidentaria, vel minime uſurpata, ut traditio lib. Epiſtolarum in ritu Subdiaconatus, eſſentialis evadat, ſi viſum fuerit Eccleſiæ. At de poſterioribus id dici nequit, quia cum ejuſmodi Ordines ſint Sacramenta proprie dicta, illorum materia fuit a Chriſto Domino determinata, nec poteſt Eccleſia quidquam immutare circa illius ſubſtantiam, ut late proſecuti ſumus Tract. de Sacr. in gen. c. 7. adeo ut quæ primis ſæculis in Ordinatione Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus, fuerunt accidentaria, aut prorſus prætermiſſa, jam eſſentialia cenſeri nequeant. His præmiſſis,

Q. 1. *Quænam eſt materia Subdiaconatus, & inferiorum Ordinum?*

R. Conſtat ex Conc. Carthag. IV. Can. 5. & ſeq. ex Sacrament. S. Gregorii, & Pont. Rom. in Eccleſia Latina materiam Subdiaconatus ſemper fuiſſe calicem vacuum cum patena, urceolum cum aqua, mantile, & manutergium: Acolythatus urceolum vacuum, & Ceroferarium cum cereo: Exorciſtatus lib. Exorciſmorum: Lectoratus codicem, de quo Lector lecturus eſt: Oſtiariatus claves Eccleſiæ.

Dixi, *in Eccleſia Latina*; namque in Græca Subdiaconatus & Lector ordinantur per manuum impoſitionem.

Q. 2. *Traditio libri Epiſtolarum, urceoli, mantilis; & manutergii in Subdiaconatu, candelabri in Acolythatu, & pulſus campanæ, ac januæ obſeratio & apertio pertinentne ad materiam eſſentialem illorum Ordinum?*

R. Traditio libri Epiſtolarum in ordinatione Subdiaconatus recens eſt, cum illius non meminerint Conc. Carthag. IV. Sacrament. S. Gregorii, Hugo Victorinus, Magiſter Sent. & S. Thom. nec ullo indicio deprehendi poteſt Eccleſiam inſtituiſſe illum ritum uti materiam neceſſariam hujuſce Ordinis; cum nequidem ipſe Eugenius IV. ejus mentionem faciat in ſuo Decreto pro Armenis. Vulgo autem creditur traditionem urceoli, mantilis, & manutergii eſſe ma-

te-

Digitized by Google

teriam accidentariam tantum, quia iſta in Conc. Carthag. & in Pont. Rom. non porriguntur a Pontiffice, ſed ab Archidiacono. Idem ſentiendum de pulſu campanæ, & obſeratione januæ. Traditionem candelabri cum cereo eſſentialem non eſſe ſcribunt Paludanus in 4. diſt. 24. & Sylvius ad quæſt. 37. Suppl. qui pro ſua opinione laudat hæc S. Thom. verba art. 5. ad 5. *In datione urceoli imprimitur Acolytho character.*

Q. 3. *Inſtrumenta illa debentne tangi ab initiando?*

R. Nonnulli exiſtimant ſatis eſſe, ſi porrigantur ab Epiſcopo, & initiandi aliquo ſigno teſtentur ſe ea acceptare. Ita Albertus in 4. diſt. 24. Cajetanus, Victoria quæſt. 23. Vaſqueſius, & alii. Sed S. Thom. in Supplem. quæſt. 34. art. 5. ad 3. contrariam ſententiam amplectitur: *Quin ipſa verba formæ*, inquit, *videntur oſtendere, quod tactus materiæ ſit de eſſentia Sacramenti, quia dicitur, accipe hoc vel illud.*

Q. 4. *Eſtne neceſſe ut tangantur ſingula materiæ partes, v. g. calix & patena, ceroferrarium & cereus?*

R. Graves Theologi, ut Yſambertus noſter, & Gonetus, cenſent ſatis eſſe, ſi materia tangatur in aliqua ſui parte; quia in rubrica Pont. Rom. dicitur, Pontificem tradere ſingulis ad Subdiaconatum initiandis calicem vacuum, patena vacua ſuperpoſita, *quem ſucceſſive ſinguli tangunt.* Ergo cum pronomen, *quem* referatur ad ſolum calicem, neceſſe non eſt ut phyſice tangatur patena. Deinde ſicut in ritu Presbyteratus vinum, quod eſt in calice, cenſetur moraliter tangi per contactum calicis, quidni & patena cum pane ſuperpoſita? Nihilominus quia in uſu Sacramentorum non licet ſequi opiniones incertas, relicta tutiore, in praxi omnino ſingulas partes contingere oportet. Namque 1. Conc. Cartag. IV. Can. 5. requirit contactum patenæ & calicis: *Patenam*, inquit, *de Epiſcopi manu accipiat, & calicem vacuum.* 2. Liber Pontificalis in ordinatione Presbyterorum ait, *cuppam calicis & patenam ſimul tangunt.*

Q. 5. *Quænam eſt materia Diaconatus & Presbyteratus?*

Ambos illos Ordines hic conjungimus; quia iiſdem

dem momentis materia utriuſque Sacramenti aſſerenda adverſus opiniones diverſas, quæ maxime ſcholas dividunt.

Prima opinio, quæ eſt Dominici Soto Capreoli, Vaſqueſii, & aliorum, contendit materiam adæquatam Diaconatus eſſe codicem Evangeliorum, Presbyteratus vero calicem cum vino & aqua, & patenam ſuperpoſitam cum hoſtia. Quin Vaſqueſius hanc ſuam ſententiam ita certam exiſtimat, ut oppoſitæ notam non ſolum temeritatis, ſed etiam erroris inurendam cenſeat. Sed ipſe temeritatis arguitur ab aliis Theologis, ac præſertim a Maldonato Tractatu de Sacramento Ordinis, ubi probat fide catholica tenendum, manuum impoſitionem eſſe partem eſſentialem Sacramenti Ordinis.

Secunda opinio eſt eorum, qui cenſent materiam eſſentialem Diaconatus & Presbyteratus eſſe tum impoſitionem manuum, tum traditionem inſtrumentorum, codicis ſcilicet Evangeliorum in ordinatione Diaconi, & calicis cum patena in ordinatione Presbyteri. Ita Bellarminus, Sylvius, Hallierus, Gamachæus, Yſambertus, & alii non pauci. Ex patronis tamen hujus ſententiæ nonnulli impoſitionem manuum confundunt cum traditione inſtrumentorum, utpote quæ fieri nequeat ſine manus extenſione, & morali impoſitione. Sed perperam; nam Conc. Carthag. IV. cit. Canone V. expreſſe monet Subdiaconum non ordinari per manus impoſitionem; *Qui*, inquit, *manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat*. Eadem habet Concilium Meldenſe Canone 44. Ergo extenſio manus ad porrigenda inſtrumenta non eſt manus impoſitio, de qua loquuntur Veteres.

Tertia opinio adæquatam tum Diaconatus, tum Presbyteratus materiam reponit in ſola manuum impoſitione: Ita Durandus de materia Diaconatus, qui aſſerit in Eccleſia Anicienſi, cui præerat, non fuiſſe in more tradere librum Evangeliorum. Sed idem de materia etiam Presbyteratus ſentiunt Petrus Soto, Becanus, Arcudius, Morinus, & alii quamplurimi recentio-

Digitized by Google

tiores, eamque ſententiam in Academia Pariſienſi communiter propugnant Baccalaurei Licentiam decurrentes. His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem

R. Materia Diaconatus & Presbyteratus conſiſtit in ſola manuum impoſitione.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ ſolius manuum impoſitionis meminit. De ordinatione primorum Diaconorum habetur Act. 6. *orantes impoſuerunt bis manus*. De ordinatione Presbyterorum ſcribit Apoſtolus 1. ad Timoth. 3. *manus cito nemini impoſueris*. Et cap. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi........ cum impoſitiones manuum Presbyterii*.

Probatur 2. ex conſtanti univerſalis Eccleſiæ Traditione. Namque Eccleſia Græca in ordinatione Diaconorum & Presbyterorum hactenus ſolum adhibuit manuum impoſitionem, nec aliam materiam uſurpavit Eccleſia Latina per decem prima ſæcula, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi quarto, Nicæno ſecundo, Meldenſi, ex omnibus Sacramentariis, & ſcriptoribus rerum Liturgicarum, ut Alcuino, Amalario. In veteri quidem ordine Romano fit mentio porrectionis Calicis; ſed in ritu conſecrationis Epiſcopi, non vero in ordinatione Presbyteri. Quid ad hæc patroni oppoſitæ ſententiæ?

Nonnulli ex iis reſpondent nihil concludi poſſe ex ſilentio Veterum, utpote qui Infidelibus Religionis noſtræ myſteria occultare ſtuduerint; ſed ex hodierna Eccleſiæ praxi colligendum, inſtrumenta, de quibus eſt controverſia, ſemper fuiſſe uſurpata in ordinatione Diaconorum & Presbyterorum; illudque confirmare nituntur facto Chriſti Domini, qui in ultima cæna Apoſtolos inſtituit Sacerdotes per porrectionem calicis. Ad id autem, quod eis objicitur, codicem Evangeliorum non potuiſſe ab Apoſtolis porrigi primis Diaconis Act. 6. cum nondum ſcriptum eſſet Evangelium; fingunt Apoſtolos præcipua fidei dogmata exaraſſe in charta, quam illi Diaconis tangendam tradiderunt.

Sed commenta illa exſufflantur etiam ab iis, qui ne-

negant impoſitionem manuum eſſe materiam adæquatam Diaconatus & Presbyteratus. Enimvero quid ſacratius habet inſtrumentorum porrectio, ut occultetur potius, quam manuum impoſitio, cujus meminerunt Concilia, Sacramentaria, & veteres Scriptores Eccleſiaſtici? Cur Concilium Carthaginenſe quartum inſtrumentorum porrectionem expoſuit in ordinatione Subdiaconorum & inferiorum Clericorum, contexit vero in ordinatione Diaconorum & Presbyterorum? Cur idem Concilium inſtrumentorum meminit in Conſecratione Epiſcopi, non vero in ordinatione Presbyteri & Diaconi, ſi in quolibet ritu adhibebatur, ſic enim habet can. 2. *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant*. Expendemus autem ad quæſtionem ſequentem, num illa libri impoſitio pertineat ad ſubſtantiam conſecrationis Epiſcopalis. Denique fictitium eſt, & ab omnium Veterum ſenſu alienum, Chriſtum per porrectionem calicis Apoſtolos conſecraſſe Sacerdotes; conſtat enim ex cap. 22. Lucæ v. 17. Apoſtolos calicem ſibi invicem diſtribuiſſe, dicente Domino, *accipite & dividite inter vos*: unaque eſt omnium ſententia, Apoſtolos ſine Sacramento, & *ſola Chriſti* voluntate fuiſſe ordinatos Presbyteros & Epiſcopos.

Reſpondent igitur alii Chriſtum materias quorundam Sacramentorum in genere duntaxat inſtituiſſe, poteſtatemque feciſſe Eccleſiæ illas determinandi in ſpecie; ita ut pœnes illam ſit efficere, ut materia, puta manuum impoſitio, quæ prius legitima erat, ſit deinceps irrita.

Unde vero illud habent? an ex Scriptura, an ex traditione? Nullo modo. Quin Scriptura, & univerſalis Eccleſiæ Traditio huic opinioni adverſantur: Apoſtoli Diaconos & Presbyteros manuum impoſitione conſecrarunt; huncque morem ab Apoſtolis derivatum Eccleſia ſemper & ubique retinuit uſque ad decimum ſæculum: atqui quod ſemper & ubique obſervatum eſt,

illud

illud inſtitutionis divinæ cenſeri debet. Conſule quæ in hanc rem late proſecuti ſumus Tractatu de Sacramentis in genere c. 7. ubi momenta, quæ favere videntur oppoſitæ ſententiæ, confutavimus.

Reſpondet ſe id habere ex Eccleſia, quæ cum ſit infallibilis auctoritatis, regaturque a Spiritu ſancto, non mutaſſet ordinationis materiam, impoſitionem ſcilicet manuum ubique uſu receptam, niſi Chriſtus ejuſmodi auctoritatem ipſi conceſſiſſet.

Contra 1. Vitioſo hic utuntur circulo; probant enim porrectionem inſtrumentorum a decimo ſæculo introductam, eſſe materiam eſſentialem ordinationis, quia Eccleſia accepit poteſtatem determinandi in ſpecie materiam quorundam Sacramentorum: & ſimul probant hancce poteſtatem ipſi competere, quia actu & de facto novam ordinationis materiam inſtituit ac determinavit.

Contra 2. admiſſa ejuſmodi reſponſione, graviſſima ſequuntur incommoda, nempe Religionis noſtræ dogmata ex Traditione ſtabiliri non poterunt, quiſque pro libidine ſua Scripturas interpretabitur, & via aperietur omnibus novitatibus; quæ enim Eccleſiæ Traditio antiquior, univerſalior, in Scripturis clarius fundata, & per decem ſæcula magis conſtans, quam impoſitionem manuum eſſe adæquatam materiam ſacræ ordinationis? ſi Eccleſia poſt decimum ſæculum abſque adminiculo Scripturæ, & Traditionis divinæ definit porrectionem inſtrumentorum fore deinceps eſſentialem ordinationis materiam, loco impoſitionis manuum, jam in definiendis fidei controverſiis non erunt amplius conſulendæ Scripturæ & traditio, ſed expectanda a Deo nova revelatio. Hæc pacifico animo, & abſque cenſoria nota oppoſitæ ſententiæ, dicta ſint ad vindicandas divinas Traditiones adverſus Novatores, quibus oppoſita ſententia arma ſuppeditare videtur, ut audacius impugnent Apoſtolicas Traditiones, & obſtinatius inſiſtant præſumpto ſpiritu privato, ducti auctoritate illorum Theologorum, qui ſine Scriptura, & contra univerſalem Eccleſiæ Traditionem contendunt

Digitized by Google

dunt mutari poſſe, & de facto mutatam Sacramentorum materiam.

Ut ergo illibatum ſervaretur fundatiſſimum Eccleſiæ Catholicæ dogma, Scripturam & Traditionem eſſe neceſſariam fidei regulam, conſultius erit in præſenti materia amplecti certum, & dimittere incertum. Duo autem ſunt certa: primum, Eccleſiam nullam ſibi tribuere poteſtatem, quam non poſſit probare vel ex Scriptura, vel ex Traditione: ſecundum, poteſtatem mutandi materiam eſſentialem ſacræ ordinationis non poſſe probari ſive ex Scriptura, ſive ex Traditione; incertum vero, utrum a ſeptem ſæculis porrectionem inſtrumentorum abjecerit impoſitioni manuum tamquam materiam eſſentialem, aut accidentalem; nulla enim hac de re extat Eccleſiæ definitio: Ergo recta ratio videtur exigere, ut dicatur Eccleſiam, retenta manuum impoſitione, quam Scriptura & univerſalis Traditio commendant ut unicam ordinationis materiam, ad majorem explicationem & ſolemnitatem, porrectionem inſtrumentorum, ſicut & manuum unctionem, adjeciſſe tanquam quid accidentarium.

Inſtant patroni oppoſitæ ſententiæ: atqui conſtat porrectionem inſtrumentorum fuiſſe ab Eccleſia invectam tanquam eſſentialem materiam, ſaltem partialem, ſacræ ordinationis: Ergo cum Eccleſia errare non poſſit, recte inde concluditur eam accepiſſe a Chriſto poteſtatem mutandi materias quorundam Sacramentorum.

Probant antecedens 1. ex conſenſu veterum Scholaſticorum; id enim ſunt jam in Eccleſia, inquiunt Scholaſtici, quod ante eos fuerunt ſancti Patres: atqui conſenſus ſanctorum Patrum eſt certiſſimum veritatis Catholicæ teſtimonium: Ergo & conſenſus Scolaſticorum. 2. Ex Pontificali Romano, in quo Pontifex tradens cuilibet initiando calicem cum vino, & patenam cum hoſtia ait: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrare*: quibus verbis ſignificat ſe per ejuſmodi ſymbola conferre characte-

rem

rem Sacerdotalem. 3. ex Decreto Eugenii IV. in quo ſummus Pontifex, probante Concilio Florentino, exponit Armenis quæ ſit vera Eccleſiæ Romanæ doctrina circa Sacramentum Ordinis, ſic autem ritum ordinationis deſcribit, *ſextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus vero*, &c. Ergo.

Nego antecedens, & reſpondeo ad momenta in ejus confirmationem prolata.

Ad primum, diſtinguo majorem, conſenſus plurium veterum Scholaſticorum eſt in Eccleſia, quod conſenſus ſanctorum Patrum, Nego majorem: omnium, ſubdiſtinguo: ſi nitatur divina Traditione, aut aliquo Eccleſiæ decreto, Concedo: ſecus, Nego majorem. Itaque quod nonnulli viri pii proferunt veluti effatum, ſcilicet, id nunc ſunt in Eccleſia Scholaſtici, quod fuerunt ſancti Patres, quibus ſucceſſerunt, non eſt abſolute verum, & accuratiori examine indiget. Ac 1. quidem verum non eſt conſenſum plurium Scholaſticorum eſſe indubitatum teſtimonium veritatis Catholicæ: namque Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. proſcripſerunt hanc propoſitionem inter recentiores communem, *præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem*. Deinde veteres Scholaſtici, ut Hugo Victorinus, Richardus Victorinus, Magiſter Sententiarum, Guillelmus Antiſſiodorenſis, Albertus Magnus, Alexander Halenſis, Sanctus Bonaventura, & alii, docuerunt contritionem perfectam eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad Sacramentum Pœnitentiæ, quam doctrinam Patres Tridentini, etſi nulli cenſuræ ſubjecerint, non obſcure tamen improbarunt ſeſſ. 14. cap. 4. ubi docent contritionem perfectam reconciliare peccatorem, priuſquam Sacramentum actu percipiat.

Addo: nec ipſos patronos oppoſitæ ſententiæ contendere omnes Scholaſticos veteres faviſſe ſuæ opinio-

nio-

Digitized by Google

nionis. Plures quidem pro ſua ſententia numerant, ut Hugonem Victorinum, & Magiſtrum Sententiarum; ſed immerito, quia illi Scholaſtici non aſſerunt per traditionem inſtrumentorum conferri poteſtatem Ordinis, ſed dari ſignum acceptæ jam poteſtatis: *accipiunt*, inquit Hugo, *calicem cum vino, & patenam cum hoſtia de manu Epiſcopi, quatenus his inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agnoſcant placabiles Deo hoſtias offerendi*. Fatendum tamen eſt S. Thom. in Supplem. q. 37. art. 5. diſertis verbis oppoſitam ſententiam amplexum fuiſſe; ſic enim habet: *in ipſa datione calicis ſub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur*. Sed præterquamquod eo loci videatur agnoſcere impoſitionem manuum pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti, cum ait, *per manus impoſitionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia ſint idonei, & ideo ſolis Diaconibus & Sacerdotibus fit manus impoſitio, quia eis competit diſpenſatio Sacramentorum*; multa ex iis, quæ junior ſcripſerat in libros Sententiarum, retractavit in ſua Summa, quam morte præventus non abſolvit, nec recognoſcere potuit, quæ tradiderat de Sacramento Ordinis.

2. Unanimis conſenſus veterum Scholaſticorum in iis, quæ ſunt traditionis divinæ, & ab Apoſtolis accepta creduntur, eſt locupletiſſimum teſtimonium Catholicæ veritatis, a quo recedere non licet, quia non ſua docent, ſed quæ a majoribus acceperunt continua ſucceſſione tanquam a Chriſto per Apoſtolos tradita. Sic conſenſus eorum circa confeſſionem ſacramentalem, tranſubſtantiationem, &c. eſt habendus tanquam accuratior explicatio Catholicæ veritatis.

Ubi vero communis Scholaſticorum tam modernorum, quam veterum doctrina nec Scriptura, nec traditione, nec ullo Eccleſiæ Decreto, ſed ſola veriſimilitudine fulcitur, non poteſt eſſe regula fidei, cum fides ſolo Dei verbo nitatur; quod nobis non innoteſcit niſi vel per Scripturam, vel per Traditionem, & Eccleſiæ propoſitionem. Atqui doctrina, qua aſſeritur traditio inſtrumentorum tanquam eſſentialis materia Ordinationis Diaconorum & Presbyterorum, ita prodiit

dit undecimo ſæculo, ut nullo fulciretur Scripturæ vel Traditionis teſtimonio, ut jam demonſtravimus: nullo Eccleſiæ vel ſummorum Pontificum Decreto, ſed ex ſola praxi recens introducta opinati ſunt veteres, qui nobis opponuntur Scholaſtici; cum probandum ipſis incumberet, praxim illam fuiſſe invectam non ſolum ad majorem ſolemnitatem, & expreſſiorem poteſtatis Sacerdotalis explicationem; ſed ut eſſet loco impoſitionis manuum ad eorum ætatem uſurpata materia Sacramenti vel adæquata, ut contendunt patroni primæ ſententiæ, vel ſaltem partialis, juxta ſecundam ſententiam. Cur traditio inſtrumentorum ipſis potius viſa eſt materia eſſentialis, quam unctio manuum, cum iſta ſit antiquior, ut patet ex Epiſtola Nicolai I. ad Rodulphum Epiſcopum Bituricenſem, a quo interrogatus fuerat, num Diaconis ſicut *Presbyteris* manus eſſent perungendæ; nec *Traditio*, aut Eccleſiæ Decretum priori ritui magis faveat, quam poſteriori?

Ulterius quæro ad adverſariis, utrum porrectio inſtrumentorum, quæ non ſtatim, ſed ſenſim ubique obtinuit, ſicut & unctio, evaſerit materia eſſentialis mox ut invecta eſt, an poſt aliquod temporis intervallum, & quale fuerit illud temporis intervallum, ut *caſſa* cenſeretur ordinatio peracta ſola manuum impoſitione? Primum dici non poteſt propter abſurdum, quod inde ſequeretur, nempe irritas fuiſſe ordinationes in Eccleſiis, ubi porrectio inſtrumentorum non erat in uſu, proptereaque fuiſſe iteratas; quod ex nulla hiſtoria probare poſſunt. Nec ſecundum dici poteſt, qua enim auctoritate fixum & determinatum eſſet illud tempus, ultra quod ordinatio ſine porrectione inſtrumentorum peracta cenſeretur nulla? Non conſenſu ſingulorum Epiſcoporum, qui, cum auctoritate ſint pares, ſibi invicem legem imponere nequeunt, niſi congregati in Concilio legitime coacto. Requirebatur ergo auctoritas univerſalis Eccleſiæ, vel ſaltem decretum ſummi Pontificis ubique receptum. Sic ut *matrimonia* clandeſtina ante Concilium Tridentinum *valida*, irrita deinceps haberentur, opus fuit De-

Decreto univerſalis Eccleſiæ, in quo figeretur tempus, quo nova illa ſanctio robur ſuum haberet, ne dubia ac incerta eſſent matrimonia. Unde Concilium Tridentinum hujuſce ſanctionis auctor ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. ſic habet: *Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die prima publicationis in eadem Parochia factæ numerandos*. Atqui hujuſmodi cautio eo magis fuit neceſſaria in dicta ab adverſariis mutatione, quod ordinatio Presbyrerorum, a qua Sacramentorum veritas pendet, ſit majoris momenti. Cum ergo nullum extiterit Eccleſiæ vel ſummi Pontificis Decretum irritans ordinationes abſque inſtrumentorum traditione peractas ab undecimo ſæculo uſque ad Concilium Florentinum, neceſſario concluditur ejuſmodi traditionem inſtrumentorum ante Concilium Florentinum non fuiſſe eſſentialem ordinationis materiam.

Ad ſecundum. Neque ex hiſce verbis, quæ profert Epiſcopus, dum tradit calicem, *accipe poteſtatem auferre* &c. colligi poteſt tunc imprimi characterem Sacerdotalem; namque in omnium ſententia Presbyter, dum ungitur, non accipit poteſtatem benedicendi & conſecrandi, quamvis Epiſcopus dicat, *per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, quæcumque benedixerint* (manus iſtæ) *benedicantur, & quæcumque conſecraverint, conſecrentur*: & juxta patronos primæ ſententiæ, non datur poteſtas remittendi peccata, ſed data declaratur, cum Pontifex manus imponens Presbytero dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: Ergo a pari per verba illa, *accipe poteſtatem auferre*, non datur, ſed data ſignificatur offerendi poteſtas.

Ad tertium, petitum ex Decreto Eugenii IV. 1. Decretum illud editum eſt ſoluto Concilio Florentino: jam enim receſſerant Græci, & ſoli Latini illud probare potuerunt. 2. Eugenius nihil novum definit, ſed exponit ſolum Armenis quinam eſſent ritus Eccleſiæ Romanæ in conferendis Sacramentis. 3. Non ſingulos ritus recenſet (quod maxime notan-

dum

dum eſt) ſed eos duntaxat, in quibus Armeni fortè diſcrepabant ab Eccleſia Romana, nullam enim facit mentionem ritus, quo conſecrantur Epiſcopi, libri *Epiſtolarum* in ordinatione ſubdiaconi, & *impoſitionis* manuum in ordinatione Diaconi, quam tamen patroni ſecundæ ſententiæ aſſerunt eſſe neceſſariam Diaconatus materiam. 4. Decretum illud non dirigitur ad univerſalem Eccleſiam, ſed ad Armenos duntaxat; nulla in eo includitur clauſula irritans ordinationes alio ritu peractas, nullum præceptum illius promulgandi in ſingulis Eccleſiis, nullum tempus in eo præſcribitur, ultra quod ordinatio Presbyteri abſque traditione calicis futura ſit nulla. 5. Denique Concilium Tridentinum nedum adhæſit huicce decreto tamquam neceſſariæ ordinationum regulæ, quin diſerte docet ſeſſ. 14. c. 3. de Extrema-unctione, Presbyteros rite ordinari per impoſitionem manuum Preſbyterii, nulla facta mentione traditionis inſtrumentorum. Ergo nec ante Concilium Florentinum, nec in ipſo Concilio exiit ullum Eccleſiæ edictum, quo traditio inſtrumentorum ſtatueretur neceſſaria Diaconatus & Presbyteratus materia.

Duo objiciunt Adverſarii adverſus noſtram reſponſionem. Primum in Pontificali Romano electi ad Preſbyteratum dicuntur ordinandi ante traditionem calicis, licet manus jam fuerint ipſis impoſitæ: poſt traditionem vero ſimpliciter vocantur Presbyteri: Ergo in ſola traditione inſtrumentorum confertur character Sacerdotalis. Secundum, Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, & Gregorius IX. cap. *Presbyter*, tit. *de Sacramentis non iterandis*, definiunt non iterandam ordinationem, in qua omiſſa fuerit manuum impoſitio; ſed caute ſupplendum quod fuerat prætermiſſum. Ergo valet ordinatio ſine manuum impoſitione. Verum iſta momenta non ſunt magni ponderis.

Non primum; quia electi tandiu cenſentur ordinandi, quamdiu circa eos completus non eſt ordinationis ritus. Hinc in ipſo libro Pontificali poſt traditionem inſtrumentorum legitur: *Presbyteri ordinandi ... habent libros coram ſe dicentes*, Suſcipe, ſancte Pa-

tur, &c. Sunt ergo ſecundum quid ordinati reſpectu ritus jam peracti, & ordinandi reſpectu alterius ritus peragendi.

Non ſecundum; quia quod rite peractum eſt, non eſt iterandum, & quod omiſſum, ſuppleri debet, quomodocumque illa ſint neceſſaria ſive neceſſitate Sacramenti, ſive neceſſitate præcepti duntaxat. Sic in Baptiſmo, v. g. ſi per errorem adhibita fuerit aqua roſacea, non iterandi ſunt exorciſmi, & aliæ cæremoniæ rite obſervatæ; ſed ſupplendum quod defuit, nempe infundenda aqua cum forma verborum præſcripta. Contra vero, ſi omiſſis cæremoniis, materia & forma debito modo fuerint adhibitæ, ut contingit in caſu neceſſitatis, ſupplendæ ſunt cæremoniæ, etiamſi ad ſubſtantiam Sacramenti non pertineant.

Q. 6. *Quæ manuum impoſitio eſt eſſentialis in ordinatione Presbyteri?*

Advertes in ordinatione Presbyteri non unam, ſed duplicem, vel etiam triplicem eſſe manuum impoſitionem, 1. enim Pontifex, & poſt illum Presbyteri imponunt manus initiando abſque ulla verborum prolatione. 2. nulla interjecta mora tam Pontifex, quam alii Presbyteri tenet manus extenſas ſuper initiandum, adeoque iſthæc manuum impoſitio nonnullis videtur eſſe eadem cum præcedente continuata; interim vero Pontifex fundit preces pro initiando, quæ habent rationem formæ in hypotheſi, quod ejuſmodi manuum impoſitio ſit ordinationis materia. Tertia & ultima manuum impoſitio fit poſt communionem cum iſta verborum formula, *accipe Spiritum ſanctum*. His prænotatis,

R. Patroni primæ ſententiæ, & qui porrectionem inſtrumentorum definiunt eſſe adæquatam ordinationis materiam, contendunt ultimam impoſitionem manuum eſſe adjectitiam, ſicut primam & ſecundam, Presbyterumque in contactu inſtrumentorum cum poteſtate offerendi accepiſſe poteſtatem remittendi peccata; confirmantque ſuam ſententiam, ex eo quod ultima illa manuum impoſitio non ſit admodum antiqua in Eccleſia Latina, & nunquam fuerit in uſu apud Græcos.

Pa-

Digitized by Google

Patroni vero ſecundæ & tertiæ ſententiæ non conveniunt circa tertiam illam manuum impoſitionem. Alii enim ſecundam duntaxat aſſerunt eſſe eſſentialem, utpote ſemper in utraque Eccleſia, Latina ſcilicet & Græca, uſurpatam: cum ultima, ut jam obſervatum *eſt*, non ſit in uſu apud Græcos, nec apud Latinos *invecta*, niſi a quadringentis annis. Alii vero ſtatuunt ſecundam manuum impoſitionem, quæ una eſt cum prima, & ultimam pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti, contenduntque Presbyterum ante poſtremam manuum impoſitionem non habere poteſtatem remittendi peccata. Nec refert quod non ſit admodum antiqua apud Latinos, nec uſurpetur apud Græcos, quia Eccleſia potuit uno vel diverſo ritu utramque conferre poteſtatem, ſcilicet offerendi & peccata dimittendi. Quod autem ſeparatim nunc conferatur, magis congruit exemplo Chriſti, qui in ultima cœna Apoſtolis primo contulit poteſtatem offerendi, deinde poſt *reſurrectionem* poteſtatem remittendi peccata, *Jo.* 20. Nec inde ſequitur, inquiunt, ordinationem Presbyteri eſſe duplex Sacramentum, cum in ea aſſignetur duplex ſignum efficax gratiæ, & duplex character imprimatur, quia ſigna illa ſunt partialia, & partiales *characteres*, tenduntque ad integrandum unum *Sacramentum*, & unam poteſtatem; quemadmodum *Euchariſtia* conſtans ex duplici ſigno unum eſt integrum Sacramentum.

Ceterum, cum nihil certi hic definiri poſſit, caute obſervandum eſt quidquid præſcribitur in Pontificali Romano, & ſi quid fuerit incaute omiſſum, illud ſupplendum eſt, ut docent Innocentius III. & Gregorius IX. ſupra laudati; quia ritus integer neceſſarius eſt, ſaltem neceſſitate præcepti.

Q. 7. *Quænam eſt materia ordinationis Epiſcopalis?*

R. Adæquata materia eſt manuum impoſitio. Probatur 1. quia hoc ritu Apoſtolus Timotheum conſecravit Epheſinum Epiſcopum, præſcripſitque ipſi, ut *Epiſcopos* ita conſecraret, quemadmodum ſæpius diximus, & hunc ritum univerſalis Eccleſia hactenus *retinuit*. 2. quia ſi alia materia eſſet aſſignanda, vel

traditio annuli aut baculi Paſtoralis, vel unctio vel impoſitio libri Evangeliorum ſuper caput initiandi. Atqui nihil horum aſſignari poteſt. Non traditio annuli aut baculi; quia nec eſt, nec fuit in uſu apud Græcos, nec admodum eſt antiqua apud Latinos; ejus quippe non meminit Concilium Carthaginenſe quartum. Idem dicendum de unctione, quæ licet apud Latinos ſit antiquior traditione annuli aut baculi, cum ejus mentionem faciant S. Leo ſerm. 8. de Paſſione, S. Gregorius, vel quivis auctor in cap. 10. libri 1. Reg. tamen nondum erat in uſu quarto ſæculo, ut patet ex Concilio quarto Carthaginenſi, quod non requirit ad ordinationem Epiſcopis niſi impoſitionem manuum, & libri Evangeliorum; nec eam adhibent Græci. Non denique impoſitio libri Evangeliorum, cujus tamen meminit Concilium Carthaginenſe quartum; quia præterquamquod Apoſtoli illum ritum non uſurpaverant, nunquam in Eccleſia Græca obtinuit, nec univerſaliter receptus erat in Eccleſia Latina nono ſæculo, ut conſtat ex Amalario lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 14. ubi ſic habet: *Dicit libellus* (Ordo Romanus) *ſecundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quoſdam, ut duo Epiſcopi teneant Evangelium ſuper caput ejus: quod neque vetus auctoritas intimat, neque canonica auctoritas.* Et ante eum Alcuinus, ſive alius auctor libri de Divinis Officiis, teſtatur Eccleſiam Romanam illum ritum primis ſæculis non uſurpaſſe.

Cum autem huic manuum impoſitioni adjecta ſit duplex verborum formula; Pontifex enim conſecrans, & duo Epiſcopi aſſiſtentes, dum manus capiti ordinandi imponunt, dicunt, *accipe Spiritum ſanctum*, &c. deinde ſolus Pontifex invocat Spiritum ſanctum: ambigitur in quibus verbis conſiſtat forma eſſentialis. Theologi benemulti contendunt eam conſiſtere in ſola oratione, quia priora verba, *accipe Spiritum ſanctum*, ſunt recens invecta apud Latinos, & nullatenus in uſu apud Græcos. Sed hæc ratio non convincit: quia ex dictis Tractatu de Sacramentis in genere c. 7. Chriſtus non determinavit in ſpecie formas plurium Sacramen-

mentorum; ſed eas reliquit Eccleſiæ determinandas. Unde cum priora illa verba perfecte exprimant effectum ordinationis Epiſcopalis, aſſumi poſſunt ab Eccleſia ut forma ejus eſſentialis.

CAPUT VIII.

De Miniſtro Sacramenti Ordinis.

Q. 1. QUis *eſt Miniſter Sacramenti Ordinis?*

R. De fide eſt ſolum Epiſcopum eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum; ita enim Concilium Trid. ſeſſ. 23. can. 7. adverſus Pſeudo-reformatos definit: *Si quis dixerit Epiſcopos... non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem... anathema ſit.*

Probatur 1. ex Scriptura, quæ jus ordinandi aliis non tribuit quam Apoſtolis, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi. Sic Act. 6. Apoſtoli ſeptem primos Diaconos, quos Fideles elegerant, per manuum impoſitionem, & orationem ordinarunt. Et c. 14. v. 22. Paulus & Barnabas per ſingulas Eccleſias Presbyteros conſtituunt. 2. ad Timoth. cap. 1. v. 6. ab Apoſtolo Timotheus fuit ordinatus. Denique idem Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 3. & 5. & Titum cap. 1. ambobus præſcribit, quibus debeant manus imponere; utpote Epiſcopi.

Probatur 2. ex conſtanti & continua ab Apoſtolis ad noſtram uſque ætatem univerſalis Eccleſia Traditione. Sanctus Cornelius tertio ſæculo in epiſt. ad Fabium Antiochenum, quem refert Euſebius lib. 6. Hiſt. cap. 43. ſcribit Novatianum Schiſmaticum & Hæreſiarcham, cum Epiſcopatum Romanum ambiret, acciviſſe ex Italia tres Epiſcopos, homines plane rudes ac *ſimplices*, quos ille incluſit, temulentoſque factos & *crapula* oppreſſos adumbrata & inani manuum impoſitione, *Epiſcopatum* ſibi tradere per vim coegit.

Digitized by Google

Adeo omnibus, etiam Hæreticis, perſuaſum erat Epiſcopum nonniſi ab aliis Epiſcopis conſecrari poſſe.

Synodus Alexandrina anno 319. in epiſt. Synodica declarat Iſchyram Presbyterum non eſſe quia fuerat ordinatus a Collutho, qui non erat Epiſcopus, ſed ſimplex Sacerdos.

Sanctus Epiphanius hæreſi 75. inſectatur Aerium; qui Presbyteros Epiſcopis æquabat, iiſque jus ordinandi tribuebat; cum Epiſcopalis Ordo Patres Eccleſiæ generet per ordinationem; Presbyteralis vero filios dumtaxat per Baptiſmum. Verba ſancti Doctoris ſupra retulimus.

S. Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium. *Quid facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod non faciat Presbyter?*

S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius in illud 1. ad Timoth. cap. 3. *Noli negligere gratiam ... quæ data eſt tibi ... cum impoſitione manuum Presbyterii*; intelligunt nomine Presbyterii cœtum Epiſcoporum, quia, inquiunt, abſurdum eſt Epiſcopum fuiſſe conſecratum per ſimplices Sacerdotes. Superfluum eſſet recenſere Concilia & recentiores Scriptores Eccleſiaſticos, qui jus ordinationis aſſerunt eſſe Epiſcopi proprium.

Q. 2. *Simplex Sacerdos poteſtne eſſe extraordinarius ordinationis Miniſter?*

R. Poteſt ordinationis Subdiaconatus, inferiorum Ordinum, & Tonſuræ: non poteſt ſuperiorum.

Prima pars probatur: quia de facto illud privilegium conceſſum eſſe pluribus Abbatibus demonſtravimus c. 6. Et ratio eſt, quia cum illi Ordines ſint ab Eccleſia inſtituti, penes illam eſt indulgere quibus voluerit, facultatem illos conferendi.

Secunda pars, ſcilicet Presbyteros nequidem extraordinarie poſſe eſſe Miniſtros ſuperiorum Ordinum, probatur, quia tam fixum eſt in Scriptura & Traditione collationem ſuperiorum Ordinum pertinere ad ſolos Epiſcopos, ut Eccleſia, quæ aliquando ſimplici Sacerdoti poteſtatem fecit confirmandi, hactenus cum nullo hic diſpenſaverit; quantalibet compulerit neceſſitas; quæ ſane fuit maxima tempore perſecutionis, cum

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi præ ceteris Clericis quærerentur ad necem, laterent in cryptis, & propter Sacerdotum penuriam Parochiales Eccleſiæ Diaconis ſæpius committerentur. Porro Eccleſia in hujuſmodi extremis ſicut nunquam cum Diaconis diſpenſavit ut offerrent, & virtute clavium peccata dimitterent; ſic nec cum ſimplicibus Sacerdotibus, ut Diaconos & Presbyteros ordinarent, quia utraque diſpenſatio æquè repugnaret Scripturæ ſacræ & Traditioni.

Dices 1. Concilium Nicænum generale primum in epiſt. ad Eccleſiam Alexandrinam, indulſit Presbyteris a Meletio conſecratis poteſtatem ordinandi Eccleſiæ Miniſtros: Ergo.

Nego conſequentiam. Aliud enim eſt ordinare, ſeu ut habetur in Græco textu, præordinare: aliud conſecrare. Clerici quidem, juxta morem illorum temporum, probabant quos Fideles elegerant ad miniſterium Sacerdotale, & probatos, Epiſcopo conſecrandos offerebant. Vult igitur Concilium, ut quos Clericali honore gaudere ſtatuerat, ſuffragium habeant cum ceteris in hujuſmodi probatione.

Dices 2. Eugenius IV. in ſuo Decreto pro Armenis, docet ordinarium Miniſtrum Sacramenti Ordinis eſſe Epiſcopum: Ergo cenſet Presbyterum eſſe ejus Miniſtrum extraordinarium.

Diſtinguo conſeq. eſſe Miniſtrum extraordinarium reſpectu Subdiaconatus, & inferiorum Ordinum, Concedo: reſpectu ſuperiorum, Nego conſequentiam; alioquin ſi verba ſummi Pontificis eſſent univerſaliter accipienda, ex iis concludere liceret, ſimplicem Sacerdotem poſſe conſecrare Epiſcopum.

Dices 3. conſecratio Presbyteri ex dictis fit per manuum impoſitionem: atqui ſimplices Sacerdotes manus imponunt Presbytero conſecrando, ex Concilio Carthaginenſi quarto can. 3. & ex Pontificali Romano: Ergo Presbyteri vere conſecrant Sacerdotes.

Diſtinguo majorem; per manuum impoſitionem, quæ ſit Sacramentalis, cum certa verborum formula, Concedo: quæ ſit cæremonialis & abſque ulla verborum prolatione, Nego maj. Presbyteri igitur initiando

ſimul cum Epiſcopo manus imponunt in teſtimonium conſenſionis & ſocietatis, quam ineunt cum recens ordinato.

Dices 4. Qui poteſt majus, poteſt & minus: atqui Presbyteri poſſunt majus, ſcilicet conficere Euchariſtiam, & remittere peccata: Ergo & ordinare Diaconos vel Presbyteros: quod eſt quid longe minus.

Diſtinguo majorem; qui poteſt majus in eodem genere, Concedo: ſic qui poteſt remittere peccata graviora, poteſt & leviora: in diverſo genere, Nego majorem; nam majus eſt peccata dimittere; quam mortuos ſuſcitare, quod tamen poſterius non poteſt Presbyter.

Dices 5. Plura ſuppetunt exempla Presbyterorum & Epiſcoporum, quos ſimplices Sacerdotes ordinarunt. Paphnutius Abbas Danielem diſcipulum ordinavit primo Diaconum, deinde Presbyterum, ex Caſſiano collat. 4. cap. 1. Turonenſes, ejecto ſancto Brixio, Epiſcopum ſibi præfixerunt Juſtinianum. ex S. Gregorio Turonenſi lib. 10. Hiſt. cap. 31. in perſecutione Imperatoris Valentis Ariani, qui Epiſcopos orthodoxos e ſedibus deturbabat, & in exilium amandabat, ut ſanctum Meletium in Armeniam, S. Euſebium Samoſatenſem in Thraciam; Clerici in Eccleſiis viduatis Miniſtros conſtituebant, ex Theodoreto lib. 4. Hiſt. cap. 12. Ergo.

Diſtinguo antecedens, ſimplices Presbyteri ordinarunt accedente manus Epiſcopalis impoſitione, Concedo: ſecus, Nego antecedens. Itaque Paphnutius, Clerus Turonicus, & alii ordinarunt, conſtitueruntque Eccleſiæ Miniſtros, quomodo nunc Rex Chriſtianiſſimus dicitur inſtituere Epiſcopos, & quicumque jus habent præſentandi ad Eccleſias Parochiales, conſtire Paſtores, quatenus ſcilicet eligunt vel nominant ad munia Eccleſiaſtica, quæ tamen ſic electi ac præſentati obire nequeunt, quin prius ab Epiſcopo conſecrentur.

Quod autem Veteres, qui nobis objiciuntur, non alio ſenſu ſcripſerint, patet ex Concilio Arauſicano eorum ætate celebrato, ſic enim habet can. 3. *Si quis Epi-*

Digitized by Google

Epiſcopus per infirmitatem & debilitatem aliquam, aut in hebetudinem ſenſus inciderit, aut oris officium amiſerit, ea, quæ nonniſi per Epiſcopos geruntur, non ſub præſentia ſua Presbyteros agere permittat, ſed Epiſcopum evocet, & quod in Eccleſia agendum fuerit, imponat. Conſtans ergo tunc erat Traditio, Miniſtros Eccleſiæ non poſſe conſecrari, niſi per Epiſcopum; alias quid neceſſe fuiſſet, ut Epiſcopus infirmitate detentus, alium Epiſcopum evocaret?

Nec dicas tempore perſecutionis, quæ ſub Valente contigit, non licuiſſe Epiſcopos evocare, utpote qui exules agerent in remotiſſimis terris: nam ſancti illi exules tuendæ Religionis ſtudio ſæpe mutato habitu provincias Paſtoribus viduatas peragrabant, teſte ipſo Theodoreto, qui loco citato de Euſebio Samoſatenſi ſic narrat: *cum multas Eccleſias Paſtoribus privatas comperiret, militarem habitum ſumens, & tiara capiti impoſita, Syriam, Phœnicem, ac Palæſtinam peragravit, Presbyteros ordinans, ac Diaconus, alioſque Ordines Eccleſiæ ſupplens.*

Dices 6. Innocentius VIII. anno 1489. conceſſit Abbati Ciſtercienſi facultatem conferendi Diaconatum & Subdiaconatum Monachis ſui Ordinis, *ne forte*, inquit, *Monachi extra Clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur*. Bullam hanc ſe vidiſſe aſſervarique in Collegio Complutenſi teſtatur Vaſquez in tertiam partem ſancti Thomæ diſp. 243. cap. 4. Aſſerit Navarrus Conſiliorum lib. 5. Conſilio 13. Abbates Ciſtercienſis Ordinis ante Concilium Tridentinum ſemper uſos fuiſſe hoc privilegio. Addit Vaſquez multos e recentioribus affirmare idem privilegium eſſe conceſſum Abbatibus Benedictinis, necnon Franciſcanorum Prælatis in India: Ergo.

Nego conſequentiam. Namque 1. non pauci Theologi contendunt fictum ac ſuppoſititium eſſe ejuſmodi privilegium, ut Hallierus ſect. 5. de Miniſtro ſacræ ordinationis cap. 2. paragr. 2. Sylvius in Supplementum ſancti Thomæ q. 38. art. 1. Quin Victoria in *Summa* n. 235. ſcribit ſe vidiſſe Bullam, qua conceditur Abbati Ciſtercienſi facultas conferendi Subdiaco-

Digitized by Google

natum: ſed in ea nihil deprehendit pro Diaconatu; pro quo tamen ait aliquos affirmare iiſdem Abbatibus conceſſum eſſe privilegium, quod ipſi Navarro loco ſupra citato videtur plane exorbitans. 2. Eſto verum ſit illud privilegium, ſacra Cardinalium Congregatio, Concilii Tridentini interpres, declaravit an. 1592. eam fuiſſe Innocentii VIII. mentem duntaxat, ut Abbates Ciſtercienſes cuilibet Antiſtiti Catholico rite promoto facultatem dare poſſent ordinandi Monachos ipſis ſubditos, abſque Ordinarii conſenſu. Et ita ferunt Clementem VIII. fuiſſe interpretatum laudatum privilegium in Bulla Ciſtercienſibus data. Addit etiam Hallierus loco citato, nec noſtra, nec patrum noſtrorum memoria Abbates Ciſtercienſes aliter uſos fuiſſe hujuſmodi privilegio. Quæ perſpicue demonſtrant Sedem Apoſtolicam favere communi Theologorum ſententiæ; nempe ſolum Epiſcopum eſſe Miniſtrum Diaconatus & ſuperiorum Ordinum. Sed gravis ſupereſt difficultas circa ordinationem Epiſcopi, utrum ſcilicet ab uno Epiſcopo perfici poſſit. Itaque

Q. 3. *Quot ad conſecrandum Epiſcopum requiruntur Epiſcopi?*

R. 1. Conſtat apud omnes Catholicos neceſſitate ſaltem præcepti tres aut duos Epiſcopos requiri; id enim ut minimum probat Eccleſiæ praxis, quæ a tempore Apoſtolorum ſemper & ubique tam in Oriente, quam in Occidente obtinuit. Timotheus ordinatus eſt Epiſcopus Epheſinus per impoſitionem manuum Presbyterii, 1. ad Tim. 4. Nomine autem Presbyterii S. Chryſoſtomus, & alii ſupra laudati cœtum Epiſcoporum intelligunt. Euſebius lib. Hiſtoriæ c. 8. refert ex Clemente Alexandrino, ſanctum Jacobum ordinatum fuiſſe Epiſcopum Jeroſolymitanum a ſancto Petro, ſancto Jacobo majore, & ſancto Joanne. Primus canon Apoſtolorum ſic ſtatuit: *Epiſcopus a duobus vel tribus Epiſcopis ordinetur*. Idem præſcribitur lib. 3. cap. 20. Conſtitutionum, quæ circumferuntur ſub nomine ſancti Clementis, qui fuit Apoſtoli diſcipulus. Adeo praxis illa tertio ſæculo videbatur neceſſaria ipſiſmet Hæreticis, ut Novatianus exiſtimaverit ſe non haben-

dum

Digitized by Google

dum Epiſcopum, niſi ordinaretur a tribus Epiſcopis; ut ſupra retulimus ex S. Cornelio. Concilium Nicænum generale primum can. 4. *Epiſcopum*, inquit, *convenit maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in Provincia, Epiſcopis ordinari; ſi autem hoc difficile fuerit... tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus... ordinatio celebretur*. Mitto alia poſteriora Concilia, ut Antiochenum, Sardicenſe, Carthaginenſe quartum can. 2. Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio can. 9. ubi uſus ille dicitur inſtitutionis divinæ.

Tota igitur controverſia ſpectat neceſſitatem Sacramenti, utrum ſcilicet conſecratio Epiſcopi ab uno Epiſcopo peracta, non modo ſit illicita, ſed etiam irrita, & prorſus nulla. Affirmant Cajetanus tertia parte q. 76. art. 6. Bellarminus de notis Eccleſiæ cap. 8. Vaſquesſius in 3. p. diſp. 243. cap. 6. Hallierus citat. ſect. 5. agnoſcit communiorem eſſe hanc ſententiam, oppoſitam tamen amplectitur, quæ eſt Paludani libro de poteſtate Papæ, Sylveſtri verbo *Conſecratio*, & aliorum recentiorum, cum quibus

R. 2. Numerus duorum aut trium Epiſcoporum non eſt *neceſſarius* ad ordinandum Epiſcopum neceſſitate Sacramenti, ſed neceſſitate duntaxat præcepti.

Probatur 1. quia modus ille loquendi disjunctivus, quos utuntur veteres Canones, *a duobus aut tribus ordinetur Epiſcopus*, innuere videtur numerum illum requiri ad majorem ſolemnitatem, & in teſtimonium ejuſmodi ordinationem (quæ eſt in Eccleſia præcipui momenti, cum diſciplina ex Epiſcopo pendeat) peractam eſſe plurium judicio & conſenſione; ob eamque rationem Canones præſcribunt, ut, ſi fieri poſſit, omnes Provinciæ Antiſtites conveniant ad ordinationem Epiſcopi. 2. quia liber Pontificalis & verus ordo Romanus ex tribus Epiſcopis unum vocant conſecratorem, alios vero aſſiſtentes, 3. Syneſius epiſt. 67. narrat Siderium creatum fuiſſe Epiſcopum Palæbeſce a ſolo Philone Cyrenenſi, improbatam quidem fuiſſe ejuſmodi ordinationem: nihilominus tamen Siderium habitum fuiſſe pro Epiſcopo, & a S. Athanaſio vocatum ad Metropolitanam Eccleſiam adminiſtrandam. Evagrius

Digitized by Google

ab uno Paulino ordinatus eſt Epiſcopus Antiochenus; & quamvis ejus ordinationi communiter refragarentur Orientales, ab Occidentalibus tamen recepta eſt: Innocentiuſque I. diſſenſionem compoſuit hac conditione, quod ordinati ab Evagrio cum honoribus & Ordinibus reciperentur, ex Theodoreto lib. 6. Hiſtoriæ cap. 23. Ergo Innocentius ſummus Pontifex credidit Evagrium vere fuiſſe Epiſcopum, 4. Baronius ad annum 1080. refert in more tunc fuiſſe in Hibernia, ut Epiſcopus ab uno conſecraretur, quod quidem reprehendit Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus; ſed de ordinatione iteranda tum ejuſmodi Epiſcoporum, tum Presbyterorum, quos initiaverant, nihil præſcripſit. 5. denique Henriquez in Summa, & alii ſcribunt Gregorium XIII. conceſſiſſe Patriarchæ Æthiopiæ, ut in caſu neceſſitatis ſolus Epiſcopos conſecraret: & hac noſtra ætate Epiſcopi a Sede Apoſtolica mittuntur ad Sinas, & alias Indiæ partes cum poteſtate conſecrandi in illis regionibus novos Epiſcopos ſine præſentia duorum Epiſcoporum.

Dices; Apoſtolica eſt Traditio ſemper & ubique obſervata, Epiſcopum nonniſi a tribus, aut duobus ſaltem conſecrari: ergo non poteſt ab uno.

Diſtinguo conſequens; non poteſt licite, Concedo; non poteſt valide, Nego conſeq. Licet ex Apoſtolica Traditione univerſalis Eccleſia hactenus aquam miſcuerit in calice, non ſequitur ejuſmodi mixtionem eſſe de neceſſitate Sacramenti. Porro momenta adducta videntur evincere tres aut duos Epiſcopos requiri in Ordinatione Epiſcopi ex neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici duntaxat.

Inſtas, Canones declarant non ſolum illicitam, ſed irritam & vacuam ordinationem Epiſcopi ab uno peractam: *Ordinationem*, inquit Concilium Rhegienſe can. 22. *quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuam cenſuimus, in qua prætermiſſa trium præſentia*, &c. Ergo.

Diſtinguo antecedens; irritam & vacuam quoad honores & officia, quemadmodum Presbyter, qui ſine proprii Epiſcopi conſenſu ab alieno ordinatus eſt,

Digitized by Google

manet ab omni officio ſuſpenſus, Concedo: quoad characterem Epiſcopalem, Nego ant. tum quia Armentarius, de quo Conc. Rhegienſe, a quo duobus Epiſcopis fuerat ordinatus Ebredunenſis Epiſcopus, quod ſecundum adverſarios ſufficit ad veritatem Sacramenti: tum quia ab Armentario ordinati; *Quibus nulla converſationis macula præjudicaverit*, inquit Concilium, in miniſterio ſuorum Ordinum permittuntur, & ipſi Armentario indulgetur, ut Neophytos confirmare poſſit.

Bellarminus, & alii patroni oppoſitæ ſententiæ aliter reſpondent ad exempla a nobis prolata, nimirum ordinationem Epiſcopi ab uno peractam ex diſpenſatione ſummi Pontificis eſſe validam: ſecus, eſſe plane irritam, etiam quoad characterem: quemadmodum, inquiunt, Sacramentum Confirmationis, cujus adminiſtratio ſolis Epiſcopis competit jure divino, adeo ut ſimplex Sacerdos ejus Miniſter eſſe nequeat, niſi id ſpecialiter ipſi indultum fuerit a Romano Pontifice: verum abſque hujuſmodi diſpenſatione Siderius ordinatus fuit a Philone, Evagrius a Paulino, & Epiſcopi in Hibernia, de quibus ſupra.

CAPUT IX.

Expenduntur nonnullæ difficultates circa Miniſtrum Ordinis.

PRimo loco occurrit difficultas, eaque graviſſima, num ordinatio facta ab Epiſcopo ſchiſmatico, hæretico, ſimoniaco, & excommunicato, ſeu ſuſpenſo, non ſolum ſit illicita, ſed etiam prorſus nulla? Verum huicce difficultati fecimus ſatis Tract. de Sacr. in genere cap. 14. & 15. Ad quæ Lectores remittimus, ad alia nondum diſcuſſa properantes. Itaque

Q. 1. *A quibus ordinari debet Epiſcopus?*

R. A primis ſæculis uſque ad duodecimum, Epiſcopi vulgo ordinabantur a Metropolitano, vel ab al-

Digitized by Google

tero, de ejus conſenſu, & Epiſcopis Comprovincialibus: Metropolitanus vero ab antiquiore Provinciæ cum aliis comprovincialibus, niſi ſedes junioris Epiſcopi aliqua prærogativa gauderet.

Prima pars probatur. Tertullianus lib. de præſcr. cap. 20. a Metropolitanis Eccleſiis, quas Matrices & originales fidei vocat: *Ceteræ*, inquit, *Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant:* quatenus ſcilicet ab iis accipiunt Paſtores. Conc. Nicænum generale I. Can. 6. ſic habet: *Illud autem generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definit Epiſcopum eſſe non oportere.* Et Can. 4. *Epiſcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in Provincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur.* Regulam hanc ceteræ Synodi deinceps amplexatæ ſunt, ut Laodicena, Antiochena, Sardicenſis, Carthag. quarta, Aurelianenſis ſecunda, Turonenſis ſecunda, Pariſienſis tertia; hanc obſervandam præſcripſerunt Summi Pontifices. Innocentius I. epiſt. 18. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum: *Revolventes*, inquit, *auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum ... Itaque arbitramur, Frater cariſſime, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordines ſingulari, ſic & ceteros non ſine permiſſu conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari, in quibus hunc modum rite ſervabis, ut longe poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, ſi exiſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire.* Sæculo 9. Nicolaus I. epiſt. 63. 64. & 65. Hilduinum, quem Rex Lotharius, renitente Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo, conſecrari volebat, e Cameracenſi Eccleſia exturbandum decernit, nec alium niſi ex voluntate Hincmari, conſecrari permiſit. Undecimo ſæculo Nicolaus II. epiſt. 3. Bellovacenſem Epiſcopum, ſine Archiepiſcopo Rhemenſi, & ejus conſenſu

ſenſu ordinatum, non conſecratum, ſed execratum pronuntiat.

Dixi Epiſopos vulgo fuiſſe ordinatos a Metropolitano, ut innuerem aliquando aliter factitatum fuiſſe. Namque 1. Romanus Pontifex, cui univerſalis Eccleſiæ cura incumbit, in caſibus neceſſitatis plures Epiſcopos vel per ſe, vel per legatos ſuos non ſolum in Occidente, ſed etiam in Oriente ordinavit; quinta Synodus generalis agnovit Mennam pro legitimo Patriarcha Conſtantinopolitano, quem Agapetus Summus Pontifex Conſtantinopolim adveniens conſecraverat, depoſito Anthimo. Ex Liberato in brevic. cap. 21. Martinus I. graſſante Monothelitarum hæreſi, Philadelphiæ Epiſcopum miſit legatum ſuum per totum Orientem. *Et ſic*, inquit, *proſperans in Domino, ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per omnem civitatem earum quæ ſedi cum Jeroſolymitanæ, tam Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos*. Octavo ſæculo S. Bonifacius Moguntinus auctoritate Zachariæ Summi Pontificis, epiſt. 4. ſacravit Grimonem Rothomagenſem, Abelem Rhemenſem, & Habertum Senonenſem. 2. S. Eligius conſecratus eſt Rothomagi, ſed præſumitur conſenſus Archiepiſcopi Rhemenſis. 3. Nonnulli prenſationibus & aſſentationibus effecerunt, ut a Principibus ad Epiſcopatum poſtularentur, ordinarenturque ab extraneis Epiſcopis, veriti ſcilicet ne Metropolitanus & Comprovinciales Epiſcopi, uti eos indignos rejicerent. Huic malo Conc. Pariſienſe III. mederi voluit Can. 8. in quo ſic ſtatuit: *Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus. Non principis imperio per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum Comprovincialium ingeratur*. Sed potentiori non impune reſiſtitur: id paullo poſt Conc. Pariſienſe experti ſunt Patres Synodi Sanctonenſis, qui ut refert Gregorius Turonenſis lib. 4. hiſt. cap. 26. Cum depoſuiſſent Emerium abſque conſilio Metropolitani conſecratum Epiſcopum Sanctonenſem Decreto Clotarii Regis, & Heraclium in ejus locum ſuffeciſſent, a Chariberto Clotarii filio & ſucceſ-

ceſſore male excepti ſunt, Heraclius ignominioſe primo habitus in exilium miſſus eſt, & Emerius Sedi reſtitutus.

Secunda pars; quæ eſt de ordinatione Metropolitanorum, probatur ex S. Leone epiſt. 82. referturque diſt. 63. cap. *Metropolitano defuncto*, & ex Gelaſio Summo Pontifice epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, quæ refertur cap. *Quia*, diſt. 63. *Si*, inquit, *Metropolitanus humanæ conditionis ſorte deceſſerit, a Comprovincialibus Epiſcopis, ſicut fama tranſmiſit, ſacrari modis omnibus cenſeatis*. Sic ordinatus eſt S. Baſilius Archiepiſcopus Cæſarienſis, ex S. Gregorio Nazianzeno orat. 20. S. Martinus ex Severo in ejus vita: S. Remigius ex Hincmaro in ejus vita. Iſtum ordinem paullo interturbarunt Vicarii Sedis Apoſtolicæ, qui & Primates dicti ſunt; cum enim primo deſtinarentur ut de inſtituendis Metropolitanis inquirerent, eos a Synodo ordinatos confirmarent, ac de omnibus Cathedram Apoſtolicam certiorem facerent, & ita ad unitatem omnis ordinatio facilius recurreret, progreſſu temporis aliquando Metropolitanos ordinarunt, utpote qui vices gererent Summi Pontificis.

Dixi: *Niſi ſedes junioris Epiſcopi aliqua prærogativa gauderet*, ut Sueſſionenſis Epiſcopus, qui in Provincia Rhemenſi, ratione ſuæ ſedis, licet junior, primum locum inter Comprovinciales obtinet; & olim Epiſcopus Carnotenſis in Provincia Senonenſi, ut colligitur ex epiſt. 59. & 60. Yvonis Carnotenſis.

Sæculo 12. antiqua Eccleſiæ diſciplina circa ordinationes Epiſcoporum paullo laxata eſt. S. Bernardus lib. 4. de conſid. cap. 4. ad Eugenium III. defert murmur & querimoniam Eccleſiarum, quod Apoſtolica ſedes paſſim ſibi reſervaret ordinationes Epiſcoporum: „ Murmur loquor & querimoniam Eccleſiarum, *inquit*, ſubtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis ſive Primatibus .... ſic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed utrum & debeatis, quæſtio eſt. Honorum ac Dignitatum gradus & ordines quibuſque ſuos ſervare, poſiti eſtis, non invidere:

Pœ-

Penitus vero extincta eſt, ubi jus eligendi, ſeu nominandi Epiſcopo Principibus datum eſt; dirigunt enim nominationis litteras ad ſummum Pontificem, qui electos inſtituit cum facultate eligendi quos maluerint Epiſcopos, qui ſibi manus imponant. Adverſus novum hujuſmodi uſum Pſeudo-reformati petulanter debacchantur, audentque ſic ordinatos vocare Paſtorum larvas; quam impietatem Concilium Tridentinum anathemate percuſſit ſeſſ. 23. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum; anathema ſit*. Et quidem merito; tum quia cathedra Petri, juxta Sanctum Cyprianum epiſt. 55. eſt radix & origo, unde unitas Sacerdotalis ramos ſuos per univerſum orbem expandit, rivulos dividit: ipſa firmavit Antiochenam Eccleſiam, Alexandrinam erexit, & ubi occaſio ſe obtulit, vexatis Eccleſiis hactenus ſuppetias tulit, expulſis illegitimis Paſtoribus, & legitimis conſtitutis, ut jam obſervavimus: tum quia modus eligendi & præficiendi Epiſcopos non eſt inſtitutionis divinæ, ut ſuo loco dicemus; ſed diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ mutationi obnoxia eſſe debet, non ſecus ac rerum humanarum conditio; mutato enim temporum & rerum ſtatu, abrogare neceſſum eſt, quæ prius prudenter ac utiliter ſancita fuerant, ſic deſerendum remedium primo ſalutare, cum, mutato corporis habitu, evadit noxium, & aliud inquirendum: atque eo ſenſu S. Auguſtinus ſcripſit lib. 2. de baptiſmo cap. 2. ipſa plenaria Concilia ſæpe priora poſterioribus emendari. Porro quis in Hiſtoria Eccleſiaſtica adeo rudis, ut neſciat quanta ſubſequentibus ſæculis perturbatio & confuſio nata ſit in Epiſcoporum electionibus, ad quas Cleri & populi conſenſus requirebatur? Cur enim loco caritatis, & Religionis, quæ electiones prioribus ſæculis ad fauſtum exitum perducebant, ambitio & cupiditas flagrare cœperunt, quam ſæpe electiones ſimoniæ ſordibus fuerunt conſpurcatæ? quot lites exortæ? quot diſſenſiones? quanta vis adhibita nonnumquam uſque ad effuſionem ſanguinis? adeo ut

non

Digitized by Google

non qui dignior, ſed qui potentior, licet ſceleratior, regendis populis aliquando præficeretur. Per hodiernam autem Galliæ diſciplinam via occluditur recenſitis incommodis, electiones Epiſcoporum pacatius ac felicius ſuccedunt, quam in illis regionibus, ubi electio pœnes Clericos permanſit; & hæc dicta ſufficiunt ad ora Novatorum comprimenda.

Q. 2. *A quo Epiſcopo ordinari debent Presbyteri, & & alibi inferiores Clerici.*

R. A proprio. Ita Concilium Lugdunenſe ſecundum, referturque cap. *Eos*, de temp. ordin. Bonifacius VIII. cap. *Cum nullus*, eodem tit. in ſexto, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 8. de reform. *Unuſquiſque*, inquit, *a proprio Epiſcopo ordinetur . . . ſi ſecus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

Q. 3. *Lex illa aſtringit ne etiam Laicos, ita ut non poſſint niſi a proprio Epiſcopo Tonſuram & ordines recipere?*

Reſp. Varia fuit in hac parte Eccleſiæ diſciplina. Concilium Carthaginenſe primum can. 5. anno 347. ſanxit, ne Epiſcopus Laicum uſurparet ſibi *de plebe aliena ſine conſcientia proprii ejus Epiſcopi*. Addit Gratus Carthaginenſis, qui Concilio præerat; *memini in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi* (cui interfecerat) *ſtatutum, ut nemo alterius plebis hominem uſurpet*. Nihilominus lex iſta non ubique obtinuit, namque Origenes Alexandriæ natus, in Palæſtina & Clericus & Presbyter ordinatus fuit a Theoctiſto Cæſarienſi, & ab Alexandro Jeroſolymitano, ut refert S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſ. ipſe S. Hieronymus a Paulino Antiocheno conſecratus fuit Presbyter, cum eſſet Stridone oriundus. S. Martinus in Pannonia natus, & Ambiani baptizatus, Exorciſta a S. Hilario Pictavienſi eſt initiatus. S. Auguſt. de ſe ipſo hæc ſcribit epiſt. 126. alias 225. *Cum Eccleſia Tagaſtenſis, quæ carnalis patria mea eſt, Clericatum mihi non impoſuiſſet, quando potuerunt Hipponenſes, habendum ingeſſerunt*. Et ep. 64. alias 235. monet Quintianum in

Con-

Concilio Carthaginenſi tertio : *de ſolis Clericis fuiſſe ſtatutum, non etiam de Laicis, ut undecumque venientes non recipiantur*. Verum propter incommoda, quæ inde naſcebantur, vel enim homines criminibus in patria infames, & impedimentis canonicis ligati, alibi ignoti in Clerum obrepebant: vel ab Epiſcopis invitis juvenes bonæ ſpei, & ab eis accurate inſtituti abducebantur; lex ubique tandem recepta eſt, qua cavetur, ne alienus Epiſcopus, quemquam Clero adſcribat abſque conſenſu proprii Epiſcopi. Ita c. „ Nullus, *de* „ *temporibus ordin. in ſexto*: Nullus Epiſcopus, *in-* „ *quit Bonifacius VIII.* vel quivis alius . . . . abſque „ ſui Superioris licentia homini diœceſis alienæ Cle- „ ricalem præſumat conferre Tonſuram .... qui vero „ contra fecerit (ut in eo in quo peccaverit, punia- „ *tur*) per unum annum a collatione Clericalis Ton- „ ſuræ dumtaxat noverit ſe ſuſpenſum . „ Ideo autem Summus Pontifex expreſſe loquitur de ſola Tonſura, quia ſi alienus Epiſcopus Ordines etiam conferret, ab eorum collatione eſſet per annum ſuſpenſus, ex cap. *Eos*, ſupra laudato. Idem confirmat Concilium Trid. ſeſſ. 7. c. 10. de reform. ubi denegat Capitulo Eccleſiæ Cathedralis facultatem concedendi Litteras dimiſſorias *infra* annum a die, qua cœpit vacare ſedes: „ ſi ſecus fiat, *inquit*, Capitulum contraveniens Ec- „ cleſiaſtico ſubjaceat interdicto, & ſic ordinati (*niſi* „ *in Beneficia arctentur*) ſi in minoribus Ordinibus „ conſtituti fuerunt, nullo privilegio Clericali præ- „ ſertim in criminalibus gaudeant; in majoribus vero „ ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Præ- „ lati ſint ipſo jure ſuſpenſi. „ Et ſeſſ. 14. cap. 2. de reformatione, prohibet cuilibet Epiſcopo titulari, hoc eſt, qui caret plebe, ordinare quenquam, etiam ad primam Tonſuram ſine conſenſu proprii Epiſcopi: „ contra faciens, *inquit*, ab exercitio Pontifica- „ lium per annum: taliter vero promoti ab execu- „ tione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Præla- „ to viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi. „ Denique *Concilium* adeo ſollicite curat, ne quis præter conſcientiam proprii Epiſcopi ordinetur, ut laudato

c. 8.

c. 8. ſeſſ. 23. de reform. ſtatuat nemini ſuffragari Reſcripta Apoſtolica eligendi quemlibet Antiſtitem communionis Apoſtolicæ, a quo ordinetur „ niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videtur expedire, ſit ſuſpenſus. „

Quæſtionem hic movent nonnulli Theologi, utrum ſuſpenſio citatis Canonibus & Decretis lata, ſit vera cenſura, cujus violatio inducat irregularitatem? Qui negantem ſententiam amplectuntur, levi admodum fundamento eam ſtabiliunt, ſcilicet: quod illa ſuſpenſio ad beneplacitum proprii Epiſcopi deſinat. Quaſi vero non exiſtant veræ cenſuræ ad tempus latæ: aut Sacerdos, qui ſponſos ſine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere auſus eſt, non ſit ligatus cenſura proprie dicta; nec irregularitatem contrahat per ejus violationem, qui ad arbitrium proprii ſponſorum Epiſcopi abſolvi poteſt. Certe Pius II. in Bulla, quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, edita 18. Kal. Decemb. ann. 1461. declarat Clericos ejuſmodi ſuſpenſionis violatores irregularitatem incurrere: Quicunque Clerici .... „ vel ante legitimam ætatem, vel abſque dimiſſoriis „ Ordinarii ſui Litteris, ſe ad aliquem ſacrum Ordinem promoveri fecerint, ab ſuorum Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſunt, iique, ſi ſuſpenſione durante, illorum Ordinum miniſterium, functionesve obierint, ſtatim irregularitatem ſubeant, „ ob quam, præter pœnas contra iſtos Canonum jure „ ſancitas, beneficiis etiam Eccleſiaſticis privari poſſunt.

Conſtitutio Tonſuræ & minorum Ordinum non meminit, quia Tonſuræ non reſpondent officia, a quibus ſimplex Clericus ſuſpendi poſſit; nec pœna videretur quempiam arceri a functionibus minorum Ordinum, quæ ubi ſunt in uſu, vulgo a Laicis exercentur. Sed Concilium Tridentinum cit. cap. 10. ſeſſ. 7. vult inferiores Clericos ſine litteris dimiſſoriis ab alieno Epiſcopo ordinatos carere privilegio Clericali. Et ita uſu apud nos receptum eſt; quandiu enim proprius

prius Epiſcopus ratam non habuerit Tonſuram ſic collatam, non habentur ut Cleri, qui ſine Litteris dimiſſoriis ordinati ſunt, ad Ordines licite promoveri nequeunt, & ſi Beneficium adepti fuerint, ab eo deturbari poſſunt. *Collatio Tonſuræ facta ab alieno Epiſcopo*, inquit Rebuffus in praxi in form. dimiſſ. n. 21. *non prodeſt, ſive collata fuerit in diœceſi ordinati, ſive extra, dummodo ab alieno ſine conſenſu proprii Epiſcopi*. Immo Sambovius tom. 2. caſu 18. exiſtimat periculum eſſe, ne ejuſmodi Clericus Beneficium in foro exteriori amittat, niſi a ſummo Pontifice Reſcriptum acceperit, quod *perinde valere* vocant, nititurque auctoritate Rebuffi in praxi de Litteris dimiſſoriis num. 5. ubi ſic habet: *Si quis a non ſuo Epiſcopo tonſuram ſumpſerit ſine dimiſſoriis, cautela eſt ut impetret Litteras perinde valere a Papa*. Et in ſerm. Lit. Tonſ. n. 21. monet ſatis non eſſe ſi Litteræ obtineantur a Papæ Pœnitentiario.

Q. 3. *Quis hic cenſendus eſt proprius Epiſcopus?*

R. Epiſcopus vel originis, vel beneficii, vel domicilii. Ita Bonifacius VIII. cit. cap. „ Cum nullus) „ *de temp. ordin.* Superior, *inquit*, intelligitur in hoc „ caſu Epiſcopus, de cujus diœceſi eſt is, qui ad „ Ordines promoveri deſiderat, oriundus: ſeu in cu„ jus diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum; ſeu „ habet (*licet alibi natus fuerit*) Domicilium in „ eadem. „ Decreto Bonifacii quamplurimæ Synodi adhæſerunt, ut Lingonenſis an. 1404. Senonenſis an. 1528. pronuntiaruntque a quolibet ex tribus illis Epiſcopis licere Ordines recipere.

Q. 4. *Quis eſt Epiſcopus originis?*

R. Jure veteri Epiſcopus originis is fuit, in cujus Diœceſi quis baptizatus fuerat, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi tertio can. 44. & ratio eſt, quia cum prioribus ſæculis grandiores & ætate provecti vulgo baptizarentur, Epiſcopi non inquirendum cenſuerunt, quid illi extra Eccleſiam egiſſent; *quid enim mihi*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 5. *de iis qui foris ſunt judicare?* Sed ſatis ipſis erat ſi actæ poſt Baptiſmum vitæ præclarum teſtimonium exhiberetur. A quo au-

autem expetendum erat illud teſtimonium; niſi ab Epiſcopo, qui Catechumenum in Religionis Chriſtianæ diſciplina inſtituerat; mores ejus exploraverat, & in Chriſto regeneraverat? Ex quo vero uſus obtinuit, ut infantem ſtatim a nativitate baptizarentur, is fuit Epiſcopus originis, in cujus diœceſi aliquis natus eſt. Ita Bonifacius VIII. cit. cap. *Cum nullus*. Ita Clerus Gallicanus anno 1657. & communis Eccleſiarum praxis. Nec ſine gravi cauſſa: homines enim ab ipſo exortu ad gregem Epiſcopi ordinarii pertinent, ipſius eſt invigilare, eorum parentes urgere, ſi neceſſe ſit, ut quam citiſſime baptizentur, Chriſtianis moribus imbuantur, quaſi de iis rationem Deo redditurus ſit, ideoque nullus æque dijudicare poteſt, ſintne ad Clerum apti & idonei. Unde qui natus & procreatus, & baptizatus eſt in diœceſi, quam parentes pertranſibant, vel in qua ad tempus morabantur, puta ad annum vel biennium, ſolum Epiſcopum, in cujus diœceſi parentes retinent domicilium, habet pro Epiſcopo originis, nec alterius dimiſſoriis litteris indiget, Ita Panormitanus in caput *Redulphus*, de Reſcriptis; Sylveſter, verbo *Civitas*; Hallierus ſect. 5. c. 3. part. 2. de Ordin.

Q. 5. *Quis eſt Epiſcopus Beneficii?*

R. Ex citato cap. *Cum nullus*, is eſt, in cujus diœceſi aliquis obtinet Beneficium: non diſtinguit ſummus Pontifex inter Beneficia pinguia & tenuia; ſimplicia, & reſidentiam poſtulantia: ſed abſolute pronuntiat pro eo, qui Beneficium obtinet, id eſt, poſſidet: ſi enim an illud ſit ſolum nominatus, aut inſtitutus, poſſeſſione non adepta Beneficium obtinere non cenſetur. Cavendum tamen eſt, ne per fraudem Beneficium conferatur, vel obtineatur; ſi enim Epiſcopus ex aliena Diœceſi Clericum extrahat, eique conferat Beneficium, animo illum ſibi adducendi; vel ipſe Clericus, ut examini proprii Epiſcopi ſe ſubducat, in aliena diœceſi Beneficium adipiſcatur, tam ordinans, quam ordinatus incurrit pœnas a jure latas. Ita Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres reſpondit Eminentiſſimo Cardinali Aquaviva Archiepiſcopo

ſcopo Neapolitano, his verbis : „ Nec item hos ad „ effectum ordinationis beneficium adipiſcentes, debe- „ re ordinari ab Epiſcopo conferente Beneficium, or- „ dinatoſque in ſuſpenſionem inc diſſe, & Epiſcopum „ a collatione Ordinum per annum etiam ſuſpenſum „ eſſe. *Et ad conſulta Epiſcopi Cadurcenſis an.* 1662. „ Congregatio, *inquit*, Concilii ſæpius declaravit, „ tametſi quis poſſit ordinari ab Epiſcopo loci Bene- „ ficii, ſi tamen adeptus ſit Beneficium in fraudem, „ eſſe male promotum; ac ſi in ſuſceptis Ordinibus „ miniſtraverit irregularitatem contrahere. „ Idem docet Fagnanus in quintum librum Decretalium. Præſumptio autem fraudis eſt ex Zerola in praxi p. 1. verbo *Beneficia*; Soto de Juſtitia & Jure q. 3. quando Beneficium eſt tenuiſſimi reditus; veriſimileque eſt Beneficiarium nolle ſe mancipare obſequio Diœceſis, in qua ordinatur. Hinc Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1657. ad vitandas frequentes fraudes, cenſuit neminem ordinandum ſine conſenſu Epiſcopi originis.

Q. 6. *Quis eſt Epiſcopus domicilii?*

R. Is eſt, in cujus Diœceſi quis ſedem fixit animo ibi in perpetuum manendi. Aliud igitur requiritur domicilium ad Matrimonium alicubi contrahendum, & alia Sacramenta recipienda: aliud ad Ordines ſuſcipiendos. Ad Matrimonium quippe contrahendum ſatis eſt, ut quis bona fide, v. g. negotiorum cauſſa per annum commoratus ſit in Parochia, ut coram illius Parocho Matrimonium contrahere poſſit, licet poſtmodum diſceſſurus: ad Clericalem vero Tonſuram & Ordines ibi ſuſcipiendos ne decennium quidem ſufficit, niſi adſit animus perpetuo ibi permanendi. Et ratio eſt, quia per ordinationem quis Eccleſiæ illius loci addicitur, prohibentque Canones, ne Clericus abſque conſenſu Epiſcopi, a quo inauguratus eſt, in alteram Diœceſim tranſeat: ſic enim habetur can. 8. Conc. Arauſicani I. ann. 441. „ Si quis alibi conſi- „ ſtentem Clericum ordinandum putaverit, prius defi- „ niat ut cum ipſo habitet; ſic quoque ſine conſul- „ tatione Epiſcopi cum quo ante habitavit... eum „ ordi-

„ ordinare non præſumat „. Porro incertum eſt, ut plurimum, an adſit revera ejuſmodi intentio perpetuo manendi, cum ſit res prorſus occulta; nec credendum eſt affirmanti Clerico, quem ſola ordinationis neceſſitas trahit in alienam diœceſin, in qua nullum eſt ei Beneficium, nulla cognatio, nulli fundi, nullave poſſeſſio. Vidimus alias, qui propria cupiditate deluſi putabant ſe velle perpetuo commorari in diœceſi, in qua ſola ipſis via patebat ad Ordines, ſed cupiditate per ſuſceptos Ordines expleta, voluntas, quæ in intimo pectore ipſo latebat, brevi ſe prodiit, cauſſas redeundi in patriam prætenderunt; ſcilicet inopiam rerum neceſſariarum, qua premebantur in terra aliena; negotia, quæ illos revocabant, & alia hujuſmodi, ad quæ ante ordinationem attendere diſſimulaverunt. Quare Gallicani Antiſtites in Comitiis generalibus congregati an. 1657. merito inter ſe convenerunt unum dumtaxat Epiſcopum originis aſſignandum, a quo percipi poſſit ordinatio, cumque iſthæc eorum conſenſio vim legis non haberet, decreverunt monendos eſſe & exhortandos omnes Regni Epiſcopos, ne alios ordinarent, quam oriundos ex ſuis diœceſibus; quod & iſte religioſe obſervant, exceptis caſibus neceſſitatis, puta ſi difficilior ſit recurſus ad Epiſcopum originis, vel ſedes ejus vacet; in iis enim & ſimilibus caſibus vidimus Epiſcopos alioquin Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimos, Clericis ex alia diœceſi oriundis manus impoſuiſſe ratione Beneficii in ipſorum Eccleſia reſidentiam poſtulantis.

Q. 7. *Epiſcopus poteſtne ordinare familiarem ſuum ſibi non ſubditum?*

R. Poteſt, modo per triennium apud eum commoratus ſit, & Beneficium ipſi conferat. Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 9. de reformatione: „ Epiſcopus, *inquit*, familiarem ſuum non ſubditum „ ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude „ ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat. „ Fraus autem foret: ſi Epiſcopus animo ſubducendi non ſubditum diſciplinæ proprii Epiſcopi, eum in familiarem ad trien-

triennium aſciſceret, eique Beneficium hoc intuitu conferret, & uterque, ordinans ſcilicet & ordinatus, in pœnas, de quibus ſupra, incideret. Porro illud privilegium non extenditur ad Epiſcopos titulares, ex eodem Concilio ſeſſ. 14. cap. 2. de reform.

Q. 8. *Poteſtne Epiſcopus ſubditum ordinare in aliena diœceſi, non obtenta Epiſcopi loci licentia?*

R. Non poteſt; quia ordinatio Miniſtrorum Eccleſiæ eſt officium Pontificale; atqui ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. de reform. *Nulli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantum, ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.*

Q. 9. *Quis eſt proprius Regularium Epiſcopus, a quo debent Ordines recipere?*

R. Is, in cujus diœceſi commorantur. Ita decreverunt Concilium Carthaginenſe quintum, canon. 15. qui refertur diſt. 50. cap. *Si quis;* Arelatenſe tertium, Leo X. in Concilio Lateranenſi quinto ſeſſ. 11. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 8. de reform. ubi revocat quævis privilegia, & Clerus Gallicanus anno 1625.

Nec dicas Pium V. in ſua Bulla, *Et ſi Mendicantium*, indulſiſſe Mendicantibus, ut a quolibet Antiſtite Ordines recipere poſſint, licentia Ordinarii loci minime requiſita; nam Gregorius XV. ad ſedandos tumultus, qui ex ejuſmodi conceſſione orti fuerant, eam revocavit, & ad terminos juris communis, ac Tridentini Concilii reduxit ſua Conſtitutione, quæ incipit: *In tanta rerum.*

Cum autem ex Regularibus alii fixam ſedem habeant in Monaſterio, in quo profeſſi ſunt, ut Carthuſiani, nonnulli Benedictini, &c. alii ſedem mutare ſoleant ad nutum Superiorum; de utriſque ſic ſtatuit Concilium Burdigalenſe anno 1624. tit. *de Ordine* cap. 12. „ *Superioribus* Monaſteriorum, in quibus Religioſi fixam „ & firmam commorandi ſedem habent, prohibemus;

„ ne Literas dimiſſorias Religioſis ſuis, ut a quocumque „ ordinentur, concedant; ſed a ſuo Pontifice, aut ab „ alio de ejus licentia ordinandos eſſe dumtaxat decernimus. Eos vero, qui pro inſtituto ad varia domicilia „ certis temporum intervallis transferuntur, cum Litteris Provincialium ſuorum de voto Religionis emiſſo „ fidem facientibus, ab Ordinario loci in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus: ab aliis „ nunquam, niſi atteſtatione præhabita a Pontifice loci, ſeu Vicario Generali obtenta, qua cur apud ſe nequiverint ordinari, perhibeatur. „ Et hæc quidem ad mentem Clementis VIII. qui decimoquinto die Martii anni 1596. in generali Congregatione Cardinalium Conc. Tridentini, interpretum decrevit: „ Superiores Regulares „ poſſe ſuo ſubdito item Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, Litteras dimiſſorias concedere: ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, „ ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit; & ſi „ Diœceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus ordinationem, ad quemcumque alium Epiſcopum; dum „ tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares „ non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel „ abſuturus, vel nullas habiturus ordinationes eſſet. „ Verum cum a Superioribus Regularibus, Epiſcopo „ Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, „ Litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in iis utique hujuſmodi „ cauſſam abſentia Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendum eſſe, quod „ qui non fecerint, officii & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ & paſſivæ privationem „ ac alias arbitrio ejuſdem S. D. N. Papæ reſervatas „ pœnas incurrant. „

Q. 10. *Cujus eſt concedere Litteras dimiſſorias?*

R. 1. Proprii Epiſcopi, ex Tridentino ſeſſ. 23. c. 3. de reform. *Epiſcopi per ſemetipſos Ordines conferant. Quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quam jam probatos & examinatos ad alium Epiſco-*

ſcopum ordinandos dimittant. 2. Ejus Vicarii Generalis, modo ſpecialem & expreſſam facultatem acceperit, ex c. *Cum nullus*, tit. de temp. Ord. in 6. 3. Capituli Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante, nonniſi tamen elapſo anno ab obitu Epiſcopi, ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 10. de ref. ,, Non liceat, *inquit*, Capitulis Eccleſiarum, ,, ſede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi ,, *licentiam*, aut Litteras dimiſſorias, ſeu reverendas, ,, ut aliqui vocant, tam ex juris communis diſpoſi- ,, tione, quam etiam cujuſvis privilegii aut conſue- ,, tudinis vigore alicui, qui Beneficii Eccleſiaſtici re- ,, cepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fue- ,, rit, concedere; ſi ſecus fiat, Capitulum contrave- ,, niens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: & ſic ordi- ,, nati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, ,, nullo privilegio Clericali, præſertim in crimina- ,, libus, gaudeant: in majoribus vero, ab executio- ,, ne Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati ſint ,, ipſo jure ſuſpenſi.

Q. 11. *Quid obſervandum eſt in litteris dimiſſoriis?*

R. 1. Non debent concedi niſi iis, quos Epiſcopus in ſuo examine probaverit idoneos, ex c. 3. Concilii Trid. mox laudato, ex Concilio Mediolanenſi III. tit. *de iis, quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum*; & Narbonenſi anno 1609. c. 21. *In Litteris dimiſſorialibus non inſeratur clauſula illa, conſcientiam noſtram exonerantes, veſtram onerantes; cum nullus remitti debeat, qui ejus Ordinis, ad quem ſumendum remittitur, capax & idoneus fuerit judicatus.* 2. Plura Concilia, ut Mediolanenſe quartum, Narbonenſe citato c. 21. decernunt in Litteris dimiſſoriis non dandam facultatem ad omnes Ordines, ſed ad unum ſacrum duntaxat ſuſcipiendum intra annum, quo elapſo ejuſmodi Litteræ nullius ſint effectus; quia dimiſſus, poſt primum Ordinem ſuſceptum, probandus eſt ab Epiſcopo, an meruerit ſuperiorem; periculum quoque eſt, ne, ſi Litteræ *indeterminatæ* concedantur, forte longiori mora animum ac mores depravet.

Q. 12. Litteræ dimiſſoriæ extinguuntur ne morte concedentis?

 R. Mi-

R. Minime, ex capite *Si gratioſe*, tit. de *Reſcriptis* in 6. *quia*, inquit ſummus Pontifex, *ſedes ipſa non moritur*, *durabit* (gratia) *perpetuo*, *niſi a ſucceſſore fuerit revocata*.

Q. 13. *Epiſcopus proprius poteſtne cogi in foro exteriori, ut Ordines vel Tonſuram ei conferat, in quo omnia videntur laudabilia?*

Certum eſt, proprium Epiſcopum ſine peccato denegare non poſſe vel Laico Tonſuram, vel Clerico Ordines, qui omnibus dotibus tum corporis, tum animi, tum gratiæ præditus eſt, foretque Eccleſiæ utilis: quia abuteretur poteſtate, quam dedit illi Dominus in ædificationem; ſubditis malo exemplo eſſet, illiſque conquerendi & improperandi cauſſam daret: licet enim ordinatio ſit gratia, quæ nemini debetur, illius tamen dominus non eſt Epiſcopus, ſicut bonorum patrimonialium; ſed diſpenſator & œconomus; teneturque eam diſtribuere, non ex privato affectu, ſed ad nutum & voluntatem Domini ſui, ut ſit fidelis ſervus & prudens, quem ille conſtituit ſuper familiam ſuam. Quæſtio igitur eſſe poteſt dumtaxat, an Epiſcopus cogi poſſit in foro exteriori, ut Tonſuram vel Ordines conferat?

R. Canones hic inter ſe pugnare videntur.

Namque capite *Ex tenore*, tit. *de temp. ordin.* Alexander III. ſic reſpondet: *Verumtamen quia peccatum occultum eſt, ſi promoveri voluerit, eum non debet aliqua ratione prohibere*. C. vero *Ad aures*, eodem tit. Lucius III. Alexandri ſucceſſor, ita ſcribit ab Archiepiſcopum Turonenſem: „ Ad aures noſtras pervenit, quod Religioſi quidam ad ſuperiores deſiderant Ordines promoveri: ſed prælati eorum deſideriis contradicunt. Tuæ igitur quæſtioni taliter reſpondemus quod honeſtius & tutius eſt ſubjectos debitam Præpoſitis obedientiam impendendo in inferiori miniſterio deſervire, quam cum Præpoſitorum ſcandalo graduum appetere dignitatem. Nec eſt in hac parte ſubjectorum deſiderium confovendum. „ Canoniſtæ duo illa Juris capita conciliare nituntur hoc pacto, nempe, cap. *Ex tenore*, interpretantur de Clerico ſæculari habente Beneficium, cui Ordo ſit annexus, Ca-

put vero *Ad aures*, de Clerico Regulari, qui parere debet ſuo Præpoſito. Quidquid ſit de illa interpretatione, certum eſt ex Concilii Tridentini diſpoſitione Epiſcopum proprium cogi non poſſe, ut Ordines conferat iis etiam qui poſſident Beneficium, cui annexus eſt Ordo ſuperior; ſic enim loquitur ſeſſ. 14. cap. 1. de reform. „ Cum honeſtius ac tutius ſit ſubjecto debitam Præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quam cum Præpoſitorum „ ſcandalo graduum altiorem appetere dignitatem; ei, „ cui aſcenſus ae ſacros Ordines a ſuo Prælato ex „ quacunque cauſſa etiam ob occultum crimen quomodolibet, extrajudicialiter fuerit interdictus ... nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia „ ſuffragetur. *Et ſeſſ. 21. cap. 2. de reformat.* Patrimonium, *inquit*, vel penſionem obtinentes ordinari „ poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum. *Quæ expendens Barb. 2. p. de officio „ & poteſtate Epiſc. ſic habet:* quæ verba cum denotent „ boni viri arbitrium, hoc eſt voluntatem rationi ſubmiſſam ... ideo ſi Epiſcopus legitime non interponat „ arbitrium, Deum ſolummodo Judicem habebit; ac „ proinde non dabitur appellatio. *Et Fagnanus in caput* Ex tenore; Ex ſententia ſacræ Congregationis „ Concilii, *inquit*, eo Decreto corrigitur diſpoſitio „ textus noſtri in ea parte, in qua determinat criminoſum occultum eſſe tantummodo commonendum, ſed „ non prohibendum aſcendere ad ſuperiores Ordines: „ & diſpoſitio capitis (*ad aures*) quod de Regularibus loquitur, extenditur etiam ad Clericos ſæculares. „ Quod ſi Prælatus hac auctoritate forte abuteretur, & ſine cauſſa eum ordinare recuſaret, cujus Beneficio annexus eſt ſuperior ordo, ſubdit idem auctor; „ ſacra Congregatio, re ad Gregorium XIII. „ delata, edidit deciſionem, quæ poſtea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet, quotieſcumque Ordinarius recuſaverit quemquam ordinare, committendum „ eſſe Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo, ut ab „ eodem Ordinario prius requirat, cur recuſaverit;

 „ quo

„ quo cauſſam legitimam non allegante, liceat illi
„ eundem recuſatum ordinare.

CAPUT X.

De Subjecto Ordinationis.

TRia ex dictis conſtant circa ſubjectum Ordinationis: primum ex c. 4. §. 7. ſolum maſculinum ſexum eſſe capacem Ordinis: ſecundum ex Tractatu de Sacramentis in genere cap. 17. infantes & amentes ordinari non poſſe: tertium ex eodem cap. 17. adulti omnino inviti nullam eſſe ordinationem. Sed ſuperſunt nonnullæ difficultates expendendæ ſequentibus paragraphis.

§. I.

De ætate Ordinandorum.

Q. 1. *QUæ ætas requiritur ad ſuſcipiendos Ordines?*

R. Jure novo nulla determinata eſt ætas pro minoribus Ordinibus, de quibus Patres Tridentini hæc ſolummodo ſtatuunt ſeſſ. 23. c. 11. de ref. *Minores Ordines iis, qui ſaltem Latinam linguam intelligant ... conferantur*. De majoribus vero ſic pronuntiant c. 12. ejuſdem ſeſſionis: *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur ... Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcumque quod hoc excluſit*. Sufficit autem ex uſu recepto, ut anni in hocce Decreto præfixi ſint incepti.

Q. 2. *Qui ante præſcriptum tempus ordinati ſunt ſupervenienti ætate, poſſuntne legitime exercere functiones Ordinum prœmature ſuſceptorum?*

R. Non poſſunt, ſi mala fide fuerint ordinati; quia

ea

ex laudata Bulla Pii II. *Cum ex ſacrorum*, ipſo facto ſunt ſuſpenſi, & ſi, durante ſuſpenſione, aliquod miniſterium ſuorum Ordinum obeant, irregularitatem ſtatim ſubeunt.

Dixi, *mala fide;* qui enim bona fide exiſtimat ſe habere legitimam ætatem, abſque peccato Ordinem ſuſcipit, ac proinde ſuſpenſionis pœnam non incurrit. *Ita Sylvius* ad q. 29. Supplem. art. 2. ubi laudat pro hac ſententia Barboſam, Navarrum, Henriquez, Sanchez, &c. Quia tamen Beneficium in foro exteriori controverſum ex ejuſmodi defectu in diſcrimen veniret, operæ pretium eſt, ut ſic ordinatus ad ſummum Pontificem recurrat, quatenus ſuprema ſua auctoritate, quod peccatum eſt, corrigat.

§. II.

De Ordinationibus per ſaltum.

Q. P*Oteſtne ſuſcipi ſuperior Ordo prætermiſſo inferiore?*

R. Non poteſt licite, valide tamen poteſt, excepto Epiſcopatu.

Prima pars probatur ex Alexandro II. cap. *Solicitudo, diſt.* 52. ubi de Clerico, qui Subdiaconatus Ordine poſtpoſito, Diaconus & Presbyter fuerat ordinatus, ſic habet: *Mandamus ut ab Officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo Quatuor temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ſibi rite imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas.* Innocentius quoque III. cap. *Tuæ litteræ*, l. 5. tit. 29. de Clerico per ſaltem promoto, *Mandamus*, inquit, *quatenus condignam pænitentiam pro hujuſmodi negligentia injungas eidem, qua peracta, ipſum in Diaconum ordinare procures, & ſic de miſericordia miniſtrare permittas in Ordine Sacerdotii.* Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 14. de reformation. ſic habet: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſſa poſſit diſpenſare.*

Ex his colliges cum Soto, Navarro, Suarez, & aliis. 1.

eum, qui per ſaltum ordinatus eſt, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, ſaltem ab executione ſuperioris Ordinis per ſaltum ſuſcepti; alias diſpenſatione opus non haberet. Quod autem ſuſpenſio illa non extendatur ad inferiores Ordines legitime ſuſceptos, ſat clare innuit Alexander II. cit. cap. *Solicitudo*, ubi promotum per ſaltum vult ſolum prohiberi ab officio Ordinis male ſuſcepti. Et ita cenſent contra nonnullos Sylveſter, verbo, *Irregularitas*; Suarez de ſuſpenſionibus diſp. 31. ſect. 1. 2. ſic promotum non poſſe ſuſcipere Ordinem poſthabitum, niſi prius ſecum diſpenſetur. 3. Sic ordinatum irregularem fieri ſi miniſtret in Ordine per ſaltum ſuſcepto. 4. Epiſcopum ex legitima cauſa poſſe ſic ordinatum abſolvere a ſuſpenſione, & Ordinem prætermiſſum conferre, niſi in ſuperiori Ordine miniſtraverit, quia per uſurpatum ejuſmodi miniſterium in irregularitatem incurrit: irregularis autem ſuis Ordinibus non reſtituitur niſi per ſummum Pontificem. Jure tamen novo Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione, Epiſcopi abſolvere poſſunt ab irregularitate occulta.

Secunda pars probatur ex laudatis capitibus *Solicitudo*, *& Tuæ Litteræ*, ubi expreſſe habetur ſolum Ordinem prætermiſſum eſſe conferendum, nec iterandum male ſuſceptum; ſed poſt pœnitentiam peractam concedi poſſe, ut male promotus in eo miniſtret. Et ratio eſt, quia Sacerdotium eminenter continet Diaconatum, & hic Subdiaconatum; qui enim jus habet conficiendi Euchariſtiam, proculdubio poteſt præparare neceſſaria ad eam rite conficiendam.

Dixi, *Excepto Epiſcopatu*, quia Epiſcopatus præciſe ſumptus non includit poteſtatem conficiendi Euchariſtiam; ſed eam ita neceſſario ſupponit, ut juxta veteres Theologos character Epiſcopalis ſit ſolummodo extenſio characteris Sacerdotalis. Unde non poteſt quis conſecrari Epiſcopus, niſi ſit Presbyter, ut ſupra diximus.

§. III.

§. III.

De interſtitiis.

Q. 1. **L***Icetne plures Ordines eodem die ſuſcipere?*

R. Non licet abſque diſpenſatione. *Minores Ordines*, inquit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 11. de reform. *per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur*. Et nonnullis interjectis de Clericis inferioribus ſic pergit: „ hi vero nonniſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi „ gradus minorum Ordinum, ad ſacros Ordines pro- „ moveantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas „ judicio Epiſcopi aliud expoſcat. „ De Subdiaconis etiam ſic decernit c. 13. „ Promoti ad ſacrum Sub- „ diaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo „ non ſunt verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud „ Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur. Ac tandem de Diaconis cap. 14. „ Non modo, *inquit*, in Diaconatu ad minus annum integrum, „ niſi ob Eccleſiæ utilitatem ac neceſſitatem aliud „ Epiſcopo videretur, miniſtraverint: ſed ad populum „ docendum... idonei comprobentur, atque ita pie- „ tate ac caſtis moribus conſpicui, &c.

Q. 2. *Eſtne perantiquus ille interſtitiorum uſus?*

R. A tempore Apoſtolorum fuit ſemper & ubique ſervatus, exceptis quibuſdam caſibus extraordinariis.

Probatur. Sanctus Cyprianus epiſt. 33. Aurelio inſigni Confeſſore ſic ſcribit: *Merebatur talis Clericus ordinationis altiores gradus & incrementa majora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus; ſed interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat.* Similia habes epiſt. 34.

Siricius ſummus Pontifex epiſtola ad Hymerium, quæ refertur cap. *Quicunque*, diſt. 77. de adulto, ſic ſcribit, *dum initiatus fuerit expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat, & ſic ad Diaconatum (ſi per hæc tempora dignus judicatus fuerit) provehatur.* Innocentius I.

 epiſt.

epiſt. 4. ad Felicem: *Tempora*, inquit, *a majoribus conſtituta ſerventur, nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat, quia in minoribus officiis, ſi diu perduret, & vita eorum pariter & obſequia comprobentur, ut ad Sacerdotium poſtea emenſis ſtipendiorum meritis veniatur.*

Zozymus, Innocentii ſucceſſor, epiſt. 3. quæ refertur cap. „ in ſingulis, *diſt.* 77. In ſingulis gradibus, „ *inquit*, hæc tempora ſunt obſervanda, ſi ab infantia „ Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, ut inter „ Lectores & Exorciſtas quinquennio teneatur: exin- „ de Acolythus vel Subdiaconus quatuordecim annis „ fiat, & ſic ad benedictionem Diaconatus, ſi mere- „ tur, accedat: in quo Ordine quinque annis, ſi in- „ culpate ſe geſſerit, hærere debebit. „

Concilium Conſtantinopolitanum generale octavum nono ſæculo ſic ſtatuit can. 5. *Ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, Diaconi tres, Sacerdotii quatuor annos expleat*, priuſquam ſcilicet ad Epiſcopatum promoveatur. Ex quibus videas Patres Tridentinos, habita temporum ratione, multum remiſiſſe de veteri diſciplina. Unde Hallierus, multum remiſiſſe de veteri ſect. 6. cap. 2. art. 7. §. 12. „ Quid ad hæc, *inquit*, „ reſpondebunt illi, qui novas & antiquas Eccleſiæ le- „ ges contemnentes, nulla urgente Eccleſiarum neceſ- „ ſitate, immo Clericorum multitudine ultra Canones „ & antiquam conſuetudinem in Eccleſiam receptam, „ uno aut altero menſe omnes Eccleſiaſticos gradus „ feſtinanter decurrunt, nullo dato experimento, aut „ probitatis vitæ, aut doctrinæ, aut ſtudii Eccleſia- „ ſticæ diſciplinæ? Apage illos abortivos fœtus, in- „ tempeſtivos flores, qui ut cito oriuntur, ita occi- „ dunt, præmaturos fructus, quos vel levis pruina „ decoquit, vel frigus conficit, vel imber putrefa- „ cit. In quos Carnotenſis noſtræ Eccleſiæ Antiſtes „ Yvo epiſt. 58. textum iſtum ſapientis non impru- „ denter contorquet, „ hæreditas ad quam feſtinatur „ in principio, in noviſſimo benedictione carebit. *Proverb.* 20.

Dixi, *exceptis quibuſdam caſibus extraordinariis*; nam

namque inſignes viri doctrina & ſanctitate conſpicui, ut ſanctus Ambroſius, ſanctus Paulinus, ſanctus Auguſtinus, per vim rapti ad Sacerdotium, ſingulos Ordinum gradus nulla aut brevi interjecta mora decurrebant,

Q. 3. *Cur Eccleſia inſtituit interſtitia?*

R. Ut inferiores Clerici gradatim aſcendant ad eum ſcientiæ & virtutis cumulum, qui juxta ſacros Canones ineſſe debet in initiando Sacerdote. Quamvis enim ab Oſtiario aut Acolytho non exigantur eæ animi dotes, quas poſtulat Sacerdotium, vetat tamen Synodus Tridentina ſeſſ. 23. capit. 11. de reform. ne quiſquam minoribus Ordinibus initietur, niſi, ſpectato ingenii acumine, pietatis ſtudio & animi ad virtutem propenſione, ſpem injiciat fore ut ad eam eruditionis ac ſanctitatis gradum perveniat, qui in Sacerdote requiritur: *Cumque hinc*, inquit, *ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes majoribus Ordinibus dignum oſtendat*. Atqui ſpes plerumque fallit in juvenibus; aut enim deſidiæ ſe dedunt, & vis ingenii retunditur, vel ſaltem non excolitur, aut quod pejus eſt, alios mores induunt, & cum ætate creſcunt & vitia. Quamobrem ſanctiſſime ac providentiſſime Eccleſia temporum intervalla conſtituit. *Ut accuratius*, ait ſancta Synodus cit. cap. *quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, poſſit edoceri, ut in unoquoque munere, ad præſcriptum Epiſcopi, ſe exerceant, idque in ea, cui aſcripti erunt, Eccleſia*. Ergo in mente Concilii Tridentini, triplex eſt interſtitiorum finis & uſus.

Primo ut Clerici profundiſſimam rerum divinarum notitiam ita perfecte ſibi comparent, ut alios edocere queant, ad quod diuturno tempore & multis laboribus opus eſt. *Quam ſtulti & cæci ſumus*, inquit ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 20. *qui artem omnium difficillimam, Deum placandi, & homines regendi, nullo uſu, & quam minima meditatione credimus comparari! . . . . uno die ſanctos fingimus, eoſque ſapientes & eruditos eſſe jubemus, qui*

 nihil

nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quicquam contulerunt, quam velle. Et S. Gregorius Magnus lib. 7. epiſt. 110. ad Syagrium: „ Quid putamus, quod iſti „ ſubjectis præſtituti ſunt, qui antequam diſcipulatus limen attingant, tenere locum magiſterii non „ formidant? Qua de re neceſſe eſt, ut quamvis „ inculpati quiſque ſit meriti, ante tamen per diſtinctos Ordines Eccleſiaſticis exerceatur officiis, „ videat quod imitetur, diſcat quod doceat, informetur quod teneat, ut poſtea non debeat errare, „ qui eligitur viam erranti demonſtrare. Diu ergo „ religioſa meditatione poliatur ut placeat; & ſic „ lucerna poſita ſuper candelabrum luceat, ut adverſa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam non extinguat, ſed augeat. „ Optandum eſſet ut in Seminariis perlegeretur ac verſaretur, præſertim ante ordinationem, epiſtola 21. alias 148. ſancti Auguſtini, in qua tantus ille vir (qui multos jam libros ſumma eruditione conſcripſerat) cum ad Presbyteratum urgeretur a Valerio Epiſcopo, inſtructior fieret in ſequens uſque Paſcha, quo inſtructior fieret ad Sacerdotii munus capeſſendum: ſaltem ob initiandorum oculos ponerentur exempla tot Theologorum, qui, licet doctrina fulgeant, & Doctorali laura conſpicui, munus tamen Paſtorale ſubire detrectant, donec partes optimi Paſtoris conſuetudine cum hominibus ejuſmodi rerum uſum habentibus plenius didicerint; vel hinc quippe intelligerent initiandi quam ſtrenue ac diligenter inteſtitiorum tempus in comparanda Sacerdotali ſcientia inſumere debeant.

Secundo, interſtitia ſunt inſtituta, ut Clerici ſub ſeveriori diſciplina agentes, ſpem prius habitam futuræ aliquando eximiæ virtutis alant compleantque, quidquid ſupererat ſæcularis converſationis, prorſus deponant, mores ad Eccleſiaſticam regulam componant, atque euntes de virtute in virtutem, ſenſim Sacerdotio maturi evadant, hoc eſt, juxta librum Pontificalem, eluceat in eis totius forma juſtitiæ, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent.

Ter-

Tertio, & quidem maxime præſcripta ſunt interſtitia, ut Clerici non ſolum lectione & meditatione, ſed etiam uſu & experientia quantum ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ pondus, edoceri poſſint, verba ſunt Conc. Trident. ac in unoquoque munere ſub perito ac celebri Magiſtro ſe exerceant; quæ enim in uſu præſertim conſiſtunt, ſine uſu perfecte edifci nequeunt, nec ratio ſæcularis militiæ cuiquam explorata eſſe poteſt, niſi in aciem venerit, & militaria inſignia ſecutus fuerit; nec Medici nomen obtinebit, qui medendi methodum & praxim peritiorum non obſervaverit, nec Theologiæ ſchola abſolutum Sacerdotem inſtituet unquam, niſi diſcipulus iis, quæ auribus excipit, ſedulam manum admoveat, & aſſiduis exercitationibus, ad mentem Concilii, ſeveriori diſciplinæ Eccleſiaſticæ aſſueſcat. *Hæc ſi punctuatim ſervarentur*, inquit Concilium Burdigalenſe II. cap. 6. *Angelicæ profecto vitæ viros Eccleſiaſticos haberemus*. At, proh dolor! Quamplurimos nunc reperias, qui ſedulo Decreti Trident. litteræ ſerviunt, ſpiritum vero abjiciunt, cum tamen haud temere verba Apoſtoli 2. Cor. 3. hinc uſurpare liceat, *Littera occidit: ſpiritus autem vivificat*. An non ſpiritualiter occiditur, qui v. g. poſt ſusceptum *in* Seminario Subdiaconatum, interſtitiorum cauſa *ad* ſuos dimittitur, ubi aget abſque duce & magiſtro, qui tenerum pietatis ſenſum, quem in Seminario hauſerat, nutriat foveatque, ac ſtudia ejus promoveat? Ubi nulla exempla, quæ illum ad ſeveriorem diſciplinam incitent, multa, quæ ſolutiorem agendi rationem ſuadeant, quibus recens & imbecillis virtus reſiſtendo par non eſt: & ita priſtini mores nondum plane depoſiti ſenſim reviviſcunt, ſpiritus gratiæ extinguitur, interſtitiorum tempus non ſolum inutiliter effluit, ſed in malum Subdiaconi convertitur: minus quippe ad Diaconatum paratus poſtmodum recipietur in Seminario, quam cum *inde* emiſſus eſt; quin impatientius quam ante fere Seminarii diſciplinam corde jam arido, ne dicam, *indurato* propter gratiæ contemptum, qua Deus *tam benigne* eum ad pœnitentiam adduxerat ante

Sub-

Subdiaconatum. Hinc ipſa Seminaria, in quibus alumni poſt ſuſceptum quemlibet ſacrum Ordinem ſibimet dimittuntur ad tempus, carent fructu, ad quem magnis impenſis inſtituta ſunt a religioſiſſimis Antiſtitibus, qui propter quotidianam experientiam, quam modo retulimus, moneri debent, quam noxiæ ſint Eccleſiaſtico Ordini ejuſmodi intermiſſiones, quamque neceſſarium, ut initiandi ſub continua diſciplina detineantur, donec maturi Sacerdotio comprobentur.

Q. 4. *Quis diſpenſare poteſt circa interſtitia?*

R. 1. Proprius Epiſcopus ex legitima cauſſa contrahere poteſt interſtitiorum tempus. Patet tum ex cap. 11. 13. & 14. ſupra laudatis Conc. Trid. tum ex uſu & praxi Eccleſiæ. Legitima autem cauſſa non eſt privatum præciſe initiandi commodum, ſed publica Eccleſiæ neceſſitas aut utilitas, ut præſcribit Concil. Trid. cit. capitibus.

Dixi, *proprius Epiſcopus*, tum quia alienus non habet juriſdictionem in Clericum ad ſe dimiſſum: tum quia diſpenſatio non debet concedi ſine cauſſa: atqui Epiſcopus alienus dijudicare nequit, an adſit diſpenſandi cauſſa, quæ alia non eſt, ex Conc. Trid. quam neceſſitas aut utilitas Eccleſiæ, ex qua initiandus dimittitur. Quare niſi in Litteris dimiſſoriis fiat mentio ejuſmodi diſpenſationis, Epiſcopus ad ſe dimiſſum ordinare non debet, niſi elapſo temporis intervallo a Conc. præſcripto.

R. Solus Summus Pontifex concedere poteſt, ut duo majores Ordines una die conferantur; ita enim decernit Conc. Trid. cit. cap. 13. *Duo ſacri Ordines*, inquit, *non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, privilegiis, ac indultis quibuſvis conceſſis, non obſtantibus quibuſcumque*. Et cap. *Litteras*, tit. *de temp. ord.* Innocentius III. a collatione Ordinum ſuſpendit Epiſcopum, qui eodem die contulerat Diaconatum & Presbyteratum: *Præfatum*, inquit, *Bononienſem Epiſcopum, ut puniatur in quo deliquit, a collatione Ordinum, Diaconis ſcilicet & Presbyteris: alterum vero* (ſcilicet ordinatum) *ab executione officii Sacerdotalis tamdiu volumus manere ſuſpenſos, donec de illis aliter*

diſpo-

diſponamus: Ergo inquiunt Canoniſtæ & Theologi; ordinatus non eſt ſuſpenſus ab officio Ordinis, quem primo loco ſuſcepit, puta Diaconatus, quia ad illum legitime eſt promotus.

Dixi: *Duo majores Ordines*, quia proprius Epiſcopus in regionibus, in quibus conſuetudo obtinuit, ut minores Ordines uno die cum Subdiaconatu conferantur, ex legitima cauſſa poteſt eos omnes ſimul conferre; nulla etenim lege id ipſi eſt prohibitum, quin Conc. Trid. cit. cap. 13. excipiens ſacros Ordines, videtur relinquere arbitrio Epiſcopi omnes Minores ſimul cum Subdiaconatu conferre, modo Eccleſiæ utilitas aut neceſſitas id poſtulaverit.

Alexander III. cap. *De eo*, tit. *de temp. ord.* permittit Epiſcopo unum & eundem diebus Dominicis & aliis Feſtivis diebus ad minores Ordines promovere. Ex quibus verbis colligit Gloſſa omnes minores Ordines eadem die Dominica poſſe conferri, quia Summus Pontifex indeterminate dixit unum & eundem ad minores promoveri poſſe. Sed clarius Cœleſtinus III. cap. *Cum lator*, tit. *de quo qui furtive Ordines ſuſcipit*, approbat, quod Clericus juxta conſuetudinem patriæ, quatuor minores Ordines ſimul ſuſceperit; punitque illum dumtaxat, quod furtive & præter intentionem proprii Epiſcopi Subdiaonus fuerit Ordinatus: *Quia*, inquit, *idem Clericus in hoc facto multum exceſſit*, *mandamus quatenus eum in minoribus dumtaxat Ordinibus celebrare permittat*. Ergo ſi Clericus ille ex conſenſu proprii Epiſcopi Subdiaconatum cum quatuor Minoribus ſuſcepiſſet, illicita non fuiſſet ejus ordinatio, propter receptam regionis conſuetudinem, ut notat Sanctus Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 16. paragr. 16. nec Concilium Tridentinum huicce conſuetudini derogavit, ex Navarro man. cap. 28. num. 71. & Suarez de cenſuris ſect. 1. num. 41. & aliis. Sed plures Canoniſtæ, ut Oſtienſis, Panormitanus. Tonſuram cum quatuor Minoribus una die conferri poſſe negant, aliis contradicentibus. Forte hac ratione ducti ſunt illi, quod Tonſura diſpoſitio ſit ad Ordines, ac proinde neceſſe ſit

ſit aſſignare temporis intervallum, quo Clericus ad eos præparari poſſit.

Q. 5. *Licetne Epiſcopo ſubditum indignum & ineptum promovere propter urgentem Eccleſiæ neceſſitatem?*

R. Non licet, 1. quia ineptus & indignus non eſt utilis, nedum neceſſarius: 2. ordinatio inepti & indigni eſt actio per ſe mala & ſacrilega; atqui nulla neceſſitas excuſare poteſt actionem per ſe malam & ſacrilegam: Ergo.

Q. 6. *Quam pœnam incurrunt qui non ſervatis interſtitiis ordinantur abſque diſpenſatione?*

Bulla, *Sanctum &, ſalutare*, eos ſiquidem ſuſpenſos declaravit: ſed Clemens VIII. ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Summum Pontificem*, Bullam Sixti V. ad terminos Concilii Tridentini revocavit, quod nullam pœnam actu decernit, ſed Epiſcopo decernendam reliquit.

§. IV.

De titulo Clericali.

Q. 1. QUid eſt titulus Clericalis?

R. Titulus generatim hic ſumitur pro jure ad legitime poſſidendum, v. g. agrum, & ſpeciatim pro collatione ſeu proviſione Beneficii, quia virtute emptionis agri, & proviſionis Beneficii, emptor legitime poſſidet agrum, & Clericus Beneficium.

Q. 2. *Quotuplex eſt titulus Clericalis?*

R. Duplex, ſcilicet Eccleſiaſticus, & patrimonialis.

Titulus Eccleſiaſticus eſt jus fruendi bonis Eccleſiæ, quod nunc acquiritur per Beneficium pacifice poſſeſſum, vel per penſionem Clericalem: cum antiquitus ipſamet ordinatio eſſet titulus Eccleſiaſticus, quatenus nempe Clericum certæ Eccleſiæ ita mancipabat, ut ab ejus miniſterio abſque conſenſu Epiſcopi recedere non liceret; ideoque ordinatio jus ipſi tribuebat ex bonis ejuſdem Eccleſiæ accipiendi alimenta & cetera vitæ neceſſa-

ceſſaria, quemadmodum ratione profeſſionis ſolemnis, qua Regulares addicuntur certo Ordini, Profeſſi ſuſtentari debent e bonis Monaſterii: *Cum enim ſecundum Apoſtolum*, inquit Innocentius III. Cap. *Cum ſecundum*, tit. de Præbendis & Dignitatibus, *qui altari ſervit, vivere debeat de altari, & qui ad onus dirigitur, repelli non debeat a mercede, putet a ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur*, adde & Regulares de Bonis Monaſterii, quæ cum recenſeantur inter bona Eccleſiæ, profeſſo eorum reputatur titulus Eccleſiaſticus.

Titulus patrimonialis eſt jus percipiendi fructus ex aliis, quam Eccleſiæ bonis, quæ obveniunt vel gratuita donatione, vel hæreditaria ſucceſſione.

Q. 3. *Clerici fueruntne ſemper ordinati ad utrumque titulum?*

R. Minime; Indubitata enim teſtimonia evidenter demonſtrant omnes, paucis exceptis, uſque ad decimum ſæculum ordinatos fuiſſe in miniſterium unius Eccleſiæ, & eo titulo alimenta ab ipſa percepiſſe.

Concilium Arelatenſe primum anno 314. canone 2. ſic ſtatuit: *In quibuſcumque locis ordinati fuerint Miniſtri, in ipſis perſeverent*. Et can. 21. *Presbyteri & Diaconi, ſi relictis locis ſuis, in quibus ordinati ſunt, ad alium ſe locum transferre voluerint, deponantur.*

Concilium Chalcedonenſe an. 451. can. 6. „ Placuit „ nullum, *inquit*, abſolute ordinari, nec Presbyterum, „ nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui „ ſunt in Ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Ec„ cleſia civitatis, vel pagi, aut Monaſterio, is qui „ ordinatur, deſignetur. Eos autem, qui abſolute or„ dinantur, decrevit Sancta Synodus irritam ac invali„ dum habere hujuſmodi manuum impoſitionem, & „ nuſquam exercere ac operari poſſe, ad ejus qui or„ dinavit, injuriam.

Sanctus Leo, qui per legatos præfuit Concilio Chalcedonenſi, ſic ſcribit ep. 86. „ illam quoque partem „ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, qua olim a Sanctis Patri„ *bus*, & a nobis ſæpe decretum eſt, ut nec in „ *Presbyteratus* gradu, nec in Diaconatus Ordine, nec

„ in

„ in ſubſequenti Ordine Clericorum ab Eccleſia ad Eccle-
„ ſiam cuiquam tranſire ſit liberum, ut integrum revo-
„ ces, admonemus. Et unuſquiſque non ambitione il-
„ lectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione ho-
„ minum depravatus, ibi, ubi ordinatus eſt, perſeve-
„ ret: Ita ſi quis ſua quærens, non quæ Jeſu Chri-
„ ſti, ad plebem & Eccleſiam ſuam redire neglexe-
„ rit, & ab honoris privilegio, & a communionis
„ vinculo habeatur extraneus.

Sanctus Gregorius, qui Eccleſiam rexit ſexto labente ſæculo, & ſeptimo ineunte, lib. 3. epiſt. 42. injunxit Epiſcopo Syracuſano, ut Clericos Bacandæ Epiſcopi ad eum redire compelleret, quo Eccleſiis, quibus in ordinatione aſcripti fuerant, debitum officium impenderent.

Concilium Francofordienſe ann. 794. can. 27. de Clericis ſic habet, *nequaquam de Eccleſia ad aliam Eccleſiam tranſmigrent, neque recipiantur ſine conſcientia Epiſcopi & Literis commendatitiis, de cujus diæceſi fuerunt*. Et can. 28. prohibet vagas ordinationes, id eſt, in quibus Clerici nulli addicerentur Eccleſiæ.

Capitularia Caroli Magni lib. 5. cap. 108. decernunt, ut Presbyteri, qui in titulis conſecrantur, ſecundum Canones, antequam ordinentur, promiſſionem ſtabilitatis locis illius faciant.

Concilium Claramontanum anno 1095. *Omnis Clericus*, inquit, *ad eum titulum, ad quem primum eſt ordinatus, ſemper ordinetur*.

Dixi, *paucis exceptis*, qui enim quadam vi rapiebantur ad Sacerdotium, aliquando non conſentiebant niſi ſub hac conditione, quod Eccleſiæ Ordinatori non addicerentur, ut Sanctus Hieronymus & S. Paulinus.

Cœpit mutari Eccleſiæ diſciplina duodecimo ſæculo; nam Alexander III. in generali Concil. Lateranenſi tertio cap. 5. ſtatuit, ut Epiſcopus, ſi aliquem ſine titulo Eccleſiaſtico in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, vitæ neceſſaria ei ſubminiſtret, *niſi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de ſua, vel paterna hereditate ſubſidium vitæ poſſit habere*; Quod Alexander

der III. ex indulgentia conceſſerat, veluti lex evaſit decimotertio ſæculo, quo Gregorius IX. laudata ejus verba in corpus Juris retulit *c. Epiſcopus*, tit. *de Præbendis & dignitatibus*; & exinde promoti ſunt Clerici ad titulum vel Eccleſiaſticum, vel patrimonialem per trecentos circiter annos, ſcilicet uſque ad Concilium Tridentinum, in quo, ut refert Palavicinus lib. 17. cap. 9. acriter pugnatum eſt adverſus titulos patrimoniales: nonnullis contendentibus nullum ſat præſens fore remedium malis, quibus laborabat Clerus: nec ſaluti Fidelium unquam proviſum iri, niſi prohiberentur ordinationes vagæ, reſtituereturque prior Eccleſiæ diſciplina: Sacerdotes quippe, inquiebant illi, abſque proventus Eccleſiaſtici nexu, equis plane fræno ſolutis æquiparandi, bonis paternis contenti obedientiam, quam in ordinatione ſolemniter promiſerunt, prorſus abjiciunt, ſuo arbitratu vivunt in otio, a quo ne ipſe quidem Epiſcopus retrahere poterit, niſi forte ipſi offerat quæ ſunt in Eccleſia magis commoda & honorifica. Contra vero opponebant alii beneficia & proventus Eccleſiæ ſatis non eſſe ad alendos neceſſarios Eccleſiæ Miniſtros, maxime in quibuſdam regionibus, ut in Regno Neapolitano, in Dalmatia & Græcia, in quibus plura Beneficia, utpote tenuia, conjungenda eſſent ad unius Presbyteri ſuſtentationem, ac proinde tolerandos titulos patrimoniales, ne ager Domini ſylveſceret cultorum penuria.

Sancta Synodus, ut utrique graviſſimo incommodo obviaret, certam iniit viam, Spiritu Sancto aſſiſtente, nimirum ſtatuit. 1. ſeſſ. 21. cap. 2. de reformat. nullum promovendum, niſi quem Epiſcopus Eccleſiæ neceſſarium aut utilem judicaverit: *patrimonium*, inquit, *vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum*. Sed cum ſæpe contingat, ut qui judicio Epiſcopi forent Eccleſiæ admodum utiles, utpote eruditione conſpicui, ordinari expectent dumtaxat, ut gradum Magiſterii in aliqua Academia adipiſcantur, poſtea privatis ſtudiis & affectibus inutiliter ſe dedituri, tamquam acephali;

Con-

Concilium inſuper decernit ſeſſ. 23. cap. 16. de reform. neminem deinceps ordinandum, quin ſimul mancipatus miniſterio alicujus Eccleſiæ ; verba ejus ſunt notatu digna : „ *Cum*, inquit, *nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, ſancta Synodus veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate aut utilitate aſſumitur, non aſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum inconſulto Epiſcopo, deſeruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur*.„

Nec dicas hujuſmodi Decretum non eſſe in Galliis receptum: nam præterquamquod Concilium non novam inſtituit diſciplinam, ſed veterem reſtituit, antiquoſque Canones, quibus adhæret Eccleſia Gallicana, innovat, in confeſſo eſt apud omnes, & ubique receptum, pœnes Epiſcopum eſſe, ab Ordinibus arcere, aut ad eos admittere quos voluerit ; nec ab ejus judicio ad ſuperiorem Judicem provocari poſſe, ut ſupra dictum eſt.

Q. 4. *Quænam pœna lata eſt in eos, qui ordinantur abſque titulo?*

R. 1. Si ordinantur ex conſenſu proprii Epiſcopi, nec peccant, nec ullam merentur pœnam : ſed proprius Epiſcopus, ordinans, aut Litteras dimiſſorias concedens, tenetur ipſis providere, ex C. *Cum ſecundum Apoſtolum* : tit. *de Prabendis & Dignitatibus*, in „ quo Innocentius III. ſic decernit „ Licet prædeceſſo- „ res noſtri ordinationes eorum qui ſine certo titulo „ promoverentur, in injuriam ordinantium irritas eſſe „ voluerint & inanes: nos tamen benignius agere cu- „ pientes: tandiu per ordinatores, vel ſucceſſores eo- „ rum provideri volumus ordinatis, donec per eos „ Eccleſiaſtica Beneficia conſequantur.

Excipe tamen, niſi initiandus cum proprio Epiſcopo paciſcatur, & juramento, aut alio quovis modo ſe obliget ad nunquam petendam ab eo ſuſtentationem vel Beneficium, unde ali poſſit; nam C. *Si quis ordinaverit*, tit. de ſimonia, *ordinator a collatione, &*

præ-

præſentator ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus ab Ordine ſic ſuſcepto; donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, noverint ſe ſuſpenſos. Similia habentur C. *Per tuas*, eodem titulo.

R. 2. In quibuſdam diœceſibus decernitur pœnas ſuſpenſionis, aut etiam excommunicationis ipſo facto incurrendas ab iis, qui fictum titulum Beneficii vel patrimonii proferunt. Fictus autem eſt titulus, ſi initiandus celet litigioſum eſſe Beneficium, aut exigui & fere nullius redditus: ſi taceat oppignoratum eſſe patrimonium: ſi penſio ſit ab eo conceſſa, qui ſecundum leges dare non potuit: denique ſi initiandus cum donatore pactum inierit, quod nunquam talibus bonis fruetur, aut ab eo ſuſtentationem exigeret; in quo caſu Suarez diſp. 31. de cenſuris ſect. 1. num. 33. agnoſcit ſpeciem ſimoniæ pœna ſuſpenſionis damnatam cit. C. *Si quis*, & C. *Per tuas*. Sed controverſia eſt, utrum jure communi lata ſit ſuſpenſio in eum, qui fraudulenter, & cum deceptione Epiſcopi ſacros Ordines ſuſcipit certo titulo deſtitutus.

R. 3. Tutior, & ut videtur, communior ſententia, cui adhærent Navarrus conſilio ultimo, de temp. ordin. Suarez, de cenſuris diſp. 34. ſect. 1. Fagnanus in c. *Cum ſecundum*, tit. *de Præb.* Van-Eſpen p. 2. tit. 9. *de ſacr. ord.* n. 44. ejuſmodi fraudulentos eſſe ipſo facto ſuſpenſos: quia Concilium Tridentinum laudato c. 2. antiquorum Canonum pœnas innovat: *antiquorum Canonum pœnas*, inquit, *ſuper his innovando*. Quæro autem in quos pœnas illas innovat? an in ordinatores deceptos? minime; cum enim non ſint in culpa, nullam merentur pœnam; nec Judæx quiſquam eos adigeret ad alendos ejuſmodi deceptores. Ergo in propoſito caſu Concilium innovat pœnas in ipſos fraudulenter ordinatos; & ita Sacram Congregationem verba Concilii fuiſſe interpretatam refert Fagnanus citato loco num. 68. in fine, *Die 27. Novembris*, inquit, *anno 1610. Congregatio Concilii omnium ſententiis cenſuit hoc caſu pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non fuiſſe cor-*

correctam, & hodie a Tridentino Concilio eſſe innovatam; & propterea ejuſmodi Clericum, qui adhibito dolo confictoque titulo ordinatorem decepit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, cæteraſque Ordinum executiones. Esto verba illa vim legis in Gallia non habeant, ſaltem exprimunt ſententiam inſignium Theologorum & Canoniſtarum, a nobis non rejiciendam, cum, nedum pugnet adverſus libertatem Eccleſiæ Gallicanæ, ſed ad ejus conferat diſciplinam. Quid autem magis conſentaneum Regni diſciplinæ, quam arcere a Sacerdotibus turpem mendicitatem, qua quotidie ad neceſſarium victum Miſſas emendicant in majus dedecus Religionis Chriſtianæ, quam ſi oſtiatim ſtipem rogarent? atqui ſi nulla eſſet pœna in eos, qui confictis titulis promoventur, via pateret ad ſordidum, ac irreligioſum ejuſmodi quæſtum; cum enim fraudulentis illis a menſa Epiſcopali alimenta petere non liceret, & aliunde in ſuſceptis Ordinibus libere miniſtrare poſſent, obtenta abſolutione ſacramentali, cogerentur ex celebratione Miſſarum ceu quotidiano opificio vitæ neceſſaria quærere: Ergo dubium eſſe non debet, quin Concilium & Canones, quos innovat, in ejuſmodi fraudulentos durius animadvertant, nedum eos ab omni pœna abſolvant, cum ſint longe nocentiores: & quod vetitum ſit Epiſcopo ordinare, quem laudati Canones jubent alimenta ſuppeditare iis, quos ſcienter abſque titulo ordinaverit.

Q. 2. *Licetne Clerico titulum ſive Eccleſiaſticum, ſive patrimonialem, ad quem promotus eſt, poſtea reſignare aut alienare?*

R. Etſi nullam pœnam ipſo jure communi incurreret, graviter tamen peccaret, qui vitæ neceſſaria aliunde non habens titulo ſuo Clericali renuntiaret; ſic enim ſtatuit Concilium Tridentinum laudato cap. 2. de titulo Eccleſiaſtico, *id vero Beneficium reſignari non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere commode poſſit, & aliter reſignatio facta nulla ſit.* De patrimoniali vero, *atque illa*) bona) *deinceps, ſine licentia Epiſcopi alie-*

alienari, extingui, vel remitti nullatenus poſſit, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poſſint.

Q. *6. Tituli Clericalis reſignatio aut alienatio poteſtne fieri abſque licentia Epiſcopi, quando promotus aliunde habet unde commode vivat?*

R. Alii affirmant, alii magis ad mentem Concilii & veterum Canonum negant; quia qua ratione titulus ante ordinationem eſt approbandus ab Epiſcopo, eadem ratione qua obveniunt bona poſt ordinationem, ſunt ab eo exploranda & acceptanda loco prioris tituli. Hinc Concilium Tridentinum capite ſæpius laudato vetat, ne reſignatio Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatus eſt, admittatur, niſi fiat mentio, quod ad illius Beneficii titulum ſit promotus; & conſtiterit, quod aliunde commode vivere poſſit, ne ſcilicet occaſione reſignationis & alienationis ordinatus aliquando in opprobrium ſacri Ordinis mendicare cogatur. Atque hac de cauſſa Clerus Gallicanus anno 1625. decrevit neminem ex Regularibus profeſſis eſſe ordinandum, niſi Monaſterium, in quo profeſſus eſt, promiſerit ſe ei, quolibet criminis prætextu ejectus fuerit, alimenta ex ſuis redditibus ſuppeditaturum. Præiverat anno præcedenti Concilium Burdigalenſe cap. 6. de Subdiaconatu. Ab hac generali regula exceptos ſe aſſerunt Patres Societatis Jeſu, ex privilegio Gregorii XIII. quo libere ejicere poſſunt, qui poſt emiſſa apud ipſos vota ſimplicia ordinati ſunt ad titulum paupertatis, cum aliæ Congregationes, in quibus nulla fit ſolemnis profeſſio, alumnos ſuos abſque titulo Eccleſiaſtico vel patrimoniali ad ſacros Ordines promovere nequeant.

CAPUT XI.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

Q. 1. *Quotuplex eſt effectus Sacramenti Ordinis.*
R. Triplex, nempe gratia habitualis, ſeu ſanctificans, gratia ſacramentalis, & character.

Quod autem gratia ſanctificans conferatur per Sacramentum Ordinis, probatur tum generatim ex dictis de efficacia Sacramentorum novæ legis, Tractatu de Sacramentis in genere cap. 4. ubi demonſtravimus gratiam ſanctificantem eſſe communem effectum omnium Sacramentorum a Chriſto inſtitutorum: tum ſpeciatim ex capite quarto hujus Tractatus, in quo ex Scriptura & Traditione evincimus adverſus Novatores: Ordinationem eſſe Sacramentum novæ legis proprie dictum.

Confirmatur ratione, qua utitur ſanctus Thomas in Supplem. q. 35. art. 1. „ Dei perfecta ſunt opera, „ *inquit*, ut dicitur Deut. 32. & ideo cuicunque da„ tur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per „ quæ executio illius potentia poſſit congrue fieri .... „ ſicut autem gratia gratum faciens eſt neceſſaria ad „ hoc, quod homo digne Sacramenta recipiat; ita etiam „ ad hoc quod homo digne Sacramenta diſpenſet. Et „ ideo ſicut in Baptiſmo (per quem homo fit ſuſce„ ptivus aliorum Sacramentorum) datur gratia gratum „ faciens: ita in Sacramento Ordinis, per quod homo „ ordinatur ad Sacramentorum diſpenſationem. „

Dices: Sacramentum Ordinis ex ſæpe dictis ordinatur ad aliorum commodum & ſalutem: *Omnis Pontifex*, inquit Apoſtolus Hebr. 5. *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum:* gratia autem ſanctificans eſt in proprium commodum & perfectionem accipientis: Ergo gratia ſanctificans non eſt proprius effectus Sacramenti Ordinis, ſed gratia gratis data, quæ per ſe & directe eſt ad aliorum utilitatem juxta illud 1. Cor. 11. *unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.*

Di-

Diſtinguo antecedens; ordinatur ad aliorum ſalutem religioſo ac debito modo promovendam. Concedo: ad aliorum ſalutem indecenter & utcumque promovendam, illorum inſtar, quibus dicentibus Matth. 7. *in nomine tuo prophetavimus: dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus*: reſpondetur, *nunquam novi vos, diſcedite a me*, &c. Nego antecedens: Scriptum quippe eſt Lev. 21. v. 6. de Sacerdotibus, „ incenſum Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo „ Sancti erunt. *Unde S. Thoma* 3. p. q. 64. art. 6. „ non eſt dubium, *inquit*, quin mali exhibentes ſe „ Miniſtros Dei & Eccleſiæ in diſpenſatione Sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet „ ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum eſt ex parte ipſius peccatoris ... „ *conſequens* eſt, quod tale peccatum ex genere ſuo ſit „ mortale.„ Ergo neceſſe eſt, ut Sacramentum, præter characterem ſeu poteſtatem Ordinis, conferat initiatis gratiam, & virtutes ei annexas, puta caritatem, religionem, quibus incitentur ac roborentur ad ſacra ſua munia pie & alacriter obeunda, ne officia divina perſolvant, quemadmodum artifices & mercenarii opera injuncta exequuntur, de iiſque dicatur, *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me: ſine cauſſa... colunt me.*

Inſtabis: Cum Ordo ſit Sacramentum vivorum, præſupponit in initiando gratiam ſanctificantem prius in Baptiſmo collatam, vel in Pœnitentiæ Sacramento reparatam: Ergo eam non confert.

Reſpondet Sanctus Thomas citato articulo ad tertium, negando conſequentiam; quia „ ad idoneam „ executionem Ordinum, *inquit*, non ſufficit bonitas „ qualiſcumque, ſed requiritur BONITAS EXCELLENS, ut ſicut illi, qui Ordinem ſuſcipiunt, ſuper plebem conſtituuntur gradu Ordinis, ita & ſuperiores ſint gradu ſanctitatis. *Alioquin, ait S. Bernardus ep.* 17. *ad Ardutionem*, ſi altiorem quam „ meliorem eſſe delectat, non præmium, ſed præcipitium exſpectamus.

Ergo per Sacramentum Ordinis non quivis gratiæ gra-

gradus, ſed excellens & eximius, quin ipſius gratiæ plenitudo confertur, ut aſſerit Innocentius I. epiſt. 18. ubi de Hæreticis ſic ſcribit, *nec dare ejus* (Spiritus ſancti,) *plenitudinem poſſunt*, QUÆ MAXIME IN ORDINATIONIBUS OPERATUR. Et ſanctus Leo epiſt. 18. *intelligamus*, inquit, *quanta & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum*.

Mira ſane Sacramenti Ordinis efficacia, quæ non e malo bonus, ſed e bono melior redditur; nec ſolum melior, ſed totus in alium hominem interius mutatur. „ Samuel, *inquit S. Gregorius, vel quivis auctor* „ *in caput decimum libri I. Regum*, Saul in principem unxit, Deus autem ei cor aliud immutavit; „ quia ſacrorum Ordinum ſacramenta ab Eccleſiæ doctoribus foris accipimus, ſed Sacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur. Virtus „ vero Sacramenti gratia eſt Spiritus ſeptiformis, „ quam certe gratiam qui accipiunt, quaſi alio accepto corde immutantur; quia quos gratia ſua ſanctus „ Spiritus roborat, eſſe eos facit protinus quod non „ erant. *S. Gregorius Nyſſenus ſimilia jam protulerat in* „ *Orat. in Bapt. Chriſti*, eadem verbi vis etiam Sacerdotem auguſtum & honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi ſegregatum: cum „ enim heri ac tempore ſuperiori unus e multitudine „ ac plebe eſſet, repente redditur Præceptor, Præſes, „ Doctor pietatis, myſteriorum latentium Præſul, & „ licet nihil corpore vel forma mutatus, ſed quoad ſpeciem externam attinet, ille ſit, qui erat, inviſibili „ quadam vi ac gratia animam in melius trasformatam gerit. „

Ergo quamvis gratia ſanctificans ſit effectus communis omnium Sacramentorum novæ legis, plenitudo tamen gratiæ ſanctificantis eſt effectus proprius Sacramenti Ordinis.

Dices: Illa gratiæ plenitudo datur in Sacramento Confirmationis, ut alibi dictum eſt; Ergo non eſt proprius effectus Ordinis.

Ne-

Nego antecedens; diverſa quippe gratiæ plenitudo confertur in Confirmatione & Ordinatione, pro diverſitate finis & officiorum, ad quæ ordinantur illa Sacramenta; ſicut enim alia eſt plenitudo rivuli, alia fluminis ſecundum alvei anguſtiam vel latitudinem; ita alia eſt perfectio Laici, qui in Sacramento Confirmationis ſpirituali Chriſti militiæ adſcribitur; alia Clerici qui in Ordinatione dux in ſacra illa militia conſecratur; adeo ut idem, qui plenus & cumulatur eſt gratiarum donis ad privatam vitam recte ac perfecte inſtituendam, vacuus ſit virtutibus ad munia Sacerdotalia rite obeunda neceſſarii.

Inſtabis: Apoſtoli prius ordinati ſunt Sacerdotes, quam acceperint gratiæ plenitudinem; in ultima enim cœna inſtituti ſunt Sacerdotes, die vero Pentecoſtes repleti ſunt omnes Spiritu ſancto; perceperuntque juxta S. Thomam, effectum Confirmationis ſine ipſo Sacramento; Ergo plenitudo Spiritus ſancti non confertur per Sacramentum Ordinis.

Nego conſeq. Chriſtus enim poteſtate, quam excellentiæ vocant, abſque uſu & applicatione Sacramenti Apoſtolos charactere Sacerdotali inſignivit; ſed etſi gratia ſanctificante eſſent ornati, quia tamen parcior erat, monuit eos ne Sacerdotio fungerentur, donec excellens Spiritus ſancti donum toties promiſſum accepiſſent: *ſedete in civitate*, inquit Luc. 24. v. 49. *quoad uſque induamini virtute ex alto*, qua ſcil. recte uterentur poteſtate ſibi jam collata. Et ita Apoſtoli ſine Sacramento rem Sacramenti integram ſucceſſive acceperunt, ceteri deinceps per Sacramentum, unuſquiſque pro ſuo gradu & officio.

Q. 2. *Illa gratiæ plenitudo conferturne ſemper in ordinatione?*

R. Confertur dumtaxat iis, qui a Deo vocantur ad Sacerdotale munus, & ad illud ſunt bene affecti, ac debite præparati, quia Sacramenta novæ legis, etſi per ſe efficacia, pro diſpoſitione tamen ſuſcipientium plus vel minus gratiæ conferunt: *Deum theſauro ſuo providet*, inquit Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 6. *nec ſinit obrepere indignos*. Rem egregie illuſtrat ſan-

ctus Gregorius lib. 4. in caput decimum libri primi Regum, comparatione ducta ab unctione Saulis a Deo electi in Regem Iſrael: „ Quid eſt, *inquit*, quod lenticula olei (*parvo ſcilicet vaſe*) Saul ungitur, niſi „ quia in fine reprobatur? Velut enim lenticula olei „ parum habuit, qui ſpiritalem gratiam projiciendus „ accepit. Quod in Rectoribus quoque Sanctæ Eccle- „ ſiæ convenienter accipitur, plerumque enim culmen „ prælationis accipiunt, qui in caritate Dei & proxi- „ mi perfecti non ſunt; quemdam namque affectum „ caritatis habent, (nota) ſed plenitudinem non ha- „ bent. Illa ergo rudis & imperfecta affectio, quid „ eſt niſi lenticula olei? Nam dum ungit caput, & „ non replet, tota quidem effunditur, ſed parum ex- „ hibet.

Pro unctione vero Davidis, quem Deus invenerat ſecundum cor ſuum, præcipitur Prophetæ lib. 1. Reg. cap. 16. ut impleat oleo non lenticulam, ſed cornu ſuum. Quod expendens idem Sanctus Doctor lib. 6. ſic habet: *Quando ergo electi promoventur, pleno cornu unguntur, quia ad altitudinem Ordinis proficiunt virtute perfectionis.*

Videant ergo initiandi, quid ex promotione ſua ſperare debeant, ſi ad eam vocati, ſcientia & virtutibus ornati accedant; quid vero timere, ſi non vocati, & rudes ſcientia ac pietate obrepant. „ Quaſi „ Deus neceſſe habeat, *inquit Tertullianus cit. cap. 6.* „ *de pœnitentia*; præſtare etiam indignis quod ſpopon- „ dit... Quis enim permittit permanſurum id, quod „ tribuerit invitus? Non enim multi poſtea excidunt? „ non a multis donum illud aufertur?

Q. 3. *Quid eſt gratia ſacramentalis, alter ordinationis effectus?*

R. Eſt jus fundatum in gratia ſanctificante per Sacramentum Ordinis collata, ad accipienda a Deo auxilia ſupernaturalia, ſeu gratias actuales, quæ in illuſtrationibus mentis & piis motionibus voluntatis conſiſtunt: quibus initiatus illuſtratur, & accenditur ad ea, quæ ſunt muneris Sacerdotalis Sancte ac utiliter peragenda; quia cum Deus hominem ad aliquam di-

gnitatem aſſumit, illi conſequenter (niſi indignum ſe præbeat) ea largitur, ſine quibus miniſterium ſuum implere non poſſet. *Qui mihi honoris eſt auctor*, inquiebat quondam Sanctus Leo ſerm. 1. in die ſuæ aſſumptionis, *ipſe mihi fiet adminiſtrationis adjutor: & ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.*

Stupendi hujuſce gratiæ ſacramentalis effectus cernebantur in primis Eccleſiæ Miniſtris. Hi quippe, cum eſſent illiterati & expertes linguarum, quæ erant propriæ regionum, ad quas mittendi erant, per impoſitionem manuum ſimul cum gratia ſanctificante accipiebant Scripturarum ſcientiam ac intelligentiam, linguarum dona, & alias gratias gratis datas, prout unicuique opus erat, ut Infideles ad Dei notitiam & cultum adducerent. Hinc S. Hieronymus epiſt. 85. Sanctus Theodoretus, ſanctus Thomas, & alii Interpretes in caput quartum primæ ad Timoth. nomine gratiæ, quam Apoſtolus v. 14. monet non negligendam a Timotheo, intelligunt non ſolum gratiam ſanctificantem, ſed & dona prophetiæ, ſcientiæ & alia chariſmata collata per impoſitionem manuum, utpote tunc neceſſaria ad gentes convertendas & regendas. Enimvero ſi in Religionis Chriſtianæ exordiis ſcientia Scripturarum, notitia diverſarum gentium, linguæ, & concionandi facultas comparandæ fuiſſent juxta naturalem diſcendi ordinem, Apoſtoli iis, quos fide imbuerant, idoneos Miniſtros in Eccleſiis a ſe fundatis nunquam præficere potuiſſent. Deus igitur, qui non deeſt in neceſſariis, in impoſitione manuum præter gratiam ſanctificantem non ſine grandi miraculo tribuebat ſermonem ſapientiæ & ſcientiæ, genera linguarum, interpretationem ſermonum &c. *Gratias ago Deo meo*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 14. v. 18. *quod omnium veſtrum lingua loquar.*

Sed ubi crevit Fidelium numerus, nec defuerunt in *Eccleſiis* Miniſtri, qui ex Laicis poſſent ſeligere, quos *ſucceſſu* temporis ad ſacrum miniſterium inſtituerent; deſierunt ordinationis miracula, utpote

jam minime neceſſaria: *ne* inquit S. Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 25. *animus ſuper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Quamquam Deus in ordinatione non deſinit conferre poteſtates, quæ, ut miraculorum difficultatem & magnitudinem excedunt, ita ſuſcipientibus & videntibus pium horrorem incutere poſſunt: *quid* enim *eſt facilius dicere*, inquiebat Chriſtus Matth. 9. *dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge, & ambula?* Quid difficilius facere ut ea, quæ non erant, eſſent, vel ea quæ ſunt, in aliud convertantur, panis ſcil. in Corpus Chriſti, & vinum in ejus ſanguinem? ſola frequentia & conſuetudo efficit ut majora & auguſtiora iſthæc dona proprie non dicantur miracula.

Igitur ſtudio nunc, labore, induſtria, & exercitationibus opus eſt ad intelligendam linguam Eccleſiæ, & comparandam Scripturarum & aliorum rerum notitiam, qua quis potens ſit docere, *& exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*, Tit. 1. v. 9. alioquin tentaret Deum, miraculumque ab eo expectaret, quod nefas eſt, ſi per impoſitionem manuum ſperaret conſecuturum ſe ſcientiam, & alias animi dotes Sacerdoti neceſſarias, quas labore & exercitatione acquirere potuit. Quare ante ordinationem exploranda eſt candidatorum peritia, & ſi inveniantur minus habentes, ab Ordinibus ſunt arcendi.

Ceterum, quamvis jam deſierint priora illa ſigna, utpote minime neceſſaria, dicente Apoſtolo 1. Cor. 14. *linguæ in ſignum ſunt non fidelibus ſed infidelibus*; manus tamen impoſitio quid ſimile intus operatur in initiato, ſi, ut par eſt, diſpoſitus acceſſerit; virtute enim Sacramenti accenditur ejus deſiderium implendi ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, converſionem ſcilicet & ſalutem peccatorum, pro qua ſpretis omnibus incommodis non ſolum ſua, ſed & ſeipſum, ubi opus fuerit, libenter impendit; ſacram Scripturam, quam jam noverat ſecundum litteram, melius ſecundum ſpiritum intelligit, niſi ſit Miniſter mortis; eam interpretatur prout congruit audientibus, gratia in labiis

ejus

ejus diffunditur, ut induratos flectat, mœſtos conſoletur, ſocordes excitet. Quod ſi ſupernaturalia ejuſmodi opera miracula non dicimus, utpote frequentiora, eo tamen præſtantiora ſunt prioribus ſignis quæ deſſerunt, quo anima præſtat corpori: „ Nunc, *inquit* „ *ſanctus Auguſtinus ſermon. 88. alias 18. de verbis* „ *Domini;* majores ſanitates operatur (*Dominus*) pro„ pter quas non eſt dedignatus tunc exhibere illas mi„ nores. Sicut enim animus melior eſt corpore, ſic „ & melior ſalus animi, quam ſalus corporis. Mo„ do caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, „ & cor cæcum aperit oculos ſermoni Domini. Mo„ do non reſurgit mortale cadaver, reſurgit anima, „ quæ mortua jacebat in vivo cadavere. Modo aures „ corporis ſurdæ non aperiuntur; ſed quammulti ha„ bent aures clauſas cordis, quæ tamen verbo Dei „ penetrante pateſcunt, ut credant, qui non crede„ bant, & bene vivant, qui male vivebant, & obe„ diant, qui non obediebant... Cur ergo non mi„ raris credentem, innocentem, Deo ſervientem, niſi „ quia conſpicis videntem, quem noveras cæcum: „ conſpicis viventem, quem noveras mortuum, con„ ſpicis audientem, quem noveras ſurdum?

Quod autem eximia ejuſmodi dona ſint proprii effectus Sacramenti Ordinis,

Probatur ex fine hujuſce Sacramenti: Sacramenta quippe novæ legis operantur ea, ad quæ inſtituta ſunt: Extrema unctio v. g. auxilia impertitur ad mortis inſultus ſuperandos, tentationeſque dæmonis in articulo mortis vincendas; Matrimonium ad incentiva libidinis extinguenda; conſortis turbulentos mores fovendos; liberos pie ſancteque inſtituendos, quia in hunc finem Chriſtus Eccleſiam ſponſam ſuam duobus illis Sacramentis dotavit. Ergo cum ſacra Ordinatio ſit ad conſtituendos duces populi Chriſtiani, qui illum doceant, dirigant in via ſalutis, legem interpretentur, & adverſus rebelles vindicent; ſacras functiones digne & ad exemplum adminiſtret; dubium non eſt, quin initiatis rite præparatis Spiritum tribuat, quo idonei ſint ad implenda miniſteria ipſis etiam

Angelis formidanda, ut loquitur Synodus Tridentina.

Quando Deus elegit ſeptuaginta viros in auxilium Moyſis, Num. 11. Spiritum, quo roboratus erat Propheta, in eos deflexit: *Cumque requievisſet in eis Spiritus*, inquit Textus ſacer, v. 25. *prophetaverunt, nec ultra ceſſaverunt:* iis vero denegaret Spiritum Chriſti, quos participes facit ejus Sacerdotii, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt? Abſit, ait enim Apoſtolus 2. Cor. 3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu*. Confidat ergo ſacris Ordinibus legitime initiatus Deum ſibi in omnibus ſtatus ſui officiis non defuturum, ſi ipſe iis non defuerit, quia, ut ſupra docebat S. Leo: *Ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit Dignitatem*.

Confirmatur ex Concilio Moguntino anno 1549. definiente c. 25. *Rite ordinatis gratiam divinitus conferri, qua ad Eccleſiaſtica munera rite* & UTILITER *exercenda apti & idonei efficiantur... hancque gratiam eſſe Ordinis & muneris, non hominum & perſonarum*, ſcilicet propter ſplendida earum natalitia, vel naturalem ingenii vim, ac dicendi facundiam. Longe ante præiverat Concilium Quiniſextum canon. 6. in quo ſic habet, *Non oportet Laicum publice diſputare, vel docere . . . ſed Ordini a Domino tradito cedere, aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & divina ab eis edoceri*. Eſto non initiati aliquando nec ingenio cuiquam cedant, nec doctrinæ politioris vacui ſint, nec labori parcant, quia tamen ipſis non mandavit Deus eloquia ſua, gratia diffuſa non eſt in labiis eorum; nec immerito iis aptaverit illud 1. Matth. 5. v. 62. *Non erant de ſemine illorum virorum, per quos ſalus facta eſt Iſrael*.

Q. 4. *Gratiæ ejuſmodi gratis datæ, quæ ad gratiam ſacramentalem pertinere dicuntur, adſuntne ſemper initiatis?*

R. Vi Sacramenti, 1. non dantur iis, qui in ordinatione ſua obicem gratiæ ſanctificanti poſuerunt, vel

ab ea poſtmodum exciderunt, quia, ut ſupra dictum eſt, gratia Sacramentalis in gratia ſanctificante fundatur, ſublato autem fundamento ædificium corruat neceſſe eſt. 2. Nec iis debetur, qui, Deo non vocante, ad Ordines obrepunt, „ Quaſi vero, *inquit Tertullianus lib. de pœnit. c.* 6. Deus neceſſe habeat „ præſtare etiam indignis, quod ſpopondit: qui enim „ permittit permanſurum id, quod tribuerit invitus? „ Non enim multi poſtea excidunt? Non a multis „ donum illud aufertur? „ Viderint ergo Clerici, quanta ſolicitudine exploranda ſit Dei vocatio; quanto animæ ſuæ periculo imparati ad Ordines accederent; niſi enim Deus ſit honoris auctor, nec erit adminiſtrationis adjutor, ſuccumbetque infirmus ſub onere dignitatis, niſi divina gratia tribuat incrementa virtutis. 3. Actualibus ejuſmodi donis privantur etiam qui, licet caveant a peccato mortali quo ſolo repellitur gratia ſanctificans, multas peccatorum venialium ſordes congerunt ac negliguntur; nam ex S. Chryſoſtomo hom. 34. in epiſt. ad Hebr. *Quomodo ventus incidens in velum laxum & molle, nihil egerit, ita etiam Spiritus Sanctus in animam mollem & diſſolutam.* Et ratio eſt, quia gratiæ actuales, & peccata venialia, niſi diſpliceant, ſibi invicem adverſantur; gratiæ quippe actuales ex ſæpius dictis ſunt divinæ illuſtrationes & motiones, quibus mens a terrenis erigitur, & ad cæleſtia accenditur, ut in Sacerdote refrænetur cupiditas, ferveat caritas Dei & proximi, nec quidquam quæratur in ſacro miniſterio, niſi quæ ſunt Jeſu Chriſti. En gratia ſacramentalis, proprius Ordinis effectus: contra vero peccata venialia ſunt ipſamet converſio ad creaturam, rebus terrenis formalis adhæſio, quæ fervorem caritatis extinguit, & cupiditatem inflammat. Quam autem iſta ſibi oppoſita, nemo non videt. Unde Apoſtolus 2. ad Tim. 1. *Admoneo te*, inquit, *ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*, hoc eſt juxta vim Græci textus, ut oratione & ſeveriori exercitatione, quaſi flatu ſuſcites gratiam ſanctificantem in Ordina-

ſione ſibi deſuper collatam, ne terrenis affectibus obvoluta, tanquam ignis ſub cineribus reconditus ac ſopitus, nec te, nec alios calefaciat.

Dixi, *ut Sacramenti*, quia Deus nonnunquam utitur malis Miniſtris in commendationem ſacri miniſterii, & in ſalutem electorum. Caiphas, cum eſſet Pontifex, prophetavit Joan. 21. *Omnia ſacramenta*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 2. contra Parmen. cap. 10. *cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos indigne ſumentibus*. Idem dicito de Miniſtris verbi divini, qui licet tanquam cerea fax accenſa ſibi detrimentum præſtent, ut loquitur Nicolaus I. aliis tamen in tenebris lumen adminiſtrans, ut omnes Chriſtiani ſemper venerentur Cathedram Chriſti, etiamquando ſuperbi, vani & cupidi in ea ſedent, quemadmodum ipſe Chriſtus præcepit honorandam cathedram Moyſis, ex qua ſcribæ & Phariſæi vera docebant, quæ ipſi non faciebant. Matthæi 18. Fateri tamen vel ipſa experientia compellit fluenta gratiarum ex ſacra Ordinatione copioſius derivari in Sacerdotes, qui digne vocatione ſua ambulant, puriſque affectibus oracula Spiritus ſancti explanant; quam in eos, qui ſe, id eſt, plauſum, lucra, & commoda aucupantur; illos enim videmus verbum Dei veluti ex plenitudine eructante florere filiorum ſpiritualium copia & fructus; in iſtos vero cadere illud Prophetæ Oſeæ 9. verſic. 15. *Da eis vulvam ſine liberis, & ubera arentia*, ut nec filios in ſpiritu gignere, nec ſi quos genuerint, alere & promovere queant; *neque enim æſtimare debemus*, inquit ſanctus Hieronymus in hunc locum, *quod Propheta vulvam ſterilem, & ubera arentia corporaliter deprecatus ſit*.

Q. 5. *Quid eſt character, totius Ordinis effectus?*

R. Eſt ſignum Chriſti in anima indelebiliter impreſſum, quo initiatus diſtinguitur a non initiatis; efficiturque idoneus ad functiones Eccleſiaſticas obeundas. Singulas definitionis voces & cetera quæ ad characterem pertinent, expoſuimus Tractatu de Sacramentis in genere, cap. 19. & graviſſima momenta,

ta, quibus ſuaderi videtur ordinationes fuiſſe in Eccleſia iteratas, ſolvimus cap. 14. ejuſdem Tractatus, in reſponſionibus ad objectiones ex Traditione petitas. Quapropter iſtis elucidandis hic non immorabimur.

PARS SECUNDA.

De Hierarchia Eccleſiaſtica.

CAPUT PRIMUM.

De nomine Hierarchiæ.

Q. 1. *Quid ſignificat Hierarchiæ nomen?*

R. Sacrum principatum; id enim ſonant vocabula Græca, ἀρχὴ, Latine, *ſacer*, & ἱερὸς principatus, ex quibus Hierarchiæ nomen eſt compoſitum.

Principatus autem eſt terminus relativus, ſignificans ordinem ad ſubditos; nemo quippe ſui Princeps eſt aut Dominus, ſed aliorum; *in nomine principatus*, inquit S. Thomas 1. p. q. 108. art. 1. *duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps & multitudo ordinata ſub Principe.*

In Hierarchia ergo alii ſunt Principes, agentes, ac divinas illuſtrationes in ſubditos refundentes, ut Angeli ſuperiores in inferiores, alii ſubditi & patientes, ſeu recipientes divina chariſmata, ut Laici in Hierarchia Eccleſiaſtica, cujuſcunque ſint ſtatus & ordinis.

Q. 2. *Quare principatus ille dicitur ſacer?*

R. Non ita dicitur præciſe ex eo quod ſit inſtitutus a Deo: omnis enim poteſtas, etiam civilis & politica eſt a Deo, *Rom.* 13. ſed quia eſt in ordine

ſupernaturali & gratiæ, totus verſatur in functionibus ſacris; & ſcopus ejus ac finis eſt ad Deum adducere, & ſubditos Dei fortes reddere. *Neceſſe eſt*, inquit auctor Eccleſiaſticæ Hierarchiæ c. 1. *ut & ipſe Pontifex pro ſuæ conditionis natura, modo, & ordine in divinis myſteriis ac rebus perficiatur, Deificetur, & ſubditis ſuis divinam ſimilitudinem, quæ* IPSI DIVINITUS INEST, *pro ſua cujuſque dignitate impertiat*. S. quoque Gregorius Nazianzenus orat. 1. viros Sacerdotalis Ordinis appellat, *Deos efficientes*, *Deos operantes*, eo ſcilicet ſenſu, quo Scriptura Deos dicit filios Dei adoptivos; & S. Ambroſius Sacerdotium eſt *Deifica profeſſio*, lib. de dignitate ſacerdotali c. 3.

Q. 3. *Hierarchiæ nomen eſtne perantiquum?*

R. Occurrit paſſim in ſcriptis Veterum, ut S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Hugonis Victorini, S. Maximi, Gregorii Magni, quin & S. Dionyſii Areopagitæ, ſi ut crediderunt laudati auctores, & quampluri̇mi alii, libri de cæleſti & Eccleſiaſtica Hierarchia a tanto viro ſunt conſcripti. Sed communior eſt hodie ſententia, opera illa quæ circumferuntur ſub nomine ſancti Dionyſii Areopagitæ, eſſe exarata poſt quartum ſæculum. 1. quia Euſebius Cæſarienſis, & ſanctus Hieronymus, qui accurate catalogum texuerunt veterum Scriptorum, nullam hujuſmodi operum mentionem facere; nec ullus e Patribus, ad ſextum uſque ſæculum, laudavit illa opera, quamvis luculenta ſuppeditent argumenta adverſus Hæreticos; quos impugnabant Severiani, ſeu Eutychiani Hæretici, in colloquio cum Catholicis: primi omnium ea protulere ſub finem quinti ſæculi, ita tamen ut aſſerere auſi non fuerit a ſancto Dioniſio Areopagita eſſe adornata: ſed ſuſpicari ſe dumtaxat dixerint: Catholici vero ea conſtanter rejecerunt ut ſpuria, utpote hactenus incognita. 2. quia auctor illorum operum deſcribit templorum ornatum, pompam, & magnificentiam, qua ſacra myſteria peragebantur, Monachorum conſecrationes, Catechumenorum & pœnitentium exercitationes, quæ ad ætatem Apoſtolorum, & S. Dionyſii Areopagitæ non videntur poſſe referri, cum Chriſtiani tunc tempo-

temporis a Paganis exagitati, ſimul convenire non ſolerent, niſi de noctu, & in ædibus privatis aut cryptis.

Quidquid ſit de auctore illorum operum, certum eſt ea magno in pretio fuiſſe habita, ex quo in lucem prodierunt; viri inſignes, ut S. Maximus, Hugo Victorinus, & alii profundiſſimam eruditionem, quæ in iis continetur, ſuis Commentariis explanarunt, & ex iis operibus deinceps SS. PP. & omnes Theologi paſſim hauſerunt, unde confirmarent fidei dogmata, & proprias lucubrationes ornarent, ac ditarent. Cum igitur auctor ille, quicunque tandem ſit, primus ex profeſſo de Hierarchia tum Cæleſti, tum Eccleſiaſtica magnifice ſcripſerit, & ab omnibus Veteribus recentioribuſque laudetur, mirum videri non debet, ſi ex incerti auctoris libris, manibus omnium tritis, multa depromamus noſtro inſtituto accommodata.

CAPUT II.

De notione Hierarchiæ.

Q. 1. **Q***Uid eſt Hierarchia?*

R. Sic deſcribitur ab auctore libri de Hierarchia cæleſti cap. 1. „ Eſt hierarchia, meo judicio, „ ſacer Ordo, ſcientia, & actio, quæ ad Deiformitatem, quantum fas eſt, accedit, atque ab inſitis ſibi divinitus illuſtrationibus, proportione quadam „ ad Dei ſubvehitur imitationem.

Tria ergo in Hierarchia includuntur, ſcilicet ſacer Ordo, ſcientia, & actio. Sacer Ordo, juxta hujuſce loci Interpretes, eſt ſacra poteſtas, ſeu auctoritas a Deo ordinata ad perficiendos Subditos. Scientia ſunt divinæ illuſtrationes, motiones, & alia chariſmata, quibus Hierarchia fit Deiformis, veluti ſpeculum puriſſimum radios divini luminis excipiens, ut in ſubditos transfundat. Actio ſunt functiones Hierarchiæ, de quibus poſtea. *Tria*, inquit Hugo Vi-

Victorinus lib. 4. annot. in Hierarchiam, in *definitione Hierarchiæ principalia proponit, quæ perficiant ipſam Hierarchiæ definitionem; Sunt autem Ordo, ſcientia & actio. Horum trium, ſi defuerit unum aliquod, non conſtat Hierarchia: Primum eſt Ordo divinus, id eſt poteſtas a Deo ordinata, & ſecundum Deum diſpoſita: a Deo quippe eſt per ordinationem & ſecundum Deum eſt per imitationem. Deinde quia omnis poteſtas quæ a Deo ordinata eſt, ad aliquid perficiendum atque complendum ordinata eſt, ſequitur in definitione poſt Ordinem, ſcientia & actio. Scientia quidem, qua quid faciendum ſit, intelligant; actio vero, qua quod intellexerint, agendum perficiant. In Ordine officium, in ſcientia diſcretio, in actione miniſterium. Sine Ordine præſumptio eſt actio: ſine actione negligentia eſt Ordo; ſine ſcientia vero & actio reprehenſibilis, & Ordo inutilis.* Ex hac Hierarchiæ notione Theologi tum veteres, tum recentiores Hierarchiam generatim ſumptam, ad ſcholæ normam communiter ſic definiunt.

Hierarchia eſt poteſtas perſonarum ſacrarum ordinata, debitum in ſubditos retinens principatum.

Dicitur 1. *poteſtas*, quia nullus principatus abſque poteſtate, & agendi auctoritate.

Dicitur 2. *perſonarum*, ut extendatur illa definitio ad Hierarchiam cæleſtem & Eccleſiaſticam; arctabitur autem ad Eccleſiaſticam, ſi loco perſonarum dicatur, hominum ſacrorum.

Dicitur 3. *ſacrarum*: quæ a Deo divinas illuſtrationes & alia chariſmata accipiunt, ut in alios refundant, quemadmodum ſpeculum prius in ſe colligit Solis radios, quam corpora vicina colluſtret atque incendat. *Item in divinis ſanctionibus videre licet*, inquit Pachymer. in cap. 2. cæleſtis Hierarchiæ; *dum ſummus Sacerdos ab ipſamet Hierarchia illuſtrationem acceptam in Presbyteros & Diaconos trajicit. Niſi enim ferrum jam habitudine ignitum ſit, nequaquam ſane id, cui applicatur, adure; ſic etiam Sacerdos, ſive Hierarcha, niſi habitu ſuperno fuerit illuminatus, nequaquam lumen aliis afflabit.*

Di-

Dicitur 4. *ordinata*, quæ enim a Deo ſunt, ordinata ſunt, *Rom.* 13. Is autem Hierarchicus ordo eſt ut media per prima & infima per media in Deum reducantur: *mos divinitatis hic eſt ſanctiſſimus*, inquit auctor Eccleſiaſticæ Hierarchiæ c. 3. *Pro prima ſecunda, & inferiora ad diviniſſimam lucem ſuam deducere*. Similia habet S. Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. quod Pachymeres illuſtrat ſimilitudine lapidis magnetis, qui primum ferreæ catenæ annulum contingens, ſequentes ad ſe trahit. *Ita*, ait, *qui ſunt virtute præditi, divino Spiritu attracti cum prima manſione conjunguntur, deinceps autem alii uſque ad poſtremam*.

Porro in mirabili illo ordine & contentu tria obſervant laudati auctores: primum, divinas illuſtrationes ac motiones a Deo in ſupremum Hierarcham: eoque mediante ad medios, & ab iis ad ultimos transfundi; ſic cum Moyſe ſupremo Hierarcha veteris Hierarchiæ ore ad os loquebatur, & palam, & non per ænigmata, ſicut cum aliis Prophetis, num. 12. & de plenitudine Spiritus, quem poſuerat in eo, in 70. Seniores ſeu Principes transfudit. Num. 11. Secundum, in ſuperioribus Hierarchis, puta in Seraphinis & Epiſcopis, contineri perfectiones inferiorum, non vice verſa; habetur quippe cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: *Eos quidem ordines qui ſuperiores ſunt, inferiorum etiam illuſtrationibus, virtutibuſque præditos: extremos autem iis, quæ ſuperioribus inſunt, carere*. Tertium inferiores in ſuperiores omnem actionem Hierarchicam rejicera ac refundere, utpote qui, tanquam poſteriores catenæ annuli, motum a prioribus accipiant; atque ita efflorefcit facer Ordo veluti unum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis ſecundum menſuram uniuſcujuſque membri, ut loquitur Apoſtolus ad Eph. 4.

Hujuſmodi autem ordinem in Spiritibus cæleſtibus inchoat natura, & perficit gratia, quia ut obſervavimus ex S. Thom. Tract. de Angelis, gratia iis major conceſſa eſt pro majori eorum naturali perfectione; Deus enim alios aliis perfectiores condidit propter ampliora miniſteria, quæ ſine abundantiori gra-

tia

tia obire non poterant. At in Hierarchia Eccleſiaſtica ſola gratia diſtinguit inter homines; cum enim ſit ejuſdem naturæ & perfectionis, ex iis Deus quos vult eligit ad ſacrum principatum, & pro dignitatis gradu diverſam chariſmatum menſuram præparat.

Dicitur 5. *Debitum retinens in ſubditos principatum*, ut ſignificetur ad Hierarchiam complendam, præter ordinem & chariſmata neceſſariam eſſe poteſtatem juriſdictionis, ſine qua non intelligitur principatus: neque enim qui ſcientia, vel ſanctioris vitæ merito aliis præluces, & errantes ſalutaribus monitis ac fraterna correctione ad Deum reducere nititur, principatum in eos exercet, niſi & auctoritate illos coercere poſſit: cum ejuſmodi caritatis officia debeantur non ſolum æqualibus, ſed etiam ſuperioribus.

Q. 2. *Quænam juriſdictio requiritur ad conſtituendam Hierarchiam, exercendoſque actus Hierarchicos?*

Nota 1. ex Tractatu de pœnitentia duplicem eſſe juriſdictionem, ſcilicet ordinariam, & delegatam. Ordinaria eſt, quæ competit perſonæ, v. gr. Epiſcopo, Parocho; ratione ſtatus ac muneris. Delegata, quæ conceditur ei, cui cura aliorum ex officio non incumbit, ut facultas prædicandi, confeſſiones excipiendi ei conceſſa, qui Paſtor non eſt.

Nota 2. ex S. Thom. in Suppl. quæſt. 8. art. 5. ad 3. juriſdictionem aliquando delegari ſimul cum dignitate, ita ut delegatus vice delegantis conſtituatur, ut Prorex aut Proconſul in politicis, Vicarius Generalis, Officialis, Pœnitentiarius Epiſcopi in regimine Eccleſiaſtico: aliquando vero ſine dignitate, ut ſi deputetur quis ad ſpeciale quoddam officium, puta ad concionandum. De ſola juriſdictione delegata controvertitur; de ordinaria enim dubium non eſſe poteſt, quin Hierarchiam perficiat. His ſuppoſitis.

R. 1. Juriſdictio delegata ſine dignitate non conſtituit Hierarchiam. Ita S. Th. 2. 2. q. 188. art. 4. ad 1. „ Dicendum, *inquit*, quod ille qui operatur ex virtu„ te alterius, agit per modum inſtrumenti ... Unde „ quod aliquis auctoritate Prælatorum prædicet, vel „ alia ejuſmodi faciat, non ſupergreditur diſcipula-

„ tus,

„ tus, vel ſubjectionis gradum, qui competit Reli-
„ gioſis. *Et in opuſculo adverſus impugnantes Religio-*
„ *nem c.* 4. quando Papa dat privilegium alicui Reli-
„ gioſo, quod poſſit prædicare, non propter hoc com-
„ mittit ei officium, ſed magis officii executionem.
De ejuſmodi delegatis intelligendum quod habetur Digeſt. de Officio delegatus: *delegatus non præeſt juriſdictioni, nec judicio.*

R. 2. Juriſdictio delegata cum dignitate ſufficit ad Hierarchiam; quia ſi delegatus una moraliter eſt perſona cum delegante, agit ut conjunctum ejus organum, Archidiaconus v. g. ut oculus Epiſcopi, Vicarius generalis ut ejus manus, habentque ſinguli territorium & ſubditos.

Q. 3. *Quot ſunt actus Hierarchici?*

R. Auctor libri cæleſtis Hierachicæ paſſim, & omnes deinceps Theologi actus Hierarchicos ad hæc tria capita revocant, nimirum ſubditos purgare, illuminare, & perficere. Purgare in Eccleſiaſtica Hierarchia eſt Diaconorum, illuminare Presbyterorum, perficere Epiſcoporum. Sed quomodo actus purgandi locum habeat in cæleſti Hierarchia, ubi nihil eſt coinquinatum, difficultas eſt, quam ſolvit idem auctor c. 6. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ his verbis: „ A rerum, quarum hactenus
„ ſcientia caruerunt (*inferiores Angeli*) ignoratione
„ quodammodo purgantur, dum a primis & diviniori-
„ bus eſſentiis ad ſublimiores clarioreſque divinarum
„ contemplationum illuſtrationes promoventur, atque
„ ita in cæleſti Hierarchia etiam Ordines ſunt, qui
„ illuſtrantur, & qui perficiuntur, ſicut qui purgant,
„ & qui illuſtrant, & qui perficiunt. „ Purgant qui minora inferioribus annuntiant, illuſtrant, qui majora, perficiunt, qui præſtantiſſima.

Q. 4. *Scientia & alia chariſmata ſuntne eſſentiale quid Hierarchiæ?*

R. Minime, ſaltem reſpectu Hierarchiæ Eccleſiaſticæ; quia ſublata parte eſſentiali, res, quam conſtituit, pereat neceſſe eſt, v. gr. ſublata rationalitate tollitur homo, atqui de fide eſt in Paſtore, qui caret ſcientia & ſanctitate manere characterem Sacerdotalem, in

in quo fundatur ſacer Eccleſiæ principatus: Concilium enim Conſtantienſe ſeſſ. 25. damnavit hos ſequentes Wiclefi articulos; primum, „ ſi Epiſcopus vel Sacer„ dos eſt in peccato mortali, non ordinat, non con„ ficit, non conſecrat, non baptizat. *Secundum*, Quicumque eſt humilior, & in amore Chriſti quoad „ ſuam Eccleſiam amantior; eſt in Eccleſia militante „ major, & proximus Chriſti Vicarius reputandus. Vide plura in hanc rem Tractatu de Sacramentis in genere cap. 14.

Dixi, *reſpectu Hierarchiæ Eccleſiaſticæ*; quia ex ep. Judæ v. 6. perduelles Angeli peccando *non ſervaverunt ſuum principatum*, qui in cæleſtibus ſpiritibus conſiſtit in divinis illuſtrationibus, quas ſuperiores transmittunt ad inferiores. Unde in dæmonibus, licet alii aliis ſint in natura perfectiores, nulla tamen eſt hierarchia, quia in iis nulla illuſtratio divina, nulla ſunt chariſmata, nec proinde ſacer principatus. Contra vero in improbo Sacerdote remanet Sacerdotium, Chriſti character, qui eſt ad agendum, nempe ad ſubditos purgandos, illuminandos & perficiendos.

Q. 1. *Quomodo ergo ſcientia & alia chariſmata ſe habent ad Eccleſiaſticam hierarchiam?*

R. Ut conditiones, ſine quibus actus hierarchici debito modo non exercerentur, fuſe probavimus tractatu de Sacramentis in genere c. 17. Itaque nec contemplatio, nec ferventiſſima caritas hierarchiam conſtituunt, ſed dignum efficiunt; non poteſtatem tribuunt, ſed poteſtatem ornant; nam ſine ſcientia & aliis chariſmatibus hierarchiæ actio reprehenſibilis eſt, & ordo inutilis, inquiebat ſupra Hugo Victorinus. Hinc Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis cum principatu, & juriſdictionis poteſtate dedit Spiritum Sanctum, Joann. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos... accipite Spiritum Sanctum*, tunſque aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, Luc. 24. quarum notitia eſt noſtræ hierarchiæ ſubſtantia, ex Concilio Nicæno II. can. 21. ac demum prohibuit, ne functiones hierarchicas auſpicarentur, priuſquam accepiſſent eam ſpiritus plenitudinem, quæ in alios ſuperefflueret, *ſedete in civitate,*

in-

inquit Luc. 24. v. 49. *quoadusque induamini virtute ex alto*, quia ex ſupra laudato cap. 1. Eccleſiaſt. hierar. *neceſſe eſt ut & ipſe Pontifex pro ſuæ conditione naturæ, modo, & ordine in divinis myſteriis ac rebus perficiatur, Deificetur, & ſubditis ſuis divinam ſimilitudinem, quæ ipſi divinitus ineſt, pro ſua cujuſque dignitate impertiat.* Sed de iis plura tertia parte, ubi de Diſpoſitionibus ad Sacramentum Ordinis.

C A P U T III.

De Exiſtentiæ Hierarchiæ.

CONſtat ex dictis tractatu de Angelis cap. 5. tres Angelorum exiſtere hierarchias, quarum ſingulæ tribus perficiuntur ordinibus, prima quidem Seraphinis, Cherubinis, & Thronis, qui a S. Thoma ab aliis paſſim Theologis vocantur Angeli aſſiſtentes, utpote qui Deo aſſiſtant tanquam primarii Miniſtri ejuſque Secretorum conſcii, quæ Ordinibus ſecundæ hierarchiæ, ſcilicet Dominationibus, Virtutibus, & Poteſtatibus denuntiant, eo fere modo, quo Miniſtri, qui ſunt a latere Regis, ab ipſo accipiunt mandata, quæ ad Provinciarum præfectos deferant, ut ex executione mandari curent; quod iſti præſtant per civitatum Magiſtratus & Decuriones, qui injunctis operibus incumbunt. Sic Angeli ſecundæ hierarchiæ univerſales divinæ providentiæ notiones a prima hierarchia acceptas manifeſtant Angelis tertiæ hierarchiæ, ſcilicet Principatibus, Archangelis, & Angelis, qui toti incumbunt exequendis operibus per ſecundam hierarchiam diſpoſitis & ordinatis. Principatus quidem univerſaliora curant, puta Regna, aliaſque hominum ſocietates, Archangeli vero & Angeli ſingularia adminiſtrant, illi majora, iſti minora. Et ita homines reſpectu hierarchiæ cæleſtis ſunt in ſtatu initiandorum, ut fuſius expoſuimus cit. cap. de Angelis, ſed difficultas eſt, utrum præter hierarchiam cæleſtem agnoſcenda ſit etiam hominum hierarchia. Itaque

Q. 1.

Q. 1. *Exiſtitne Hierarchia Eccleſiaſtica?*

R. De fide eſt exiſtere, ſic enim definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 6. his verbis, „ Si quis di- „ xerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam di- „ vina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſco- „ pis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.

Probatur: quia ex dictis tria hierarchiam conſtituunt, nempe ſacer ordo, ſeu poteſtas divinitus ordinata, chariſmata, & actio: atqui iſthæc tria reperiuntur in Eccleſia Catholica;

Ac primo quidem ſupremam poteſtatem Chriſtus promiſit Matth. 16. v. 19. his verbis, *tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Generatim vero omnibus Apoſtolis ait Matth. 18. v. 18. *amen dico vobis: quæcunque alligaveritis ſuper terram*, &c.

Per claves autem ſignificatur jus regendi Eccleſiam, & peragendi omnia, quæ ad illius regimen ſpectant; ut ordinatio Miniſtrorum, abſolutio a peccatis, Evangelii prædicatio, ſcripturarum interpretatio; excommunicandi auctoritas; qui enim habet claves civitatis, vel domus, dominus eſt, ut eam aperiat vel claudat; & quos voluerit, in eam admittat, vel ab ea excludat. Sicut ergo Regibus, dum ineunt poſſeſſionem Urbium, dantur claves earum; *ita Chriſtus*, interprete S. Chryſoſtomo hom. 55. in Matth. *Cum Petrum univerſo terrarum orbi præponere diſponeret, ait*, tibi dabo claves regni, *non terrarum, ne terrena & temporalis putaretur illa poteſtas, ſed*, regni cælorum: quæ expendens ſanctus Gregorius lib. 4. ep. 32. ſic ſcribit, *voce Dominica ſancto & omnium Apoſtolorum Principi Petro, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt; ipſi quippe dicitur*, tibi dabo claves regni cælorum.

Quod Chriſtus daturum ſe promiſerat ante paſſionem, implevit poſtquam a mortuis reſurrexit; Petro enim dixit Joann. ultimo, *paſce oves meas*; & omnibus ſimul Apoſtolis Jo: 20. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, hoc eſt eam poteſtatem, quam dedit mihi Pater, in vos tranſmitto; ut ipſemet exponis Matth. 28. v. 18.

v. 18. *dicens, data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo* (& ex illa poteſtate) *docete omnes gentes*, &c.

Secundo divina chriſmata non deſunt in Eccleſia Catholica; nam ex dictis de effectibus Sacramenti Ordinis, per hujuſmodi Sacramentum confertur Spiritus plenitudo, & poteſtas miniſtrandi Sacramenta ad Fidelium ſanctificationem inſtituta.

Tertio Apoſtoli & eorum ſucceſſores hactenus actus hierarchicos exercuerunt, & etiamnum exercent, ſubditos purgant, illuminant, ac perficiunt; ergo revera exiſtit hierarchia Eccleſiaſtica.

Dices; ibi non eſt Hierarchia, ubi non eſt ſacer principatus, atqui in Eccleſia Catholica non exiſtit ſacer principatus: ergo.

Minor probatur, quia Angeli ultimæ hierarchiæ in homines principatum exercent; mos enim divinitatis eſt infirma per media adducere, ut ſupra d cebamus, huncque mirum ordinem ſenſibiliter exhibuit Gen. 28. ſcala myſtica a terra ad cælum uſque pertingens, cujus cacumini Deus erat innixus, videbanturque Angeli per eam deſcendentes, divinæ providentiæ mandata executuri, & aſcendentes quaſi hominum vota oblaturi, & rationem ſuæ adminiſtrationis reddituri; ſunt enim adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, nempe a Chriſto Domino, qui a B. Joanne viſus eſt Apocalypſeos cap. 5. *tanquam agnus occiſus habens cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram;* quia per illos cæleſtes ſpiritus, utpote fortiſſimos ac vigilantiſſimos, Chriſtus ventilat adverſarias poteſtates, tuetur homines, ac in via ſalutis dirigit, ſicut ſcriptum eſt Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Iſthæc autem miniſteria hierarchice, id eſt, eo ordine & ea auctoritate perficiunt, quæ decent ſacrum eorum principatum. Ordine quidem, quia Angeli tertiæ hierarchiæ Principes univerſaliora adminiſtrant in terris, præſunt Regnis, Provinciis, & toti Eccleſiæ, ut colligitur ex c. 10. Danielis v. 13. & 20. ubi alius vocatur Perſarum Princeps, alius Græcorum, alius, nempe Michael, Synagogæ defenſor

pro-

prohibetur: Archangeli vero & Angeli ſingularia curant, illi majora, iſti minora. Auctoritate etiam pollent, ut patet ex cap. 23. Exodi v. 20. & 21. ubi ſic habetur, *ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via . . obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris, & eſt nomen meum in eo.* Ergo Angeli tertiæ hierarchiæ principatum exercent in homines tanquam in ſibi ſubditos, ac proinde nulla eſt hierarchia Eccleſiaſtica.

Conceſſa majore, nego minorem, cujus confirmationem diſtinguo: Angeli tertiæ hierarchiæ principatum in homines exercent, quoad aliqua, & modo inviſibili, concedo: quoad omnia, eaque præcipua, & modo viſibili, nego: ſicut enim Deus, licet Angelorum miniſterio ordinem ſuæ providentiæ exequatur circa res terrenas, nihilominus conſtituit Reges & Principes, qui cum poteſtate temporalia adminiſtrant, jura ſuis ſubditis decernunt, bonos juvant ac promovent, protervos coercent & puniunt: ita in ordine ſupernaturali Deus per Angelos quidem homines interius illuminat, monet, terret, ut fugiant a facie arcus, & ad ipſum recta tendant, atque eatenus homines ſubditi ſunt cæleſti hierarchiæ, ſed propterea ex Apoſtolo Hebræorum 2. *Non Angelis ſubjecit Deus orbem terræ futurum*, id eſt, Eccleſiam qualem prædixerunt Prophetæ futuram poſt Chriſti reſurrectionem; nec illis tradidit claves regni cælorum, & poteſtatem ligandi & ſolvendi, ſeu externum Eccleſiæ regimen; ſed iis dumtaxat, quibus dixit Joann. 20. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; & Matt. 28. *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra; euntes ergo, docete*, &c.

Inſtat Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 11. paragr. 8. Chriſtus principatum Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus interdixit, ait enim Matth. 20. verſ. 25. & 26. „ Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit „ inter vos; ſed quicunque voluerit inter vos major „ fieri, ſit veſter miniſter .... ſicut Filius hominis „ non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, ergo. „

Di-

Diſtinguo ſubſumptum; Chriſtus Apoſtolis interdixit principatum politicum, tranſeat; ſpiritalem, nego, verbis enim, quæ hic opponuntur, docet diſcipulos quomodo uti debeant poteſtate ſibi tradita, ſcilicet ut in ea per caritatem ſpiritus ſerviant invicem, ut dicitur Gal. 5. & quidem Magiſtri, & Domini ſuo exemplo, qui, cum in forma Dei eſſet, Philip. 2. formam ſervi accepit, in qua diſcipulis etiam miniſtravit, quod expendens Euſebius Cæſarienſis in opuſculo in illud, *non veni pacem mittere*, ſic ſcribit, *ſi Dominus in figura ſervi propter dilectionem ſponſæ; qui naturæ ſervi ſunt, quam figuram debent aſſumere?* Principatum non depoſuit, quod erat impoſſibile; ſed quodam modo illum oblitus ad pedes diſcipulorum ſe dejecit, & propter nimiam ſuam caritatem omnia ſuſtinuit pro ſervorum ſalute; quia, ut ſcribit S. Gregorius Nazianzenus ad Tyanenſem Archiepiſcopum, ne in Monachos animadvertent, quod ſaxis tantum virum, etiam ad altare ſacrificantem impetiiſſent: *pœnam ſumere, improbitatem coercet; at injuriam tolerare, vel probitatem adducit, quod perfectius eſt*. Hinc S. Chryſoſtomus hom. 1. in epiſt. ad Timot. *non tam ad principandum promovetur*, inquit, *quam ad ſerviendum innumeris dominis, qui contraria cupiunt ſemper & dicunt*. Sanctus quoque Greg. lib. 9. ep. 38. *per Epiſcopatus onera ſervus ſum omnium factus*, & quilibet deinceps Summus Pontifex ſuis Epiſtolis ac mandatis hunc titulum præfixit, *ſervus ſervorum Dei*, abſque tamen præjudicio ſpiritualis Principatus, ſed exemplo Apoſtoli, qui cum omnium ſervum ſe feciſſet ut plures lucrifaceret 1. Corinth. 9. verſ. 19. ſcribit 1. Cor. 10. v. 6. ſe in promptum habere ulciſci omnem inobedientiam.

Dixi in prima parte reſponſionis, *tranſeat*; abſolute enim falſum eſt Chriſtum prohibuiſſe, ne ſacerdotium & principatus politicus in una & eadem perſona ſociarentur, ut contendunt heterodoxi; quia ambæ illæ poteſtates non ſunt contrariæ, quia a Deo ſic ordinatæ ſunt, ut mutuo ſe juvare debeant. Enimvero poteſtas Eccleſiaſtica auxilium politicæ aliquando

do implorare cogitetur adverſus ſubditos impios & contumaces, qui ejus imperium contemnunt, ſcriptum quippe eſt Iſ. 60. v. 10. *Reges eorum miniſtrabunt tibi*, & v. 12. *gens enim & regnum, quod non ſervierit ei, peribit*. Et viciſſim poteſtas politica indiget Eccleſiaſtica, ut cives non ad oculum Principi ſerviant, ſed ex animo, & ſicut Domino. Quid ergo obſtat, quominus duæ illæ poteſtates ſub duplici titulo in una & eadem perſona exiſtant diſtinctæ & impermixtæ, cum coadunatæ promptius ſe mutuo juvare queant?

Dices: lex eſt per Apoſtolum promulgata 2. Tim. 2. „ nemo militans Deo implicat ſe negotium ſæcularibus, „ uti ei placeat, cui ſe probavit, *unde S. Bernardus* „ *lib. 2. de Conſid. ad Eugenium Summum Pontificem* „ *c. 6. n. 2.* ergo tu & tibi uſurpare aude, aut do„ minans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. „ Plane ab alterutro prohiberis; ſi utrumque ſimiliter „ habere voles, perdes utrumque... forma Apoſtolica „ hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtra„ tio. „ Ergo principatus ſpiritualis & politicus in una perſona ſociari nequeunt.

Nego conſeq. namque 1. Apoſtolus per negotia ſpiritualia non intelligit regimen politicum, alioquin intempeſtiva admodum foret ejus commotio; cum Timotheo & aliis Eccleſiæ Miniſtris vix per infideles tunc temporis liceret vivere, nedum imperare, ſed monet duntaxat, ne pro conquirendis vitæ neceſſariis ſe implicet negotiis mundanis, puta mercaturæ, negotiationibus, &c. Sanctus vero Bernardus non improbat principatum temporalem in Summo Pontifice; cum epiſt. 244. acriter perſtringat Romanos, quod vectigalia Summo Pontifici debita ſibi vindicarent, juberentque eum decimis & oblationibus contentum more priſco vivere. Hoc igitur enim contendit Sanctus Doctor, nimirum adminiſtrationem temporalem eſſe ſtatui Summi Pontificis accidentariam, non a Chriſto, ſed ab aliis conceſſam, non ut poteſtatem ſpiritualem impediat aut diſtendat, ſed ut illi inſerviat. „ Eſto, *inquit*, ut alia quacunque ratione hæc (*tempo*„ *ralia*) tibi vindices; ſed non Apoſtolico jure. Nec

„ enim

„ enim tibi ille dare quod non habuit, potuit. Quod „ habuit, hoc dedit, ſolicitudinem, ut dixi, ſuper „ omnes Eccleſias.

Q. 2. *Utra ex Angelica & Eccleſiaſtica hierarchia eſt præſtantior?*

R. Angelica præſtantior eſt Eccleſiaſtica quoad modum ſuſcipiendi divinum lumen, & illud inferioribus communicandi; cum enim Angeli ſint Spiritus ab omni materia ſecreti & naturæ longe excellentioris quam homines, divinas illuſtrationes percipiunt & communicant purius ac plenius, ſine phantaſmatibus & ſymbolis ſenſibilibus, quod non poſſunt homines, quorum cognitio pendet a ſenſibus: ideoque infimus Angelus, ex S. Thoma 1. p. q. 108. art. 2. ad tertium, ſuperior eſt ſupremo homine noſtræ hierarchiæ, poteſtque illum illuminare ac perficere, & quidem altiori modo, quam ordines noſtræ hierarchiæ. Simpliciter tamen & abſolute hierarchia Eccleſiaſtica antecedit Angelicam, quia omnis Angelorum principatus inferior eſt Chriſti Sacerdotio, quod in hierarchia Eccleſiaſtica operatur. Quid enim aliud Character Sacerdotalis, in quo fundatur noſtra hierarchia, niſi configuratio & participatio Sacerdotii Chriſti? Alias quomodo Chriſtus ſempiternum haberet Sacerdotium, ſi noſtrum ab eo eſſet diſtinctum. & Sacerdotes in nova lege Chriſto ſuccederent, quemadmodum in veteri Sacerdotes ſuccedebant Aaroni? Noſtrum ergo Sacerdotium eſt imago impreſſa & ſplendor Sacerdotii Chriſti, cujus tot ſunt emicantes radii, tot rami expanſi, tot rivuli largitate exundantis gratiæ profluentes, quot ſunt qui per ordinationem conſecrantur. Ergo hierarchia Eccleſiaſtica ſub eo reſpectu non eſt ſubdita Angelicis hierarchiis, ſicut tertia ſecundæ, & hæc primæ; ſed a Chriſto immediate (quemadmodum Angeli primæ hierarchiæ a Deo) chariſmata percipit & Deiformis efficitur. Ad quid vero? ad actus hierarchicos longe præſtantiores & diviniores hierarchicis omnium Angelorum actibus. Illi quippe non perficiunt inferiores in ſanctitate aut in viſione & amore beatifico, ſed in notitia dumtaxat ſecretorum ſapientiæ Dei cir-

circa rerum creatarum adminiſtrationem, ut notat S. Thomas 1. p. q. 108. art. 1. ad 2. *Quantum*, inquit, *ad cognitionem ipſius Dei, quem omnes uno modo (ſcilicet per eſſentiam) vident, non diſtinguuntur in Angelis hierarchiæ, ſed quantum ad rationes rerum creatarum*. Contra vero noſtri hierarchæ Sacerdotii Chriſti participes ac vere Chriſtiformes in ipſo & per ipſum inferiores purgans non ſolum ab ignorantia, ſed a peccatis etiam graviſſimis, per gratiam & Spiritum ſanctum, quem communicant, filios Dei adoptivos & divinæ naturæ conſortes efficiunt, hæredes Dei & cohæredes ac membra Chriſti. Quid autem ejuſmodi functionibus cogitari poteſt ſublimius ac divinius?

Dices; ex S. Thoma 1. p. q. 108. art. 8. & ex aliis paſſim Theologis, homines in patria ad Ordines Angelorum aſſumentur deſertorum locum occupaturi; neque enim in cælo erit alia hierarchia hominum, alia Angelorum, ſed ſicut veteris legis hierarchia via erat in noſtram, quam ſignificabat, & in quam aſſumpta eſt; ita etiam noſtra hierarchia eſt via in cæleſtem, & ſignum ejus; ergo Angelorum hierarchia eſt noſtra perfectior.

Diſtinguo conſeq. perfectior eſt ſecundum quid, & quoad modum excipiendi & tranſmittendi divinas illuſtrationes, conc. perfectior eſt ſimpliciter & abſolute, nego conſequ. propter rationes allatas. Itaque hierarchia Eccleſiaſtica media quidem eſt inter veterem & Angelicam, quia functiones veteris erant duntaxat umbræ & figuræ rerum, quas Hierarchia Eccleſiaſtica diſpenſat ſub quibuſdam tamen ſignis ſenſibilibus & ſymbolis corporeis, qualia ſunt Sacramenta, Scripturæ Sacræ, quæ in cæleſti Hierarchia locum non habent, cum ibi nuda & aperta fulgeat veritas. Sed longe præſtantiora & diviniora chariſmata miniſtrantur in hierarchia Eccleſiaſtica, quam in cæleſti; Angeli quippe ſuperiores promovere nequeunt inferiores ad altiorem ſanctitatis & gloriæ gradum, quemadmodum noſtri hierarchæ, qui ex iis quos purgant, illuminant, ac perficiunt, quoſdam ad ſupremos Angelorum Ordines perducunt.

Abſit

Abſit autem, ut quos Deus ſuſcitat a terra inopes, & de ſtercore erigit pauperes, ut collocet eos cum principibus populi ſui, inde intumeſcant, & ſupra ceteros ſeſe efferant; vices enim Chriſti gerunt, illumque exhibere debent, qui cum in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & factus obediens uſque ad mortem crucis, ut, ſicut probavit ſe Filium Dei per manſuetudinem, humilitatem & patientiam, refulſitque ejus divinitas in laceratione proprii corporis, quo, veluti velo, tegebatur; ita characterem Chriſti in ſeipſis commendent in humilitate ambulantes, ſicut ille ambulavit. Quomodo vero conciliari queat Sacerdotis conſtantia & firmitudo cum tanta humilitate, patientia & manſuetudine, fuſe expoſuimus in Praxi pœnitentiali Tract. 1. c. 3. uſque ad finem capitis.

Q. 3. *Suntne agnoſcendi Ordines in Hierarchia Eccleſiaſtica ſicut in cæleſti?*

R. De fide eſt Hierarchiam Eccleſiaſticam ex inſtitutione divina conſtare tribus Ordinibus; nempe Epiſcopis, qui in ea ſunt quod Seraphini in prima Angelorum Hierarchia, Presbyteris, & Miniſtris; ſic enim definiit Concilium Trid. ſeſſ. 23. canon. 6. jam laudato: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris, anathema ſit.* Iſthæc Concilii ſanctio probata manet ex dictis de Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, quos demonſtravimus eſſe a Chriſto inſtitutos.

Q. 4. *Quinam Miniſtri notantur hic a Concilio?*

R. Concilium noluit ingredi ſcholæ controverſiam; num Ordines Diaconatu inferiores ſint Hierarchici.

Q. 5. *Quid ſentiendum eſt in hac ſcholæ controverſia?*

R. Subdiaconatus & alii inferiores Ordines non ſunt hierarchici, niſi impropric & imperfecte: 1 quia non ſunt a Chriſto inſtituti, ut ſupra probavimus: atqui hierarchia Eccleſiaſtica, ex Concilio Tridentino eſt divina ordinatione inſtituta: Ergo, 2. Sancti Patres, ut S. Ignatius, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus,

tres tantum numerat in Eccleſia duces & Principes, ſcilicet Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos: *Non alios Judices domus Iſrael expreſſe affirmat*, inquit S. Hieronymus in caput tertium Michææ, *niſi Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos*. Et in caput ſecundum Epiſtolæ ad Titum: *non ſolum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, CUI PRÆSIDENT, converſatione, ſermone, ac ſcientia præcedant; verum & inferioris gradus Exorciſtæ, Lectores, & Æditui, & omnes omnino, qui domui Dei ſerviunt*.

Dices 1. Ex auctore libri Eccleſiaſticæ hierarchiæ tres ſunt actus hierarchici, nempe purgare, illuminare, & perficere: atqui non ſolum Diaconi, ſed etiam inferiores Miniſtri immundos purgant, quatenus eos ad ſacra myſteria præparant; Lectores & Subdiaconi per lectionem ſacrorum librorum, Exorciſtæ per orationes ſuper energumenos: Ergo.

Diſtinguo minorem: purgant ex inſtitutione Eccleſiæ miniſterialiter, & ad Diaconi imperium, cujus vices gerunt, Concedo: auctoritative, Nego minor. neque enim, quos purgant, poſſunt punire, aut aliquid eis imperare, niſi quod a Diacono ordinatum & imperatum fuerit. Hinc lib. 8. Conſtit. cap. 28. Diaconi habent excommunicandi poteſtatem, non inferiores Clerici, quos Eccleſia inſtituit in adjutorium Diaconorum.

Diſtinguo ſimiliter conſequens: ergo Subdiaconi & inferiores Miniſtri ſunt Hierarchici & Principes imperfecte & improprie; quo ſenſu eos Tractatu de Angelis inter hierarchas numeravimus, Conced. perfecte & proprie, Nego conſeq. non enim ſunt a Chriſto inſtituti, nec habent ſubditos, in quos vim coercitivam exerceant, quæ tamen ex dictis ad principatum proprie dictum requiritur.

Dices 2. Diaconi ordinati ſunt ad miniſterium, non ad principatum: Ergo non ſunt Hierarchæ & Principes.

Diſt. antec. ad miniſterium Epiſcopo & Presbytero exhibendum, reſpectu quorum principatum non exercent, Conc. ad miniſterium, non ad principatum reſpectu

ſpectu inferiorum Clericorum & plebis, Nego antec. Diaconi enim, quos Cardinales vocant, hoc eſt, qui ex ordinatione ſua aſcripti ſunt obſequio alicujus Eccleſiæ, cogunt inferiores Clericos, puniunt, Fidelibus Euchariſtiam diſpenſant, & alia munia hierarchica obeunt, propter quæ Præſides expreſſe vocantur a Concilio Antiocheno can. 1. Sed de Diaconis fuſe egimus cap. 5. §. 6.

De Ordine vero Epiſcoporum & Presbyterorum in hierarchia gravia ſuperſunt examinanda, ac primo quidem, utrum omnes Epiſcopi jure divino ſint ejuſdem gradus in hierarchia Eccleſiaſtica, & Romanus Pontifex iis præemineat ex ſolo jure Eccleſiaſtico, propter veterem urbis Romanæ præeminentiam ſupra ceteras Romani imperii civitates & provincias; id enim contendunt Græci ſchiſmatici & Pſeudo-reformati. 2. Utrum & quomodo Epiſcopi principatum obtineant; an a ſummo Pontifice, ut aſſerunt nonnulli e Catholicis; an a Chriſto immediate. 3. Utrum ex Presbyteris curati ſeu Parochi a Chriſto immediate habeant poteſtatem juriſdictionis, conſtituantque alterum principatus Ordinem.

CAPUT IV.

De Romano Pontifice.

UT perſpicue demonſtretur primatus Romani Pontificis, tria ſunt ſtabilienda. Primum, ſanctum Petrum fuiſſe a Chriſto conſtitutum Caput & Principem omnium Apoſtolorum, ac conſequenter totius Eccleſiæ. Secundum, S. Petrum Romam perrexiſſe, ibique Eccleſiam fundaſſe, quam rexit uſque ad mortem. Tertium, Romanum Pontificem ſancti Petri revera eſſe ſucceſſorem, ac proinde gaudere ejus primatu.

§. I.

Utrum ſanctus Petrus fuerit Princeps Apoſtolorum & caput totius Eccleſiæ?

Reſpondeo affirmative cum omnibus Catholicis. Probatur 1. ex Scriptura, in qua hæc tria obſervantur. Primum Chriſtus ante paſſionem disertis verbis ſupremam in Eccleſia poteſtatem S. Petro promiſit Matth. 16. v. 18. his verbis, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, (Syriace *Cephas*, id eſt, *Petra*) *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam .... & tibi dabo claves regni cælorum*. Quod autem nomine clavium ſignificetur ſuprema poteſtas, expoſuimus ſupra cap. tertio.

Secundum, Chriſtus poſt reſurrectionem promiſſum implevit Jo: c. 21. & ult. v. 15. ubi cum ſingularem erga ſe amorem a Petro exegiſſet, tum curam cariſſimæ ſuæ ſponſæ, Eccleſiæ ſcilicet, actu & de facto ipſi credidit, *paſce*, inquit, *agnos meos*; & iterum, *paſce oves meas*, hoc eſt, interprete S. Epiphanio ſupra laudato adverſus Aerium hæreſi 75. paſce matres & filios, Paſtores & plebem.

Tertium, Petrus in Scriptura aliis Apoſtolis præponi paſſim legitur, Matthæi 10. Marci 3. & Lucæ 6. primus inter Apoſtolos numeratur, quamvis S. Andreas frater ejus natu major ante ipſum fuerit vocatus. Jo: 13. a Petro Chriſtus cœpit lavare diſcipulorum pedes. Matth. 17. v. 26. didrachma ſeu tributum pro ſolo Petro ſolvitur, ut oſtenderetur ejus excellentia ſupra ceteros, inquit S. Chryſoſtomus, quaſi in Petro tota Chriſti familia contineretur; atque inde alii diſcipuli ſuſpicati ſunt Petrum ipſis præponendum fore, ut notat Sanctus Hieronymus in hunc locum, colligiturque ex iis verbis ſequentibus: *In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes: quis putas, major eſt in regno cælorum?* Luc. 22. v. 31. Chriſtus monet Apoſtolos agitandos fore gravibus tentationibus, *ecce ſatanas*, inquit, *expetivit vos, ut cribraret vos ſicut triticum*;

tum

tum ſpecialem ſuam curam erga Petrum, tanquam familiæ ſuæ caput, ſignificans ſubdit: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Quæ verba expendens S. Leo ſerm. 3. in anniverſario aſſumptionis ſuæ, ſic loquitur: „ Specialis a Domino Petri cura ſuſcipitur, „ & pro fide Petri proprie ſupplicatur; tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo „ munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium; „ ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per „ Petrum Apoſtolis conferatur, „ Actuum cap 1. v. 15. Petrus diſcipulis congregatis tanquam *chori Princeps, & is, cui a Chriſto grex commiſſus fuerat*, inquit ſanctus Chryſoſtomus hom. 3. in Act. decernit unum eligendum in Judæ proditoris locum. Act. 3. Petrus primus omnium Evangelium promulgat; *quia*, inquit S. Chryſoſtomus in hunc locum, *omnium erat os, ſed aſtabant illi undecim teſtimonio ſuo comprobantes ea quæ ab illo dicebantur*. Act. 10. ad Petrum e cælo dimittitur linteum quatuor angulos habens, per quod figuratur orbis terrarum quatuor partibus diſtinctus, moneturque Petrus cura ipſius ac ſolicitudine Gentiles per quadrupedia & omnis generis animalia deſignatos in myſticum Chriſti corpus eſſe trajiciendos. Act. 12. pro Petro in carcere detento *oratio fiebat ſine intermiſſione in Eccleſia ad Deum*: in quem locum ſcribens S. Chryſoſtomus ait, *Patrem omnes quærebant*. Nec ita ſoliciti referuntur ſive pro S. Jacobo, ſive pro S. Stephano prius interfectis. Act. 15. in controverſia pro legalibus coacto Concilio, Petrus primus loquitur, decernitque iis non eſſe ſubjiciendas gentes ad fidem converſas. Galat. 1. v. 18. Paulus ex perſecutore vas electionis factus, venit Jeroſolymam ut videret Petrum.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus, non ſolum Latinis, ſed etiam Græcis, qui laudatos textus Matth. 16. & Joann. 21. in ſenſu noſtræ reſponſionis accipiunt.

Origenes in epiſt. ad Romanos ſic ſcribit: *Petro*

tam ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, *& ſuper ipſum velut ſuper petram fundaretur Eccleſia*, &c.

S. Baſilius ſerm. de judicio Dei: „ ille beatus Pe„ trus, *inquit*, qui ceteris prælatus diſcipulis fuit, „ cui claves regni cæleſtis concreditæ ſunt.

S. Gregorius Nazianzenus oratione „ de ſervanda „ moderatione in diſputatione, *ſic habet*: Vide quem„ admodum ex Chriſti diſcipulis magnis utique om„ nibus & excelſis, atque electione dignis hic petra „ vocetur, atque Eccleſia fundamenta fidei ſuæ credi„ ta habeat, & reliqui diſcipuli poſthaberi ſe tran„ quillo animo ferant.

Sanctus Epiphanius hæreſi 51. *Petrum elegit*, *ut Dux eſſet Diſcipulorum*.

Sanctus Chryſoſtomus hom. 55. in Matth. „ Domi„ nus ait, tu es Petrus, & ego ſuper te ædificabo „ Eccleſiam meam. *Item*, Deus concedere ſolus po„ teſt, ut futura Eccleſia tot, tantiſque fluctibus im„ petu irrumpentibus immobilis maneat, cujus Paſtor „ & caput homo piſcator & ignobilis. „ S. Chryſoſtomum ſequuntur Theophylactus in cap. 22. Lucæ, & Œcumenius in cap. 1. Actuum.

Patribus Græcis una voce concinunt Latini.

S. Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ ſic habet: *Primatus datur Petro*, *ut Eccleſia una monſtretur*.

S. Hilarius in cap. 16. ſancti Matthæi: „ o in „ nuncupationem novi nominis felix Eccleſiæ funda„ mentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ „ inferorum leges diſſolveret!

S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum: „ in„ ter duodecim, *inquit*, unus eligitur, ut capite con„ ſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio. *Et in cap.* 16. „ *Matthæi*, per metaphoram petræ recte dicitur ei, „ ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.

Sanctus Ambroſius in hymno laudum diei Dominicæ, qui jam canebatur tempore ſancti Auguſtini, ut ipſe teſtatur lib. 1. Retractationem cap. 21. *hoc*, *ipſa petra Eccleſiæ canente*, *culpam diluit*. Et in cap. ultim. Lucæ: *qui ſolus profitetur ex omnibus*, *omnibus* an-

anteferatur: Similia habens ſanctus Leo ſerm. 3. in anniverſario ſuæ Aſſumptionis; S. Gregorius lib. 7. ep. 27. Venerabilis Beda hom. in feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli: S. Bernardus epiſt. 237. ad Eugenium ſummum Pontificem, *locus, in quo ſtas, locus illius eſt, quem conſtituit Dominus dominum domus ſuæ & principem omnis poſſeſſionis ſuæ*.

Dices 1. ex Apoſtolo 1. Cor. 3. v. 11. *fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Hinc S. Auguſtinus lib. 1. Retractationum cap. 21. retractat quod alibi ſcripſerat. Petrum eſſe petram ipſam, ſuper quam Chriſtus ædificavit ſuam Eccleſiam; vultque petram hanc eſſe fidem ſeu confeſſionem ſancti Petri; & ita ſancti Patres communiter interpretati ſunt laudatum a nobis Matthæi locum, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. *Super hanc confeſſionis petram*, inquit ſanctus Hilarius lib. 6. de Trinitate, S. Ambroſius lib. 6. in Lucam, *fundamentum Eccleſiæ*, inquit, *fides eſt*: Sanctus Chryſoſtomus hom. 55. in Matth. ſuper hanc petram id eſt, fidem atque confeſſionem. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 4. de Trinitate, *petram nihil aliud opinor, quam inconcuſſam diſciplinæ fidem*. Ergo.

Diſtinguo antecedens, ſolus Chriſtus eſt fundamentum principale, Concedo: miniſteriale, Nego antecedens.

Ad confirmationem reſpondeo, ſanctum Auguſtinum abſolute non retractare quod prius ſcripſerat in confirmationem noſtræ reſponſionis; ſed monere dumtaxat laudatum textum Matth. 16. poſſe dupliciter intelligi, verba illius ſunt: „ Dixi in quodam loco de Apoſto-„ lo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata „ eſſet Eccleſia; qui ſenſus cantatur in ore multorum „ in verſibus beati Ambroſii; *hoc, ipſa petra Eccleſiæ „ canente, culpam diluit*. Sed ſcio me poſtea ſæpiſ-„ ſime ſic expoſuiſſe, ut ſuper hanc Petram intellige-„ retur quem Petrus confeſſus eſt, non enim dictum eſt „ illi, *tu es petra*, ſed, *tu es Petrus*: petra autem erat „ Chriſtus. „ Quanquam nomen Syriacum, *Cephas*, quod

Interpres noſter Petrum latine vertit, petram ſignificat. Unde in ſenſu litterali vox, *petra*, ad perſonam Petri referri debet, non ad ejus confeſſionem; Chriſtus enim manifeſte Petrum alloquitur; *tu es Petrus*, ſive, *Cephas*, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ubi pronomen demonſtrativum, *hanc*, demonſtrat nomen ſubſtantivum, quod præceſſit, nempe Petrum, non confeſſionem Petri, aut Chriſtum, cum nomina illa in præcedenti propoſitione non exprimantur. Quare poſterior ſenſus quem Sanctus Auguſtinus hic præferre videtur, non eſt litteralis, nec vim argumenti noſtri minuit. Fatendum tamen eſt, orta hæreſi Arii, qua negabat Chriſtum eſſe Patri æqualem ac conſubſtantialem, Patres extendiſſe laudata verba, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ad divinitatis Chriſti confeſſionem; indeque duxiſſe hoc argumentum. Eccleſia fundatur in fide & confeſſione unius veri Dei: atqui ex Scriptura, Matth. 16. Eccleſia fundata eſt in confeſſione, qua Petrus ſolemniter profeſſus *eſt* Chriſtum eſſe Filium Dei vivi: Ergo revera Chriſtus eſt filius Dei naturalis & conſubſtantialis, non vero adoptivus. Sed laudati Patres ita Arianos urgent hocce argumento, ut nihilominus adhæreant genuinæ ac litterali loci illius interpretationi, ut patet ex citatis textibus ſanctorum Hilarii, Ambroſii, Chryſoſtomi. Quin Sanctus Leo ſermone tertio in anniverſario ſuæ aſſumptionis utramque interpretationem ſimul conjungit ac confundit, quia revera Eccleſia fundatur in fide ſua confeſſione ſacroſanctæ Trinitatis, & in perſona Sancti Petri, ſed diverſo modo. In fide quidem, quæ per dilectionem operatur, quia eſt fundamentum noſtræ ſalutis, & præcipuum chariſma Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ſine quo Hierarchæ & eorum ſubditi Deiformes eſſe nequeunt: fundatur etiam in Petro tanquam in ſuo capite, in quo reſidet ſuprema poteſtas miniſterialis, „ de toto mundo, *in-* „ *quit*, unus Petrus eligitur, qui & univerſarum „ gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſ- „ que Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in „ populo Dei multi Sacerdotes ſint, omnes tamen

„ pro-

„ proprie regat Petrus, quos principaliter regit & „ Chriſtus. *Et infra:* Ergo fundamentum, præ- „ ter quod aliud nemo poteſt ponere; tamen tu quo- „ que petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ „ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum parti- „ cipatione communia, „ Hinc perſpicue Petrus in propria perſona eſt fundamentum, ſed merito confeſſionis, quam de Chriſto emiſit. Hinc S. Doctori idem eſt Eccleſiam fundari in Petro, & in ejus confeſſione; ſic enim pergit, „ & ſuper hanc petram ædificabo Ec- „ cleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt ad- „ verſus eam. Super hanc fortitudinem æternum ex- „ truam templum, & Eccleſiæ cælo inferenda ſubli- „ mitas in hujus fidei firmitate conſurget. Hanc con- „ feſſionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula „ non ligabunt; vox enim iſta vox vitæ eſt, propter „ quod dicitur beatiſſimo Petro, tibi dabo claves re- „ gni cælorum.

Inſtabis 1. atqui ſanctus Auguſtinus ita interpretatur hæc Chriſti verba, *ſuper hanc petram*, &c. de confeſſione Petri, ut excludat quam propugnamus interpretationem: ſic enim habet ſerm. 76. alias 13. de verbis Domini, *ſuper me ædificabo te: non me ſuper te:* Ergo.

Nego ſubſumptum: verba S. Doctoris integre ſunt referenda, ut appareat iſthæc mala fide nobis objici: ait enim, *ſuper hanc petram, quam cognoviſti; dicens: tu es* Chriſtus Filius Dei vivi, *ædificabo Eccleſiam meam: id eſt, ſuper me ipſum filium Dei vivi ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te.* Quis autem ita interpretatus eſt laudata Chriſti verba, ut aſſereret Chriſtum ſuper Petrum eſſe fundatum? immo omnium Catholicorum vox eſt, Petrum fundari in Chriſto, & ab ipſo robur & firmitatem accipere. Eccleſia igitur principaliter fundatur in Chriſto, & miniſterialiter in Petro.

Inſtabis iterum: Eccleſia fundatur quoque in aliis *Apoſtolis*, juxta illud Epheſ. 2. *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum:* Ergo.

Diſtinguo antecedens: fundatur in Apoſtolis cum ſub-

ſubordinatione ad Petrum utpote primum fundamentum miniſteriale, Concedo: ſine ſubordinatione, Nego antecedens. Omnes itaque Apoſtoli ſunt fundamenta Eccleſiæ, quia omnes & ſinguli miſſi ſunt a Chriſto ad fundandas Eccleſias ubique terrarum, ſed ſine præjudicio primatus Petri, qui eſt primarius lapis miniſterialis: plures quippe lapides concurrunt ad fundandum ædificium.

Urgebis: quod Chriſtus promiſit Matth. 16. hoc extendit ad ceteros Apoſtolos c. 18. *quæcunque ſolveritis ſuper terram*, &c. Hinc ſanctus Leo laudato ſer. 3. de ſua aſſumptione, expendens illa Chriſti verba, *tibi dabo claves regni cælorum*, ait, *tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos jus poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes Decreti hujus Conſtitutio commeavit*. Et S. Cyprianus l. de unitate Eccleſiæ: *hoc erat utique*, inquit, *& ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus*: Ergo.

Diſtinguo antecedens ut ſupra; extendit ad ceteros Apoſtolos, ſalva ſubordinatione ad Petrum tanquam ad eorum caput & Principem, Concedo: abſque ullo diſcrimine, Nego antecedens. Solutionem ſubminiſtrant iidem ipſi Patres, qui nobis objiciuntur. Sanctus enim Leo poſt laudata in objectione verba ſic pergit, „ ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter „ creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur, manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipſius æquitate fertur judicium. *Et in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem*: in ſimilitudine „ honoris *inquit*, fuit quædam diſcretio poteſtatis, & „ cum omnium par eſſet electio, uni tamen datum „ eſt, ut ceteris præmineret. *Sanctus quoque Cyprianus citato libro de unitate Eccleſiæ ſic habet*: quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam „ parem poteſtatem tribuat & dicat, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; tamen ut unitatem „ manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno „ incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. „ Quod autem ſanctus Doctor velit Petrum non ſolum tempore,

ſed

ſed etiam dignitate eſſe primum, ibidem declarat his verbis: „ Primatus datur Petro, ut Eccleſia una „ monſtretur. *Et infra*, Eccleſia Domini ramos ſuos „ in univerſam terram copia ſuæ ubertatis extendit; „ unum tamen caput eſt, & origo una.

Dices 2. Petrus palam reprehenſus eſt à Paulo; *Galat.* 2. Ergo Paulus non agnovit primatum in Petro.

Nego conſ. illa enim reprehenſio non fuit auctoritatis & ſuperioritatis; alioquin concludendum eſſet, Paulum fuiſſe Petro ſuperiorem, quod ne ipſi quidem Adverſarii ex illo facto concluderent. Illa ergo reprehenſio fuit caritatis, quia inferiores nonnunquam tenentur monere, & arguere ſuos ſuperiores: *rarius & ſanctius exemplum Petrus poſteris præbuit*, inquit S. Auguſtinus epiſt. 82. alias 19. *Quo non dedignarentur a poſterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus pro defendenda veritate, ſalva caritate, reſiſtere.* S. Cyprianus etiam epiſt. ad Quintum, laudat Petri humilitatem in hac reprehenſione: „ Nec vindicavit ſibi inſolentes, *in-„ quit*, aut arroganter aſſumpſit ut diceret ſe pri-„ matum tenere. *Et S. Gregor. hom. 18. in Ezech.* Se „ etiam minori fratri dedit ad conſenſum, quatenus qui „ primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus „ etiam in humilitate.

§. II.

Utrum ſanctus Petrus Romæ ſederit Epiſcopus uſque ad mortem?

NEgarunt ex Lutheranis Ulricus lib. integro hac de re edito, & Illyricus lib. contra primatum Papæ, ubi contra omnium etiam antiquorum fidem ſic habet: *Demonſtratio certa eſt, Petrum Romæ non fuiſſe.*

Calvinus hiſce Lutheranis cautior ſic ſcribit lib. 4. Inſtit. cap. 6. §. 15. *Propter Scriptorum conſenſum non pugno quin illic mortuus fuerit* (Petrus) *ſed Epiſca-*

ſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, mihi perſuadere nequeo.

Ideo autem Calvino ſua intereſſe non videtur, an Petrus Romam acceſſerit, ibique paſſus fuerit; ſed unum duntaxat impugnat, quod Romæ Epiſcopus extiterit uſque ad mortem, quia primatum Romani Pontificis præ cæteris fidei articulis ſubvertere nititur. Quod autem S. Petrus Romam acceſſerit, non ſequitur Romanum Pontificem ei in primatu ſuccedere, niſi ibidem Epiſcopus fuerit uſque ad mortem; nam S. Petrus Antiochiæ commoratus eſt, ibique ſedem fixit, nec propterea Epiſcopus Antiochenus magis dicendus eſt ſucceſſor Petri, quam alii Epiſcopi, quos Petrus creavit in Aſia, Bithynia, Cappadocia, & aliis Provinciis, in quibus Evangelium diſſeminavit. Petrus quippe Antiochia commigrans, non abdicavit Primatum & Apoſtolatum ſuum in gratiam Epiſcopi Antiocheni, quemadmodum Epiſcopus hoc ipſo, quo Sedi Epiſcopali renuntiat, auctoritate & juriſdictione Epſcopali ſpoliatur. Quis vero crediderit S. Petrum creato Epiſcopo Antiocheno, non remanſiſſe Apoſtolum, & omni poteſtate regendi Eccleſias fuiſſe deſtitutum? Fundata igitur Eccleſia Antiochena, quam per ſeptem annos rexit, Romam perrexit, nec Apoſtolatum aut Primatum depoſuit, niſi in morte. Unde ſi Epiſcopus Romæ non fuerit uſque ad mortem, ut contendit Calvinus, Romanus Pontifex non erit Petri ſucceſſor, nec proinde primatu ejus gaudebit. Contra autem Novatorum errores ad propoſitam quæſtionem

R. 1. S. Petrus aliquando Romam acceſſit.

Probatur 1. ex Papia Apoſtolorum diſcipulo, de quo iſta refert Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 15. „Papias, *inquit*, & hoc dicit, quod Petrus in prima „Epiſtola ſua, quam de urbe Ramana ſcripſit, meminerit Marci, in qua tropice Babyloniam Romam „nominavit, cum dicit: Salutat vos ea, quæ in Babylone eſt Eccleſia electa, & Marcus filius meus:„ Babylonem autem vocat non ipſam Eccleſiam, quam dicit electam; ſed urbem idololatriæ deditam. 2. Euſebius

ſebius cit. loco ſcribit S. Marcum Romæ ſcripſiſſe Evangelium, prout ibidem Petrum Apoſtolum prædicantem audierat. 3. Eadem aſſerunt S. Irenæus, Apoſtolorum temporibus vicinus, lib. 1. cap. 2. S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & alii paſſim.

R. 2. S. Petrus Romæ martyrio eſt coronatus.

Probatur ex Euſebio lib. 2. Hiſtoriæ cap. 25. in quo ſic ſcribit: „ Igitur Nero, ut apertum ſe hoſtem divinitatis, pietatiſque profeſſus eſt, id ſolum prius Apoſtolorum (quippe qui duces, & ſignifери erant in populo Dei) expetit neces: & Paulum quidem capite in ipſa urbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnat. Horum teſtimonium quærere extrinſecus ſuperfluum puto, cum rem geſtam inſignia uſque in hodiernum diem, & ſplendidiſſima eorum monumenta teſtentur. *Eadem Tertullianus lib. de præſcript. c. 36.* Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Felix iſta Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus paſſionis Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur. *Origenes etiam apud Euſebium lib. 7. Hiſtoriæ cap. 12. ſic loquitur*: Petrus ad ultimum in urbe Romæ commoratus ibi & crucifixus eſt, deorſum capite demerſo, quod ipſe ita fieri precatus eſt, ne exæquari Domino videretur „. Mitto alios Patres, qui una voce idem teſtantur, ut Dionyſius, Corinthius, Hegeſippus, Athanaſius Apolog. pro ſua fuga, Chryſoſtomus hom. 32. in epiſt. ad Rom. Lactantius lib. 4. cap. 21. Ambroſius oratione contra Maxentium; Hieronymus de viris illuſtribus, S. Auguſtinus lib. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. Ex quibus mirari licet audaciam Ulrici & Illyrici.

R. 3. S. Petrus rexit Romanam Eccleſiam uſque ad mortem.

Probatur ex conſtanti Traditione.

Euſebius in Chronico ſic habet: „ Petrus natione Galilæus, Chriſtianorum Princeps, cum primum

„ An-

„ Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam profici-
„ ſcitur, ubi Evangelium prædicans, 25. annis ejuſ-
„ dem urbis Epiſcopus perſeverat.

S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum Summum Pontificem: *Cum ſucceſſore Piſcatoris*, inquit, *& diſcipulo crucis loquor*.

S. Petrus Chryſologus adverſus Eutychetem; *Petrus*, inquit, *qui in propria ſede & vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem*.

S. Iſidorus in vita Petri: Hic, *inquit*, poſtquam
„ Antiochenam Eccleſiam fundavit, ſub Claudio Cæ-
„ ſare contra Simonem Magum Romam pergit, ibi-
„ que prædicans Evangelium 25. annis ejuſdem te-
„ nuit Pontificatum.

Denique Eccleſia Romana vocatur cathedra Petri a S. Cypriano, Innocentio I. Leone I. Joanne III. Agathone, &c. *Navigare audent*, inquit S. Cyprianus epiſt. 55. *ad Petri cathedram, atque Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*. Patres paſſim, ut S. Irenæus, Tertullianus, S. Epiphanius a S. Petro ducunt ſucceſſorem Romanorum Pontificum; *In urbe Roma*, inquit S. Epiphanius hæreſi 22. *ſucceſſio hanc conſequentiam habuit, Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, & Evariſtus*.

Dices: Definiri non poteſt tempus, quo Petrus Romam profectus ſit, nec quomodo ibi 25. annis ſederit. Nam certum eſt ipſum adfuiſſe Concilio Jeroſolymitano, Act. 15. Quod celebratum eſt anno 18. a Paſſione Domini. Ante autem illud Concilium Romam proficiſci non potuit; ſcribit enim Euſebius, Petrum anno quinto a paſſione Dominica Antiochiam perrexiſſe, ubi per ſeptem annos remanſit. Habetur etiam ex cap. 1. epiſt. ad Galatas, Paulum tertio poſt converſionem ſuam anno Petrum Jeroſolymis conveniſſe. Unde patet Petrum ante Concilium Jeroſolymitanum non fuiſſe e Judæa egreſſum, niſi cum profectus ad Antiochiam, & forte in Pontum, Aſiam, Cappadociam, & Bithyniam. Nec etiam poſt celebratum Concilium Romam pergere potuit, tum quia

Im-

Imperator Claudius tunc temporis Judæos Roma diſcedere præceperat, Act. 18. v. 2. tum quia Galat. 2. Petrus Antiochiæ a Paulo fuit reprehenſus, quod certe contigit poſt celebratum Concilium: Ergo nunquam Petrus Romam perrexit.

Nego conſeq. & dico Petrum manſiſſe quidem quinque circiter annis in Judæa; quo tempore Paulus potuit eum inviſere, & anno quinto perrexiſſe Antiochiam, & per illos ſeptem annos, quibus dicitur illam Eccleſiam rexiſſe, Pontum, Aſiam, &c. peragrare potuiſſe, tum rediiſſe Jeroſolymam circa annum undecimum a paſſione Domini, quo tempore fuit ab Herode in carcerem conjectus, ſed miraculo ſolutus Romam petiit anno ſecundo imperii Claudii, ut communiter docent antiqui Scriptores, ibique ſedem fixiſſe; & manſiſſe uſque ad annum nonum imperii ejuſdem Claudii, quo Judæos Roma expulit; atque ea occaſione Petrum rediiſſe Jeroſolymam, ubi Concilio præfuit. Mortuo autem Claudio duodecimo imperii anno, Petrum rurſus profectum Romam Nerone imperante, a quo tandem crucifixus eſt anno decimo quarto & ultimo ejus imperii.

Inſtabis 1. Paulus ſcribens ad Romanos Sancti Petri non meminit, quamvis pluribus Romæ degentibus multam ſalutem dicat: Ergo tunc Sanctus Petrus Romæ aberat.

Concedo totum; ſcripſit enim Paulus ad Romanos, cum profecturus eſſet Jeroſolymam, ut ipſemet teſtatur in eadem epiſtola: Jeroſolymis autem comprehenſus, a Judæis perductus eſt ad tribunal Felicis, qui Judææ præfuit circa finem imperii Claudii, a quo diximus Judæos Roma fuiſſe expulſos.

Quomodo ergo, inquies, Paulus potuit ſcribere ad Judæos Romæ agentes, cum inde receſſiſſe ſupponantur?

R. Potuerunt redire, ut patet de Aquila & Priſcilla, quos Paulus in eadem epiſtola ſalutari jubet, cum tamen conſtet ex cap. 18. & 19. Actuum eos Roma prius receſſiſſe ad Imperium Claudii.

Inſtabis 2. cum Paulus Romam adveniſſet, Judæi mi-

mirati ſunt ejus doctrinæ novitatem, *de ſecta hac*, inquiunt Act. cap. ultimo, *notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur, rogamus autem a te audire quæ ſentis*; ergo Petrus hactenus Romæ non docuerat.

Nego conſequentiam; laudata enim verba non ſunt omnium Judæorum, ſed aliquorum tantum, qui nondum fidem ſuſceperant; Paulum quippe jam ſcripſerat ad Romanos, fidem eorum jam eſſe notam in univerſo mundo.

Inſtabis 3. Paulus 2. Timoth. c. 4. *in defenſione mea*, inquit, *nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt*: Ergo Paulo Romam adveniente Petrus inde aberat.

Concedo totum; Petrus enim poterat abeſſe ad diſſeminandum verbum Dei in aliis locis, Romæ relictis Lino & Cleto, qui in ejus abſentia munia Epiſcopalia obibant.

Quanquam etiamſi adfuiſſet Petrus, Paulum juvare non poterat, utpote Neroni inviſus.

§. III.

Utrum Romanus Pontifex ſit jure divino Caput Eccleſiæ?

R. Affirmative: illud definiit ann. 1439. Florentinum Concilium, præſide Eugenio IV. ſummo Pontifice, Latinis & Græcis ſuffragantibus cum Patriarcha Conſtantinopolitano, & præſente Græcorum Imperatore. „ Definimus, *inquiunt Patres*, Sanctam „ Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in „ univerſum orbem terræ principatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti eſſe Vicarium, „ totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato „ Petro paſcendi, & regendi & gubernandi univerſam „ Eccleſiam, „ A DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO PLENAM POTESTATEM TRADITAM ESSE. Jam præiverat generale Concilium

lium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anno 1215. in quo ſic ſtatuitur: *Romana Eccleſia*, DISPONENTE DOMINO, *ſuper omnes alias ordinatæ poteſtatis obtinet principatum, utpote Mater univerſorum fidelium & Magiſtra.*

Probatur ex conſtanti univerſalis Eccleſiæ traditione. S. Irenæus lib. 3. cap. 3.,, ad hanc, *inquit*, Eccle-,, ſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt ,, omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt ,, undique fideles, in qua ſemper ab iis, qui ſunt undi-,, que, conſervata eſt, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.,, Sanctus quidem Irenæus expreſſe non dicit hanc prærogativam jure divino competere ſedi Apoſtolicæ; ſed hanc ejus fuiſſe mentem ſatis colligitur tum ex iis verbis, *neceſſe eſt*; tum ex circumſtantia temporis, quo ſcribebat, nempe 2. ſæculo, quo nullum Concilium adhuc celebratum fuerat, a quo Romanus Pontifex ejuſmodi privilegium accepiſſet.

Sanctus Athanaſius epiſt. ad Felicem Papam ſic ſcribit, *ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules in ſummitate arcis conſtituit* (Deus) *omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut nobis ſuccurratis.*

Innocentius I. epiſt. ad Concilium Carthaginenſe ſic habet,,, Patrum inſtituta Sacerdotali cuſtodientes of-,, ficio non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non hu-,, mana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid ,, de disjunctis remotiſque Provinciis ageretur, non ,, prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis noti-,, tiam pervenirent, ubi tota hujus auctoritate (juſta ,, quæ fuerit) pronuntiatio firmaretur, indeque ſume-,, rent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte, &c.,,

Concilium Chalcedonenſe generale IV. anno 451. epiſt. ad ſanctum Leonem de Dioſcoro Epiſcopi Alexandrino, qui in eundem Pontificem excommunicationis ſententiam ferre auſus fuerat, ſic ſcribit: ,, & ,, poſt hæc omnia inſuper & contra ipſum, cui vi-,, neæ cuſtodia a SALVATORE commiſſa eſt, ex-,, tendit inſaniam, id eſt, contra tuam quoque Apo-,, ſtolicam Sanctitatem.

San-

Sanctus Leo, epiſtola ad Epiſcopos Africæ ; „ ratio pietatis , *inquit*, exigit, ut pro ſolicitudine , „ quam univerſæ Eccleſiæ ex DIVINA INSTITUTIONE impendimus rerum fidem, ſtuderemus agnoſcere, „ vicem curæ noſtræ proficiſcenti a nobis fratri & „ conſacerdoti noſtro Potentio injungentes. „

Concilium II. Nicænum VII. generale anno 787. act. 2. recipit & probat epiſtolam Adriani in qua ſic ſcripſerat, „ cujus ſedes per totum terrarum orbem „ primatum obtinens lucet , omniumque Eccleſiarum „ Dei caput exiſtit ; unde & ipſe Beatus Petrus Apoſtolus DEI JUSSU Eccleſiam paſcens nihil omnino „ prætermiſit, ſed ubique principatum obtinuit & „ obtinet. „

Sanctus Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium ſummum Pontificem cap. 8. ſic habet , Quis „ es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex , tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum ... poteſtate Petrus, unctione Chriſtus: tu es , cui claves „ traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii „ cæli janitores, gregumque paſtores , ſed tu tanto „ glorioſius, quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos greges, ſingulis ſingulos : tibi univerſi crediti , uni „ unus, nec modo ovium, ſed & Paſtorum tu unus „ omnium Paſtor. „

Mitto alios SS. Patres, ut Cyprianum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum , Chryſoſtomum , Ambroſium , Hieronymum , Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum , qui quidem omnes agnoſcunt primatum Romani Pontificis: ſed non ita clare explicant , utrum hocce privilegium poſſideat ex inſtitutione divina.

Probatur 3. duplici ratione Theologica.

Prima, Quod ſemper & ubique obſervatum eſt, nec invenitur ab aliquo Concilio inſtitutum , illud cenſeri debet divinitus traditum : atqui Epiſcopus Romanus ſemper & ubique creditus eſt Caput univerſalis Eccleſiæ, nec ab ullo Concilio hancce dignitatem accepit, cum ea gauderet , priuſquam celebrata eſſent Concilia, ut patet ex Sancto Irenæo ſupra laudato.

Se-

Secunda. Qui eſt legitimus ſucceſſor Principis Apoſtolorum, ille gaudet ejus privilegiis, Eccleſiæ & ejus unitati ſervandæ neceſſariis; atqui Romanus Pontifex eſt legitimus ſucceſſor Principis Apoſtolorum, ut demonſtratum eſt paragrapho præcedenti. Ergo Romanus Pontifex gaudet primatu S. Petri, utpote Eccleſiæ neceſſario ad tuendam ejus unitatem.

Dixi, ſucceſſorem Principis Apoſtolorum gaudere ejus privilegiis, quæ Eccleſiæ ſunt neceſſaria, ut ſervetur ejus unitas, quia duplicis generis privilegia Beato Petro conceſſa ſunt: alia perſonalia, ad propriam ejus ſanctificationem & perfectionem, ut gratia ſanctificans, in qua ita confirmatus eſt poſt deſcenſum Spiritus ſancti, ut ab omni peccato mortali eſſet immunis; alia in gratiam aliorum & totius Eccleſiæ, & hæc rurſus fuerunt duplicis generis: alia ad tempus neceſſaria, ut miraculorum dona: alia quovis tempore neceſſaria, ut poteſtas clavium. Privilegia primi & ſecundi generis non tranſierunt ad Beati Petri ſucceſſores. Romanus Pontifex ex eo quod Principi Apoſtolorum legitime ſuccedat, non eſt in gratia ſanctificante confirmatus, non ſuſcitat mortuos, non ſua umbra infirmis ſalutem corporis reſtituit; quia iſthæc privilegia non ſunt neceſſaria ad Eccleſiæ regimen, & ad ſervandam ejus unitatem, quemadmodum neceſſaria eſt *poteſtas* ligandi & ſolvendi, & primatus in tota Eccleſia. Ergo ſicut ceteri Apoſtoli in ſuos ſucceſſores ex Chriſti ordinatione tranſmiſerunt claves Eccleſiæ, ſeu poteſtatem ligandi atque ſolvendi; ita Princeps Apoſtolorum in Pontificem Romanum legitimum ſuum ſucceſſorem tranſtulit primatum, quo ſupra ceteros Apoſtolos præeminebat; cum ſine eo ſtare nequeat Eccleſiæ unitas & integritas, ut patet ex Eccleſiis Schiſmaticis, quæ veluti membra a capite ſeparata, ſtatim contabuerunt, vel computruerunt. Quid referam abſurda & propudioſa, in qua veteres Schiſmatici, ut Donatiſtæ, Eutychiani, prolapſi ſunt, ubi a ſede *Apoſtolica* receſſere, cum Pſeudo-reformati quotidie funeſta exempla ſuppeditent, ſalutem Chriſtianæ *Reipublicæ* abſque communione cum ſede Apoſtoli-

ca

ea non poſſe conſiſtere? Annon videmus illos extra Petri naviculam tanquam naufragos reciprocis variorum errorum fluctibus obrui, ac tandem miſere perire? Quapropter aliorum malis edocti, & in fide Catholica de Primatu Romani Pontificis confirmati, creſcat in dies noſtra in Sedem Apoſtolicam reverentia & obedientia, nec audiamus quorundam oblocutiones, qui nævos in commûni Chriſtianorum patre deprehendere arbitrantur, ne maledictionem Chanaan in nos provocemus.

Dices 1. S. Cyprianus in Concilio Carthagine habito ſic loquitur, „ Neque enim quiſquam noſtrum „ Epiſcoporum ſe eſſe Epiſcopum conſtituit, aut ty„ rannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Col„ legas ſuos adigit, cum habeat omnis Epiſcopus pro „ licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium pro„ prium, tanquam judicari ab alio non poſſit; „ cum nec ipſe poſſit alterum judicare. „ Ergo ſanctus Cyprianus Epiſcopo Romano primatum *adjudicavit*.

R. 1. negando conſequentiam, utpote quæ menti S. Doctoris manifeſte adverſetur, ſi enim nullus Epiſcopus ab alio judicari poſſit, fruſtra Archiepiſcopi & Primates, nullum Concilium cogerent adverſus Epiſcopos delinquentes. Abſit autem tanta abſurditas a mente S. Cypriani, qui in epiſt. ad S. Stephanum urget ſanctum Pontificem, ut jubeat deponi Marcianum Epiſcopum Arelatenſem, & alium ejus loco inſtitui. Itaque

R. 2. Diſtinguo antecedens. Epiſcopus ab alio judicari non poteſt in iis, quæ non repugnant fidei & bonis moribus, aut receptis Eccleſiæ legibus, Concedo: ſecus, Nego antecedens. In hac autem Epiſtola Sanctus Cyprianus verſat quæſtionem, num baptizati ab hæreticis rebaptizandi ſint, necne, cenſetque ſanctus Doctor id relinquendum eſſe arbitrio cujuſque Epiſcopi, cum anceps eſſet circa quæſtionem illam, circa quam Eccleſia nondum ſtatuerat. Conſule quæ in hanc rem dicta ſunt tractatu de Sacramentis in genere cap. 14.

Di-

Dices 2. S. Hieronymus in epiſt. ad Evagrium ſic habet: „ Si auctoritas quæritur, Orbis major eſt Ur-
„ *be*; quid mihi profers unius Urbis conſuetudinem?
„ quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in
„ leges Eccleſiæ vindicas? Ubicumque fuerit Epiſco-
„ pus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopo-
„ li, ſive Regii, ſive Alexandriæ, ejuſdem meriti eſt
„ & ejuſdem Sacerdotii; potentia divitiarum, & pau-
„ pertatis humilitas ſublimiorem vel inferiorem Epi-
„ ſcopum non facit: *Ergo*.

Diſtinguo antecedens, omnes Epiſcopi ſunt ejuſdem meriti & Sacerdotii, poteſtate Ordinis, Concedo; poteſtate juriſdictionis, Nego antecedens, & quidem ad mentem Sancti Hieronymi, qui licet ordinatus fuiſſet a Paulino Epiſcopo Antiocheno, & ejus juriſdictioni ſubderetur, ſic tamen ſcribit ad Damaſum ſummum Pontificem: „ Quanquam igitur tui me ter-
„ reat magnitudo, invitat tamen humanitas: a Sacer-
„ dote victimam ſalutis, a Paſtore præſidium oris fla-
„ gito: cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis
„ loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequor,
„ Beatitudinis tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communio-
„ ne conſocior. Super illam petram ædificatam Eccle-
„ ſiam *ſcio*: quicumque extra hanc domum agnum
„ comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non
„ *fuerit*, peribit, regnante diluvio..... hic collegas
„ tuos Confeſſores Ægyptios ſequor, non novi Vita-
„ lem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, (*hi*
„ *tres Epiſcopi in Schiſmate Antiochiæ orti inter ſe*
„ *contendebant pro ſede Antiochena*) quicumque tecum
„ non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt,
„ Antichriſti eſt.

Sanctus igitur Hieronymus in Epiſtola, quæ nobis objicitur, directe impetit Diaconos Romanos, qui contra morem totius Eccleſiæ adverſus Presbyteros ſupercilium erigebant, contenditque ejuſmodi corruptelam non eſſe in exemplum trahendam, immo nec tolerandam, etiamſi proximi aſſiſterent Summo Pontifici, cujus auctoritas in hac parte non debet opponi univerſalis Eccleſiæ diſciplinæ, quin & inſtitutioni Chriſti,

Di-

Dices 3. Primatus Romani Pontificis ſtatuitur in I. Concilio Niceno can. 6. his verbis, „ Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt: „ Ergo Romanus Pontifex non jure divino, ſed humano eſt Caput Eccleſiæ.

Nego conſeq. Nam ex Nicolao I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem, Concilium Nicænum nihil ſtatuit circa Romanam Eccleſiam, quoniam poteſtas ejus à Deo eſt, non ab hominibus, ſed tantum ad ejus exemplum ordinavit ſtatum, & juriſdictionem Patriarchæ Alexandrini. Laudatus Canon aliis verbis refertur a Paſchaſio act.16. Concilii Chalcedonenſis, nempe, *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, mos autem perduret*, & lecto Canone Concilii. Judices dixerunt, *prætendimus omnem primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo ſervari.*

Inſtabis: Conc. Chalced. can. 28. docet privilegium Romani Pontificis eſſe ex inſtitutione Eccleſiæ; ſic enim habet, „ Antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerant, & „ eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei „ amantiſſimi Epiſcopi (*in Concilio Conſtantinopolitano* „ *congregati*) Sanctiſſimæ novæ Romæ throno æqualia „ privilegia tribuerunt, recte judicantes, Urbem, quæ „ & imperio & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum „ antiquiſſima regina Roma privilegiis fruatur, etiam „ in rebus Eccleſiaſticis non ſecus ad illam extolli & „ magnificari. *&c. Ergo*.

R. 1. Canonem illum non fuiſſe conciliariter conditum, ſed ambitu & prenſationibus Anatolii Epiſcopi Conſtantinopolitani aliis Canonibus adjectum, abſentibus Legatis Summi Pontificis, qui poſtea contradixerunt, ſicut & Sanctus Leo, & nonnulli alii ex ejus ſucceſſoribus.

R. 2. Diſtinguendo antecedens, privilegium, quo gaudet Romanus Pontifex aut Patriarcha Occidentis, Con-

Concedo; ut Caput Eccleſiæ, & ſucceſſor principis Apoſtolorum: Nego antecedens.

Itaque in Romano Pontifice quadruplicis generis eſt principatus. 1. eſt Epiſcopus, & ratione hujus dignitatis functiones Hierarchicas exercet in ſua diœceſi immediate ſibi ſubdita. 2. eſt Metropolitanus, & ſub eo titulo exiſtit Caput unius Provinciæ, cujus Epiſcopi Oſtienſis, Portuenſis, &c. ſunt ſuffraganei, a quorum judicio ad Epiſcopum Romanum tanquam ad Metropolitanum immediate provocatur. 3. eſt Patriarcha totius Occidentis: ſub qua ratione ipſi competunt jura Patriarchalia, quæ non extenduntur ad alios Patriarchatus: v. g. ad ipſum immediate recurritur pro ordinationibus Epiſcoporum, pro quibuſdam diſpenſationibus, & abſolutionibus, cum pro hujuſmodi ex aliis Patriarchatibus ad ipſum non eatur. 4. eſt Caput totius Eccleſiæ, & hoc ſingulare eſt ejus privilegium, non ab hominibus, ſed a Deo ipſi collatum.

Porro in canone 6. Concilii Nicæni, & 28. Chalcedonenſis ſermo eſt dumtaxat de primatu Patriarchali, quem non negamus eſſe inſtitutionis Eccleſiaſticæ, ſicut & Metropolitanorum poteſtatem: Patres enim Nicæni volunt citato can. 6. ut Epiſcopus Alexandrinus gaudeat privilegiis Patriarchæ per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, quemadmodum Epiſcopus Romanus eis fruitur in Occidente, ſaltem in ſuburbicariis provinciis, id eſt, quæ Præfecto urbis ſuberant. In Chalcedonenſi vero Canone confirmatur & ampliatur Canon tertius Concilii Conſtantinopolitani, in quo 150. Epiſcopi decreverant Epiſcopo Conſtantinopolitano honorem Patriarchæ propter amplitudinem & dignitatem Urbis, quæ tum evaſerat Imperatorum ſedes; & per Conſtantinum amplificata fuerat, a quo & nomen accepit, nempe, Conſtantinopolis, cum antea Byſantium vocaretur. Patres vero Chalcedonenſes retractantes canonem tertium Concilii Conſtantinopolitani Epiſcopo Conſtantinopolitano non ſolum honorem, ſed & juriſdictionem Patriarchæ tribuerunt, eique detulerunt primum locum inter Patriarchas

Orientis, & immediate poſt Romanum Pontificem; utpote qui eſſet Epiſcopus regiæ urbis, & novæ Romæ.

Cum igitur ſummus Pontifex jure humano alia præſtet ut Metropolitanus in ſua provincia, alia ut Patriarcha in Occidentali Patriarchatu;

Q. *Quænam ſummo Pontifici conveniunt jure divino ut capiti totius Eccleſiæ, non ſolum in Occidente, ſed etiam in Oriente, & univerſo terrarum orbe?*

R. Omiſſis iis, de quibus eſt controverſia, certum eſt ea ipſi competere jure divino, ſine quibus ſervari non poteſt Eccleſiæ unitas; *Primatus* enim *datur Petro, ut Eccleſia una monſtretur*, inquiebat ſupra Sanctus Cyprianus, & Sanctus Hieronymus, *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio*. Ex quo principio ſequitur neceſſario ad ſummum Pontificem jure divino pertinere,

1. Invigilare, ut Eccleſiæ Decreta tum circa fidem, tum circa mores illibata ſerventur, alioquin Eccleſiæ unitas, ordo, & tranquillitas ſervari non poſſunt, *defenſores divinorum Canonum, & cuſtodes ſumus, non prævaricatores*, inquit Martinus I. epiſt. 5. & Agapetus I. ep. ad Cæſarium Arelatenſem, *divini conſideratione judicii neceſſe nobis eſt, quidquid Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter cuſtodire*.

2. Ipſius eſt tueri Epiſcopos adverſus eos, qui vel illos injuſte opprimunt, vel eorum juribus detrahunt; *Confirma fratres tuos:* ait Chriſtus ad Petrum. Unde Sanctus Athanaſius laudata epiſt. ad Felicem Papam, *ob id vos, prædeceſſoreſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules, in ſummitatis arce conſtituit* (Deus) *omniumque Eccleſiarum curam habere præcepit, ut his ſuccurratis*, quod Romani Pontifices hactenus ſtrenue præſtiterunt, ut Julius I. erga eundem S. Athanaſium, Innocentius I. erga S. Chryſoſtomum, & Nicolaus I. erga S. Ignatium Conſtantinopolitanum, quem Photius e propria Sede per calumniam deturbaverat.

3. Eodem Jure divino Judex eſt controverſiarum in

in rebus fidei & morum, tum maxime cum Epiſcopi inter ſe diſſentiunt, vel pares non ſunt ad illas ſopiendas. Sic Zoſimus ſummus Pontifex finem fecit turbis Pelagianorum, Felix IV. Semipelagianorum, Innocentius X. Alexander VII. & Clemens XI. Janſenianorum, antecedente conſenſu Eccleſiarum.

4. Ubi privatis Eccleſiis judicio ſummi Pontificis non acquieſcentibus, mota controverſia magis exardeſcit, ut contingit in cauſſa Neſtorianorum, Monothelitarum, & Pſeudoreformatorum, jus habet ſummus Pontifex indicendi Concilium generale, eique præſidendi.

CAPUT V.

De gradu & loco, quem Epiſcopi divinitus obtinent in Hierarchia.

DUo jam ex dictis conſtat. Primum ex paragrapho præcedenti, Summum Pontificem jure divino præeminere Epiſcopis; ſecundum ex cap. 5. paragr. 14. 1. partis, Epiſcopos eodem jure divino ſuperiores eſſe Presbyteris poteſtate non ſolum *ordinis*, ſed etiam *juriſdictionis*. Duo ſuperſunt duntaxat hic diſcutienda. Primum, utrum Epiſcopi in Hierarchia agant ſolummodo nomine ſummi Pontificis, & ut Vicarii ejus delegati, an propria poteſtate ſibi a Chriſto collata. Secundum, utrum poteſtatem ſuam immediate a Chriſto accipiant, vel mediante Summo Pontifice. Itaque

Q. 2. *Epiſcopi reguntne Eccleſias ſibi commiſſas proprio nomine, & tanquam Principes a Chriſto conſtituti?*

R. Communiter affirmant Catholici.

Probatur ex Scriptura, Matth. 18. omnibus Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus dicitur: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.*

 Matth.

Matt. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes* , &c. Joann. 20. *ſicut miſit me Pater* , *&* *ego mitto vos* . Act. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi* , *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* . Ex quibus locis ſic conficitur argumentum . Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, ſicut Romanus Pontifex beato Petro: atqui ex Chriſti verbis Petrum alloquentis , Matth. 16. *quodcumque ligaveris ſuper terram* , &c. Joan. ultimo , *paſce oves meas* , certo colligitur Romanum Pontificem a Chriſto inſtitutum eſſe caput univerſalis Eccleſiæ : ergo pariter ex vobis Apoſtolos ſpectantibus colligitur Epiſcopos a Chriſto inſtitutos Principes Eccleſiarum, quibus legitime præficiuntur.

Major probatur ex Patribus.

S. Cyprianus epiſt. 69. ſic ſcribit , „ Chriſtus dixit ad Apoſtolos , ac per hos ad omnes Præpoſitos ; „ qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt , *qui vos* „ *audit* , *me audit* . *Et Epiſt.* 65. meminiſſe autem „ Diaconi debent , quoniam Apoſtolos , id eſt , Epiſcopos & Præpoſitos Dominus elegit : Diaconos autem poſt Aſcenſum Domini in cælos Apoſtoli ſibi „ conſtituerant , Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros . Quod ſi nos aliquid audere contra Deum poſſumus , qui Epiſcopos facis , poſſunt & hi contra „ nos audere, a quibus Diaconi fiunt.

S. Hieronymus epiſt. ad Evagrium ſcribit , *omnes* (Epiſcopi) *Apoſtolorum ſucceſſores ſunt* , Et Dialogo contra Luciferianos , *apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent* .

S. Gregorius hom. 26. in Evangel. „ horum profecto Apoſtolorum nunc in Eccleſia Epiſcopi locum „ tenent . *Et lib.* 7. *epiſt.* 30. *ad Epiſcopos* , loco „ fratres eſtis , moribus patres . . . . univerſalem me „ Papam dicentes imprimere curaſtis . Quod peto , „ dulciſſima mihi ſanctitas veſtra ultra non faciat : „ quia vos ſubtrahitur quod alteri pluſquam ratio exigit , præbetur .

S. Bernardus lib. 4. de conſid. cap. 3. ad Eugen. *erras* , *ſi ut ſummam* , *ita & ut ſolam inſtitutam a Deo veſtram Apoſtolicam auctoritatem exiſtimas* . Vide

plura

plura tractatu de Legibus, cap. 12. de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

Dices: Eccleſia eſt una: ergo regimen ejus debet eſſe Monarchicum: atqui regimen Eccleſiæ non eſſet Monarchicum, ſed Ariſtocraticum, ſi Epiſcopi propria auctoritate Eccleſias ſibi creditas regerent; Monarchia enim eſt imperium unius, qui ſub ſe habet Præfectos & Magiſtratus tanquam Miniſtros a ſe conſtitutos, qui ejus nomine & auctoritate Rempublicam admini-ſtrant; Ariſtocratia vero eſt Optimatum, ſeu Nobilium imperium, qui proprio nomine & auctoritate imperant: ergo Epiſcopi non agunt in hierarchia, niſi ut Vicarii & delegati Summi Pontificis, quemadmodum Provinciarum & Urbium Præfecti & regno principatum exercent Regis nomine & Auctoritate.

Diſtinguo conſeq. cum Cardinali Bellarmino lib. 1. de Romano Pontifice cap. 3. 5. & 8. regimen Eccleſiæ eſt Monarchicum Ariſtocratico temperatum. Concedo: eſt pure Monarchicum; Nego, conſeq. Itaque duplex eſt regimen Monarchicum: aliud purum, in quo omnia adminiſtrantur unius nomine & auctoritate, ut in Francorum regno, in quo Provinciarum Præfecti, & Civitatum Magiſtratus Rempublicam adminiſtrant, non ſuo, ſed Regis nomine, tanquam ab ipſo delegati; aliud Ariſtocratia admixtum ut Romanum Imperium, in quo Imperator ita eſt ſupremus Monarcha, ut ſub ſe habeat plures Principes, qui proprio nomine dominantur, ſinguli in ſua ditione ac principatu, & quamvis ſubdantur Imperatori, teneanturque communibus Imperii legibus, regunt tamen ſibi ſubditos propria auctoritate & propriis legibus, quas Imperator non poteſt ſolvere, niſi communi Imperii bono adverſentur; ſedent in generalibus Imperii comitiis, non ut meri Conſiliarii Imperatoris; ſed ut Judices, quorum ſuffragia, ſi pluralitate vincant, Imperatori comitiorum Præſidi contemnere non licet. Similiter in hierarchia Eccleſiaſtica Pontifex Romanus præeſt ſingulis Epiſcopis tanquam caput & ſupremus Monarcha, jus ipſis dicit, & in

ſingulos, cujuſcunque gradus & dignitatis, vim habet coactivam ubi agitur de communi Reipublicæ Chriſtianæ bono, ac de receptis Eccleſiæ univerſalis legibus. Sed ſacra ejuſmodi monarchia temperatur *Ariſtocratia*, nam Epiſcopi a Chriſto ſunt inſtituti tanquam Principes, qui in Conciliis Œcumenicis cum ſummo Pontifice Præſide decernunt ut Judices; ſuas diœceſes non vicaria ſed propria auctoritate gubernant, novas leges condunt pro ſubditorum neceſſitate & utilitate.

Communi huic doctrinæ Eccleſia Gallicana præ ceteris mordicus adhæret; cum ea nitantur qui libertates, ut fuſe expoſuimus citat. c. 12. tract. de Leg. quod operæ pretium eſt hic conſulere.

Addit Bellarminus laudato cap. 3. Democratiam in Eccleſiaſtica Hierarchia locum quodammodo habere, quatenus ſcilicet in Eccleſia, virtuti, non generi defertur, & nemo eſt, etiam ex infima plebe, qui ad primos Eccleſiæ gradus vocari non poſſit, ſi merita ei ſuffragentur.

Inſtabis; cum Chriſtus exhibere ſibi voluerit glorioſam Eccleſiam, ut dicitur Eph. 5. dubium non eſt, quin optimam regiminis formam in ea inſtituerit: atqui regimen pure Monarchicum eſt perfectiſſimum, & quidem omnium non ſolum Chriſtianorum, ſed etiam Paganorum judicio, *cum in hoc omnis natura conſentiat*, inquit S. Cyprian. lib. de vanitate idolorum, Rex unus eſt apibus, Dux unus in gregibus; unus ſpiritus diverſa membra in unum corpus colligit & ordinat; unus Paterfamilias domum regit; denique unus mundi Rector univerſa quæcumque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute illuminat: quid vero optandum magis creaturæ, quam ut conditorem ſuum, quantum fieri poteſt, imitetur? Ergo.

Diſtinguo minorem, cum eodem Bellarmino: regimen pure Monarchicum eſt omnium perfectiſſimum, ſi abſolute & ſecundum ſe ſpectetur, Concedo: ſi comparate ad circumſtantias, ac præſertim ad naturam peccato originali infectam, Nego minorem. Namque 1. ſacer Eccleſiæ principatus non ad unam gentem,

ſed

ſed ad omnes orbis partes extenditur: non poteſt autem unus & idem homo per ſe omnibus intendere: ergo neceſſe eſt, ut per alios, ſive Vicarios & delegatos, ſive Principes innumeris populis provideat, non per Vicarios & delegatos; tum, quia Delegati non æque diligenter gregem alienum curant, ac proprium: tum, quia varii mores nationum tam disjunctarum regi nequeunt una lege, & uno principe. 2. in ſtatu naturæ corruptæ timendum eſt, ne in regimine ſe interſerant inordinati appetitus propriæ excellentiæ, inanis gloriæ, rei alienæ, & aliæ ejuſmodi cupidines, propter quas melius fuit imperium Monarchicum temperari Ariſtocratico, in quo plures Principes, ubi neceſſe fuerit, inter ſe conveniant ad terminandas controverſias, inſpirante eo, qui dixit Matth. 18. *ubi... ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Q. 2. *Epiſcopi habentne juriſdictionem a Chriſto immediate, an mediante ſummo Pontifice?*

Hic inter ſe diſſentiunt Catholici.

Prima ſententia eſt Cardinalis de Turrecremata l. 2. de Eccleſia c. 54. ubi docet, Apoſtolos non a Chriſto immediate, ſed a Petro juriſdictionem accepiſſe; ac conſequenter Epiſcopos, qui Apoſtolis ſuccedunt. Sed ejuſmodi ſententia defendi non poteſt, utpote contraria ſacris ſcripturis, eamque refellit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 23. namque Paulus Galat. 1. teſtatur ſe Apoſtolatum accepiſſe nullo mediante Apoſtolo, *Paulus Apoſtolus*, inquit, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem*. De ceteris vero Apoſtolis habetur Luc. 6. *cum dies factus eſſet, vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit*. Et Joann. 20. Chriſtus ad omnes Apoſtolus ait, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

Secunda ſententia eſt Bellarmini cit. lib. 4. c. 24. & aliorum non paucorum, qui contendunt Romanum Pontificem a Chriſto quidem immediate habere juriſdictionem, ceteros vero Epiſcopos nonniſi mediante Romano Pontifice; alias, inquiunt, tolleretur Eccleſiæ

unitas, & primatus ſummi Pontificis: nulla enim appareret Epiſcoporum a ſummo Pontifice dependentia, illimitataque eſſet eorum juriſdictio; ſicut & Apoſtolorum, qui in univerſo Orbe actus hierarchicos exercere poterant.

Tertia ſententia eſt Franciſci Victoria prælect. 2. de poteſtate Eccleſiæ quæſt. 2. Alphonſi a Caſtro lib. 2. cap. 24. de juſta hæreticorum punitione, & aliorum, ac præſertim Theologorum Pariſienſium, cum quibus ad propoſitam quæſtionem,

R. Epiſcopi juriſdictionem non a ſummo Pontifice, ſed a Chriſto immediate accipiunt.

Probatur: ideo Romanus Pontifex a Chriſto immediate habet juriſdictionem in univerſo Orbe, quia ſuccedit Beato Petro, quem Chriſtus conſtituit Caput univerſalis Eccleſiæ: atqui Epiſcopi ſimiliter ſuccedunt Apoſtolis, quos Chriſtus inſtituit Eccleſiæ Principes: ergo Epiſcopi æque a Chriſto immediate juriſdictionem accipiunt, ac ſummus Pontifex.

Minor probatur auctoritate SS. Patrum, & celeberrimorum Theologorum adverſus ſecundæ ſententiæ patronos, qui contendunt Epiſcopos non proprie ſuccedere Apoſtolis, ſed improprie tantum & per quandam ſimilitudinem ac proportionem, ut loquitur Bellarminus cap. 25. citati libri.

S. Cyprianus epiſt. 65. „ Apoſtolos, id eſt, Epi„ ſcopos & Præpoſitos Dominus elegit *epiſt.* 69. Chri„ ſtus dicit ad Apoſtolos, ac per hos ad omnes Præ„ poſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſucce„ dunt: „ qui audit vos, me audit.

S. Firmilianus epiſt. ad S. Cyprianum, quæ eſt 75. inter Epiſt. ejuſdem S. Cypriani, „ poteſtas ergo pec„ catorum remittendorum Apoſtolis data eſt, Eccleſiis „ quas illi a Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis „ qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt. „

S. Hieronymus epiſt. 85. *ceterum*, inquit, *omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

Concilium Aquiſgranenſe cap. 7. ſic habet, „ hic „ ergo (*Petrus*) ligandi ſolvendique poteſtatem pri„ mus accepit . . . & ceteri Apoſtoli cum Petro per

„ con-

„ conſortium honoris & poteſtatis acceperunt, qui „ etiam in toto Orbe diſperſi Evangelium prædica„ runt, quibus ſucceſſerunt Epiſcopi, qui ſunt con„ ſtituti per totum mundum in ſedibus Apoſtolo„ rum. „

Nicolaus I. epiſt. 47. ac ſcribit, *ſubiturus tamen ad cælos hanc* (Eccleſiam) *Apoſtoli commendavit, ac per eos tanquam hæreditario jure ſucceſſoribus eorum, nobis ſcilicet, quos Paſtores & Epiſcopos, ac Pontifices ſuper ipſam conſtituit*. Hic Epiſcopi hæreditario jure ſuccedunt Apoſtolis, & cum ita ſuccedunt, a Chriſto ut Apoſtoli poteſtatem juriſdictionis obtinent.

Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, *de ſolis Apoſtolis legitur, quorum viam tenent Epiſcopi*.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 4. *Sacroſancta Synodus declarat, præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſuccedunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, a Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei*.

Gerſonius de ſtatibus Eccleſiaſticis, conſideratione 2. *Status Prælationis Epiſcopalis in Eccleſia, quoad ſui collationem primariam, fuit immediate a Chriſto datus primis Apoſtolis, ſicut ſtatus Papalis Petro; licet poſtmodum talis collatio vel acquiſitio fieri potuerit, & facta ſit in ſucceſſoribus per homines, ſicut Mathias factus eſt Apoſtolus per electionem, & ſortem; & ſucceſſores etiam Petri fiunt nunc per humanam electionem Dominorum Cardinalium, qui modus potuit & poteſt variari*.

Joannes Major. in 4. diſt. 24. *reliquos Apoſtolos*, inquit, *Epiſcopos factos a Chriſto diximus poſt reſurrectionem; & per conſequens tam Epiſcopi, quam Curati ſunt de jure divino, quemadmodum Romanus Pontifex: nec aliquis purus homo poteſt illas poteſtates tollere ab Eccleſia, pluſquam ſummum Pontificatum; licet Paludanus & de Turrecremata teneant oppoſitum. Sed hoc quod ipſi tenent, cenſuit in fide hæreſim Facultas noſtra*.

Facultas Pariſienſis anno 1429. damnavit ſequentes

M 5 pro-

propoſitione cujuſdam Joannis Sarazin Prædicatoris ; „ 1. Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ a „ Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Papa, quantum ad „ inſtitutionem & collationem. 2. Hujuſmodi poteſtates non ſunt de jure divino, nec immediate inſtitutæ a Chriſto. 3. Dicere inferiorum Prælatorum „ poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive „ Curati, eſſe immediate a Deo ſicut poteſtatem Papæ, „ veritati quodammodo repugnat. „ Quas propoſitiones, idem Joannes Sarazin, agente ſacra Facultate, revocavit in hunc modum : „ 1. Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ a Papali poteſtate, ſunt „ ab ipſo Chriſto quantum ad inſtitutionem & collationem primariam : a Papa autem & ab Eccleſia „ quantum ad limitationem & diſpenſationem miniſterialem. 2. Hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino, & immediate inſtitutæ a Deo. 3. Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive „ ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediate a Deo ; „ Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.

Similem explicationem anno 1442. exegit ſacra Facultas a quodam Nicolao Quadrigarii Ordinis S. Auguſtini, & anno 1656. a Franciſco Guillou. Denique cum delatus fuiſſet ad ſacram Facultatem libellus, in quo hæc continebantur propoſitiones : „ 1. Epiſcopi „ accipiunt a Papa juriſdictionem Epiſcopalem, quam „ exercent in populo ſibi ſubditos. 2. Poſita inſtitutione Epiſcoporum immediate a Chriſto ſtatuenda „ eſt omnimoda inter Epiſcopos & ſummum Pontificem æqualitas, & nulla ſubordinatio : „ ſacra Facultas ejuſmodi propoſitiones ſua cenſura perſtrinxit his verbis, „ falſæ ſunt, verbo Dei contrariæ, & „ olim a ſacra Facultate reprobatæ. In quantum „ vero poſita inſtitutione Epiſcoporum immediate a „ Chriſto facta, colligit auctor omnimodam inter „ Epiſcopos & ſummum Pontificem ferre æqualitatem, & nullam ſubordinationem, falſæ ſunt, temerariæ, & præbent occaſionem ſubvertendi ordinem hierarchicum, præſertim vero Primatum ſummi Pontificis. „

In

In his omnibus teſtimoniis Epiſcopi æque proprie ſuccedunt Apoſtolis, ac Romanus Pontifex Principi Apoſtolorum, nec patroni oppoſitæ ſententiæ ullum teſtimonium proferre poſſunt, quo probent Romanum Pontificem diverſo modo ſuccedere Petro in ejus Primatu. Attamen cum noſtra controverſia ſit de facto, quod ex ſola Chriſti voluntate pendet, quæ in ejuſmodi rebus liberis & minime neceſſariis, nobis non innoteſcit, niſi per Scripturam & Traditionem: quæſtio, in qua verſamur, auctoritate ſolvi debet, non ratione. Quanquam ad momenta adverſariorum ex ratione petita in gratiæ ſecundæ ſententiæ facile eſt correſpondere.

Ad primum, ut ſervetur Eccleſiæ unitas & primatus ſummi Pontificis, ſatis eſt, quod Chriſtus Apoſtolos & eorum ſucceſſores inſtituerit cum ſubordinatione, illos ad Petrum, iſtos ad ſummum Pontificem Petri ſucceſſorem. Sic in Republica civili Rex per ſe immediate inſtituit Judices ſupremos, & inferiores, nihilominus manente unitas & ordo; quæ competunt imperio Monarchico.

Ad ſecundum, poteſtas clavium data eſt Eccleſiæ, hoc eſt Pontifici, & Epiſcopis; & his quidem cum ſubordinatione ad Pontificem Petri ſucceſſorem. Hinc etiam in his eadem poteſtas limitatur, prout expedire videtur. Enimvero Concilia œcumenica, quæ repræſentant totam Eccleſiam, a Chriſto immediate habent omnem juriſdictionem, quam in Epiſcopis reſtringunt, & extendunt, prout expedire videtur optimo Eccleſiæ regimini; ſic in Concilio Chalcedonenſi aucta eſt juriſdictio Epiſcopi Jeroſolymitani, & Antiocheni imminuta. Apoſtoli ergo, ne deſtrueretur hierarchicus ordo, induceretur que perturbatio in Eccleſiam, ſi quivis Epiſcopus omnia ubique poſſet, iis merito limites præſcripſerunt, quos in Eccleſiis a ſe fundatis ordinaverant.

Inſtabis: ſi poteſtas juriſdictionis eſſet in Epiſcopis immediate a Deo ſicut poteſtas Ordinis, non poſſet ita reſtringi, quin Epiſcopi ea valide uterentur, quamvis illicite, quemadmodum Epiſcopus depoſitus, aut

etiam degradatus, valide confirmat & ordinat: atqui ex omnium conſenſione non ſolum illicitus, ſed etiam irritus & plane nullus eſt actus juriſdictionis, ad quem ipſa poteſtas juriſdictionis ſe non extendit: ergo poteſtas juriſdictionis in Epiſcopis non eſt immediate a Deo, ſicut poteſtas Ordinis.

Nego ſequelam majoris. Illud enim eſt diſcrimen inter poteſtatem Ordinis, & poteſtatem juriſdictionis, quod poteſtes Ordinis præciſe ſumpta ſit ut quid abſolutum, nec ſubditos neceſſarios connotet, ſed ſine iis exiſtere poſſit; unde Epiſcopus depoſitus, aut degradatus, etiamſi principatu careat, nullique ſint ei ſubditi, valide confirmat & ordinat, quia character Epiſcopalis in eo remanet, utpote indelebilis. Contra vero poteſtas juriſdictionis eſt relativa ad ſubditos, neceſſarioque includit principatum, qui ſine ſubditis ſtare nequit; nam ſublato correlato, ſeu relationis termino, tollitur ipſa relatio, is v. g. pater aut dominus non erit cui nullus fuerit filius aut famulus, atqui penes Eccleſiam eſt Epiſcopo ſubditos aſſignare, aut juſtis de cauſſis detrahere: ergo poteſtate juriſdictionis uti non poterit erga eos, quos Eccleſia ei non ſubdidit.

Confirmatur reſponſio. In omnium Catholicorum ſententia ſummus Pontifex poteſtatem tum Ordinis, tum juriſdictionis a Chriſto immediate accipit; attamen ſi Hæreticus notorius & pugnax evaderet, auctoritate Eccleſiæ non ſolum a Primatu ſuo, ſed & ab omni Eccleſiaſtico gradu dejiceretur, & ſic ſpoliatus actus quidem Ordinis exercere poſſet, quamvis illicite, nullum vero juriſdictionis etiam valide. Quid ita? quia in eo remaneret Epiſcopalis character indelebilis, non vero poteſtas juriſdictionis, utpote quæ eſſentialiter includat principatum & ordinem ad ſubditos, quibus careret ille depoſitus. Mirum igitur videri non debet, quod Apoſtoli, ut Ordinis tranquillitas ſervaretur, Epiſcopis definierint ſubditos, & certas diœceſes, extra quas ea, quæ ſunt juriſdictionis, quam a Chriſto immediate acceperant, exercere non poſſent, niſi in caſu extremæ neceſſitatis.

Di-

Dico: *Niſi in caſu extremæ neceſſitatis*; quia poteſtas clavium conceſſa eſt in Eccleſiæ augmentum, & Fidelium ædificationem, veriſimileque eſt primos Epiſcopos extra fines ab Apoſtolis ſibi præſcriptos excurriſſe; cum urgens neceſſitas poſtularet, v. g. cum finitimi populi in fide edoceri, & noſtris myſteriis initiari expeterent, nec in Provincia adeſſet Apoſtolus, qui novam Eccleſiam ibi fundaret. Noſtram conjecturam confirmant tum PP. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi docent in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe ſemper: „ Ut „ omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis „ peccatis & cenſuris diſſolvere poſſint „: tum exempla S. Euſebii Vercellenſis & S. Euſebii Samoſateni, qui, ſæviente Arianorum perſecutione, per Provincias occulte diſcurrebant, ut viduatis Eccleſiis Paſtores præficerent.

Opponunt Adverſarii plures PP. qui, inquiunt, diſertis verbis docent Epiſcopos a Summo Pontifice habere juriſdictionem.

Tertullianus in Scorpiaco cap. 19. ſic habet: „ Si „ adhuc clauſum putas cælum, memento claves ejus „ hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.

Optatus Milevitanus lib. 7. „ Ceteris omnibus Apo„ ſtolis præferri meruit (Petrus) & claves regni cæ„ lorum ceteris communicandas ſolus accepit.

S. Gregorius Nyſſenus tractatu in eos, qui ægre ferunt correctionem: *per Petrum*, inquit, *Epiſcopis dedit claves cæleſtium bonorum*.

Innocentius I. Epiſt. ad Conc. Milevitanum: quæ eſt 182. alias 93. inter Epiſt. S. Auguſtini: „ Arbi„ tror, inquit, omnes Fratres & Coepiſcopos noſtros „ nonniſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris „ auctorem deferre debere „. Hinc Epiſcopi hanc inſcriptionis formulam ſuis mandatis præmittere ſolent: *N. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus*.

S. Leo Serm. 3. in Anniverſario ſuæ aſſumptionis, ait: *Si quid commune cum eo aliis voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit quidquid aliis non negavit*. Et Epiſt. 89. *Hujus muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium voluit perti-*

re, ut in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, ut ab ipſo quaſi quoddam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.

R. 1. Tertullianum claves hic non accipere pro poteſtate juriſdictionis, ſed in latiori ſignificatione pro martyrio, quo cælum referatur. Patet ex ipſo contextu: *memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſia reliquiſſe, quas hic unuſquiſque interrogatus, atque confeſſus feret ſecum.* Optatus vero non dicit, Petrum ceteris communicaſſe claves, ſed accepiſſe communicandas; an autem per Chriſtum, an per Petrum eſſent communicandæ, non definit.

R. 2. Diſtinguendo alios textus; ceteri claves acceperunt per Petrum vel tanquam exemplar, vel tanquam miniſtrum, Conc. per Petrum tanquam per originem, ita ut ex ipſo, veluti ex capite poteſtas juriſdictionis in alios ſive Apoſtolos, ſive Epiſcopos profluxerit, Nego. Itaque Petrus, cum ſeorſum claves accepit, datus eſt forma & exemplar, ad cujus ſimilitudinem ceteri Apoſtoli, & omnes deinceps Epiſcopi ſunt efformati: atqui imago ex archetypo ſeu exemplari ducta recte dicitur ab ipſo formam accepiſſe, cum exemplar a Philoſophis inter cauſſas numeretur: hoc ſenſu legimus Num. 11. Deum dixiſſe ad Moyſen, quem Spiritu ſuo repleverat, utpote ſupremum Synagogæ ducem *auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis* (ſeptuaginta Senioribus) *ut ſuſtentent tecum onus populi*: non enim iſta dicuntur, quaſi ſpiritus ex Moyſe in ſeptuaginta Seniores proprie tranſierit, aut ipſi donum illud a ſuo duce acceperint, ſed, interprete S. Auguſtino, quæſt. 18. in lib. Num. *Intelligimus nihil aliud ſignificare voluiſſe, niſi ex eodem Spiritu gratia illos quoque habituros adjutorium, ex quo* (nempe ex Deo), *habebat Moyſes, ut & iſti haberent quantum Deus vellet, non ut ideo Moyſes minus haberet.* Et lib. 5. de Trinitate cap. 14. *de Moyſe intelligendum eſt, cum ait ei Dominus*, tollam de ſpiritu tuo, & dabo eis, *hoc eſt, dabo illis de Spiritu Sancto, quem jam tibi dedi.* Similiter Apoſtoli & eorum ſucceſſores claves a Petro acceperunt, quatenus poteſtas juriſdictionis

nis prius Petro conceſſa, vel potius promiſſa, in iſtos a Deo derivata eſt, Epiſcopatus unitas, & perfectiſſima Miniſtrorum Eccleſiæ connexio demonſtretur, utpote qui uno agantur ſpiritu tanquam ejuſdem corpora membra.

Nec dicant Adverſarii ejuſmodi expoſitionem eſſe coactam, & prorſus alienam a mente SS. PP. quæ nobis opponunt.

Namque 1. ipſemet S. Leo mentem ſuam ita exponit ſerm. 3. in objectione laudato: „ tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos, *inquit*, jus poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ Principes Decreti hujus conſtitutio commeavit, ſed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma proponitur „. Fatentur Adverſarii Apoſtolos non a Petro, ſed a Chriſto immediate claves accepiſſe. Explicent ergo quo ſenſu ſcribat S. Leo, cujus auctoritate nituntur, Chriſtum in Petro Apoſtolorum omnium ſummo poteſtatem juriſdictionis principaliter collocaſſe: *Ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet*: In eorum quippe ſententia ejuſmodi verba non ſimpliciter & ad litteram accipienda ſunt, quaſi Apoſtoli gratiarum dona ex Petro hauſerint; hoc enim falſum ipſis videtur; ſed ita ſcripſit S. D. quia Chriſtus ad Petri exemplum & ſimilitudinem alios Apoſtolos regendis Eccleſiis præpoſuit: ergo & eorum ſucceſſores.

Miniſterialiter etiam Petrus in ſuis ſucceſſoribus confert Epiſcopis poteſtatem non ſolum juriſdictionis, ſed etiam Ordinis; quia ab ipſo vel ejus mandato Epiſcopi conſecrantur, præſertim in Occidentibus partibus, & eo ſenſu nomen & honorem ab ipſo accipiunt, & abſque adulatione ſe Epiſcopos Apoſtolicæ Sedis gratia confitentur, quemadmodum ſuam promotionem nonnunquam tribuunt gratiæ Principis, qui illos ad ejuſmodi dignitatem renuntiavit; & Parochi, qui & ipſi immediate a Chriſto ſunt inſtituti, ut mox demonſtrabitur, merito dicunt ſe gratia ſui Ordinarii mu-

munus Paſtorale fuiſſe conſecutos. Quanquam iſthæc formula Litteris Epiſcoporum præfixa: *N. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus*: uſurpata non eſt ante 13. ſæculum, eam non adhibent Epiſcopi Orientales, ut qui ſine expreſſo Summi Pontificis mandato conſecrantur, nec etiam omnes Occidentales.

CAPUT VI.

De Parochis.

EX presbyteris alii poteſtate juriſdictionis ordinariæ gaudent, ut Curati ſeu Parochi, alii carent, quales plerique, qui ordinantur ſub titulo patrimonii, aut paupertatis, ut Monachi & Religioſi. Poſteriores, etſi aliquos actus hierarchicos exerceant: plebis enim nomine offerunt ſacrificium, in quo & aſtantibus benedicunt, locum tamen non obtinent in hierarchia, niſi modo imperfecto, utpote qui non habeant ſubditos, quibus imperent, quouſque ex ſtatu ſuo ſeu proprio officio ad Deum adducere teneantur. Contra vero priores poſiti ſunt regere Eccleſiam Dei, & paſcere gregem Chriſti, quem acquiſivit ſanguine ſuo, ſubditos habent, in quos ſacrum principatum perfecte exercent; ac proinde Ordo eorum eſt vere ac plene hierarchicus, ſed quo jure, an divino, an Eccleſiaſtico? Mentem noſtram aperimus in reſponſionibus ad ſequentes quæſtiones, quas tamen judicio Sedis Apoſtolicæ ſubjicimus. Itaque

Q. 1. *Parochi ſuntne inſtitutionis divinæ?*

R. Affirmative.

Probatur argumento ducto ex Scriptura. S. Lucas cap. 10. v. 1. & 3. ſic refert: *Poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios 72. & miſit illos binos ante faciem ſuam .... ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*. Eo loci Chriſtus, Apoſtolis jam in primo ordine hierarchiæ collocatis Luc. 6. inſtituit ſecundum Ordinem, nempe Presbyterorum ſeu Parochorum, qui huc uſque ab exordio Eccleſiæ retentus eſt.

Enim-

Enimvero Apoſtolus 1. Timoth. 5. meminit Presbyterorum, qui ſub Epiſcopo præerant: „ qui bene „ præſunt Presbyteri, *inquit v.* 17. duplici honore „ digni habeantur, *& v.* 19. adverſus Presbyterum ac„ cuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tri„ bus teſtibus: „ ergo presbyteri illi ſubjacebant cor„ rectioni Epiſcopi.

S. Ignatius in Epiſtolis ſuis ſæpe commendat reverentiam & obedientiam erga Presbyteros: „ feſtinate „ ergo, dilectiſſimi, *inquit epiſt. ad Ephesios*, ſubdi„ ti eſſe Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis; qui „ enim iſtis ſubditus fuerit, Chriſto obedit, qui eis „ hoc conceſſit.

Cum vero ita crevit Fidelium numerus, ut in unum convenire non poſſent ſub Epiſcopo, in pagis & majoribus urbibus, ut Romæ, erectæ ſunt Parochiales Eccleſiæ, ubi ſynaxes, ſeu conventus celebrabatur ſub uno Presbytero, quem nos Curatum ſeu Parochum vocamus. Quando autem facta ſit illa Parochiarum erectio, non ſatis conſtat. Quidam illam referunt ad tempora Sancti Dionyſii, qui Romæ ſedit anno 259. Sed quidquid ſit, certum eſt Eccleſias Parochiales cœpiſſe erigi longe ante quartum ſæculum, cum uſus earum illo ſæculo ubique obtineret, ut colligimus ex Sanct. Athanaſio apologia ſecunda, Sancto Hieronymo lib. contra Luciferianos; Innocentio I. ep. ad Decentium, & ex Concilio Neocæſarienſi anno 313. can. 13. in quo prohibetur Presbyter ruralis ſacrificium in civitate offerre præſentibus Presbyteris urbanis, „ Presbyteri „ ruris in Eccleſia civitatis, Epiſcopo præſente, vel „ Presbyteris urbis ipſius, offerre non poſſunt . . . „ ſi vero abſentes hi fuerint, & ad dandam oratio„ nem vocentur, ſoli dare debebunt. „ Concilium etiam Sardicenſe, ad quod 300. Epiſcopos conveniſſe an. 347. refert S. Athanaſius, ſtatuit can. 15. ut ſi Epiſcopus ruri negotiorum cauſſa diutius commoretur, die Dominica interſit Miſſæ parochiali; *Si eſt proxima civitas*, inquit, *in qua eſt Presbyter, ne ſine cauſſa videatur* (Epiſcopus) *facere diem Dominicam, illuc accedat.*

Por-

Porro conſtans eſt Veterum doctrina, Presbyteros illos ſuccedere ſeptuaginta duobus Diſcipulis. Pauca ex benemultis eorum teſtimoniis hic proferenda ſunt.

Beda in capus decimum Lucæ ſic habet: „ Sicut „ duodecim Apoſtolos, formam Epiſcoporum exhi- „ bere ſimul & præmonſtrare nemo eſt qui dubi- „ tet, ſic & hos 72. figuram Presbyterorum, id „ eſt, ſecundi ordinis Sacerdotum geſſiſſe ſciendum „ eſt: tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut Apo- „ ſtolica Scriptura teſtis eſt, utrique Presbyteri, utri- „ que vocabantur Epiſcopi, quorum unum ſapientiæ „ maturitatem, alterum curam induſtriæ Paſtoralis ſi- „ gnificat.

Theodolphus Aurelianenſis, qui floruit tempore Caroli Magni, in Capitularibus ſic habet ad Parochos: „ Scitote veſtrum gradum noſtro gradui ſecun- „ dum, & pene conjunctum eſſe; ſicut enim Epiſco- „ pi Apoſtolorum in Eccleſia, ita nimirum Presbyte- „ ri ceterorum diſcipulorum Domini vicem tenent, & „ illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron, iſti „ vero filiorum ejus. Unde oportet vos ſemper me- „ mores eſſe tantæ dignitatis & memores veſtræ con- „ ſecrationis.

S. Thomas 3. parte q. 67. art. 2. ad 2. *ideo*, inquit, *baptizare pertinet ad minores Principes Eccleſiæ, id eſt, ad Presbyteros, qui tenent locum 72. diſcipulorum Chriſti, ut dicit Gloſſa*, *Luc.* 10.

Gerſonius de Curatorum ſtatu, conſideratione prima: „ Status Curatorum, *inquit*, ſuccedit ſtatui 72. „ diſcipulorum Chriſti, quoad legem novam, & figu- „ ratus eſt in antiqua lege per Levitas; ac proinde „ ſtatus Curatorum eſt de inſtitutione Chriſti & Apo- „ ſtolorum ſuorum a principio fundationis Eccleſiæ.

Joannes Major diſt. 21. q. 3. „ Majorum & mino- „ rum Sacerdotum diſcretio, *inquit*, in novo teſtamen- „ to ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium, qui duodecim „ Apoſtolos tanquam majores Sacerdotes, 72. Diſcipu- „ los quaſi minores Sacerdotes inſtituit. „ Sacra Facultas Pariſienſis, cum anno 1408. Joannes de Gorello Minorita

pro-

propugnaſſet in ſua theſi Curatos non eſſe de inſtitutione Chriſti, ſed per Dionyſium Papam fuiſſe ordinatos, eundem coegit retractare ſuam ſententiam in hunc modum: *Dico nunc ex ordinatione ejuſdem Facultatis Matris meæ, & ultronea voluntate, vetitas, quæ ſequuntur. 1. Domini Curati ſunt in Eccleſia minores prælati & Hierarchæ quibus competit ex ſtatu jus prædicandi, jus confeſſiones audiendi &c. & Mendicantibus per accidens, & ex privilegio, quoniam ſunt introducti, vel admiſſi ex commiſſione, & beneplacito Dominorum Prælatorum.* Idem præſtitit Joannes Sarazin Dominicanus auctoritate ſacræ Facultatis ann. 1429.

Ex his autem teſtimoniis tum ſacræ Scripturæ; tum veterum Scriptorum ſic conficitur argumentum: Qui ſuccedunt Miniſtris a Chriſto inſtitutis, hi ſunt inſtitutionis divinæ; ideo enim jure divino Romanus Pontifex eſt Caput Eccleſiæ, quia ſuccedit Apoſtolorum Principi; & Epiſcopi ſunt divinitus inſtituti, quia ſucceſſores ſunt Apoſtolorum: atqui Curati ſeu Parochi ſuccedunt 72. Diſcipulis a Chriſto inſtitutis: ergo Curati pariter ſunt inſtitutionis divinæ.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 23. canone 6. ubi definit in Eccleſia Catholica eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, eamque conſtare Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris: atqui Presbyteri eo loci non poſſunt intelligi niſi Parochi; ſiquidem alii vel juriſdictionem habent, vel non: ſi primum, ejuſmodi juriſdictio eſt delegata, ac proinde non eis competit jure divino, ſed ex Epiſcoporum beneplacito: nec ſufficit ad conſtituendam Hierarchiam, ut diximus capite ſecundo. Si ſecundum; ſubditos non habent, nec proinde ſacrum principatum exercent.

Dices 1. Conſtat Parochos proprie non ſuccedere 72. Diſcipulis, ſed ſolum per quandam ſimilitudinem: 1. quia Diſcipuli illi 72. non fuerunt presbyteri, nec ullum Ordinem aut juriſdictionem a Chriſto ſuſceperunt, ſiquidem Philippus, & Stephanus, & alii quinque Diaconi ordinati ab Apoſtolis Act. 6. erant ex Diſcipulis 72. ut Epiphanius docet

hæreſi

hæreſi 20. Ita Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 25. 2. quia Chriſtus ſolos Apoſtolos alloquebatur; cum dixit Joann. 20. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; aberant enim Diſcipuli in ultima cœna, nec aderant, cum Chriſtus Apoſtolos conſecravit Sacerdotes: Ergo.

Nego antecedens, nec morari nos debent quæ in ejus confirmationem adducuntur.

Non primum, quia 72. Diſcipuli a Chriſto juriſdictionem habuerunt, ſicut S. Matthias & S. Paulus, etiamſi Sacerdotes non fuerint conſecrati; poteſtas enim juriſdictionis non neceſſario præſupponit poteſtatem Ordinis, ut patet in Parocho nondum Presbytero, neque Diacono, qui ea, quæ ſunt juriſdictionis, exercere poteſt: Apoſtolus Paulus multis jam functus erat laboribus pro Evangelio, cum Antiochiæ inauguratus eſt Epiſcopus, Act. 13. v. 3.

Nec obſtat quod ex Sancto Epiphanio Bellarminus refert, nempe aliquos ex 72. Diſcipulis ab Apoſtolis ordinatos fuiſſe Diaconos Actor. 6. admiſſa enim illa hiſtoria (quamvis Bellarminus non oſtendat quomodo poſt trecentos annos in notitiam ſancti Epiphanii venerit) nonne potuerunt, immo debuerunt illi Diſcipuli aliquando conſecrari Diaconi & Presbyteri, ſicut Clericus ad Eccleſiam Parochialem inſtitutus, & eo titulo juriſdictione ordinaria inſtructus, ad ſacros Ordines promovendus eſt: In primis igitur Eccleſiæ incunabulis Apoſtoli, quibus nondum erat opus ſeptuaginta duobus Presbyteris, ſed dumtaxat ſeptem viris, qui eſſent pleni Spiritu Sancto & ſapientia, ut habetur cit. cap. 6. eos inter ſeptuaginta Diſcipulos elegerunt, ut qui ſub Chriſti diſciplina in prædicatione Evangelii inſignia virtutis ſuæ ſpecimina dediſſent, eoſque Diaconos ad urgentiſſimum miniſterium ordinarunt. Quod autem ex eis aliquis poſtmodum pro utilitate vel neceſſitate Eccleſiæ conſecrati ſint Presbyteri, quis negabit; Sed unum illudque certiſſimum nobis ſufficit, nempe ſeptuaginta diſcipulos a Chriſto fuiſſe deſignatos, & inſtitutos ad Eccleſiam ſub Apoſtolis regendam, eiſ-

que

que ſuccedere Presbyteros, quos Curatos ſeu Parochos nominamus.

Non ſecundum, nec enim Apoſtoli Thomas, Matthias, & Paulus aderant, quando Chriſtus dixit Jo: 20. *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos* & nihilominus, verborum illorum vis & efficacia ad eos ſe extendit, ac proinde ad omnes, quos Chriſtus prius in Eccleſiæ miniſterium elegerat. Id agnoſcit antiquus liber pontificalis in ordinatione Presbyterorum, in qua Pontifex ita precatur: „ ſicut in eremo per Septuaginta „ virorum prudentiam mentes Moyſi ſpiritu propoga- „ ſti, quibus ille adjutoribus uſus, in populo innu- „ meras multitudines facile gubernavit.... hac pro- „ videntia, Domine, Apoſtolis filii tui, Doctoribus „ fidei, comites addidiſti, quibus illi orbem totum „ ſecundis prædicationibus impleverunt. „

Dices 1. Parochi non ſunt inſtituti, niſi cum erectæ ſunt parochiales Eccleſiæ, atqui nullæ erant Parochiales Eccleſiæ 1. & 2. ſæculo, ut conſtat ex S. Juſtino, qui floruit 2. mediante ſæculo; ſic enim ſcribit apol. 2. *Solis die omnium qui in urbibus vel in agris degunt, in eundem locum conventus fit*, nempe ſub Epiſcopo, quia præter Eccleſiam cathedralem nulla erat ſive in urbe ſive in agris: Ergo tunc nullus erat parochus; ac proinde parochi non a Chriſto; ſed ab Eccleſia ſunt inſtituti.

Nego majorem; ſiquidem, ut quis ſit Parochus, neceſſe non eſt, ut ſpeciale templum habeat, ſed ſatis eſt, ut ex officio præſit, ſubditos doceat, paſcat, & regat: atque illud munus Presbyteris incumbebat tempore Apoſtolorum, ut patet ex laudatis verbis 1. Tim. 5. *qui bene præſunt Presbyteri.*

Minor etiam abſolute negari poteſt. Apoſtolus enim Rom. 16. v. 1. commendat Phæben, *quæ*, inquit, *eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*; atqui Cenchris, ex Theodoreto in hunc locum, non eſt Sedes Epiſcopalis, ſed pagus Eccleſiæ Corinthiorum.

Inſtabis, priuſquam erigerentur parochiales Eccleſiæ, Presbyteris non licebat prædicare, baptizare, nec ullum paſtorale munus exercere ſine mandato Epiſcopi, *non licet niſi*

niſi Epiſcopo baptizare, aut facere, inquit S. Ignatius ep. ad Smyrn. & S. Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos, ſine Epiſcopi juſſione neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi: Ergo tota poteſtas juriſdictionis presbyterorum pendebat ab Epiſcopo.

Diſtinguo conſequent. pendebat ab Epiſcopo quoad exercitium, Concedo: quoad primariam inſtitutionem, Nego conſeq. ſolutionem confirmabit, ſimulque elucidabit reſponſio ad ſequentem quæſtionem.

Q. 2. *Poteſtas juriſdictionis Parochorum eſtne immediate a Chriſto?*

R. Affirmative, ſalva tamen immediata juriſdictione Epiſcoporum in ipſos parochos & plebem ſubditam.

Prima pars probatur, quia parochi eo modo ſuccedunt ſeptuaginta duobus diſcipulis, quomodo ſummus Pontifex Apoſtolorum Principi, & Epiſcopi cæteris Apoſtolis: atque ideo ſummus Pontifex a Chriſto immediate habet juriſdictionem in tota Eccleſia, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus, quia ſuccedunt, ille beato Petro, & illi Apoſtolis, ſucceſſor enim ab eo habet juriſdictionem, a quo habuit prædeceſſor; alias, inquit Bellarminus, non vere ſuccedit, ſed novo ordine inſtituitur. Ergo eodem jure parochi juriſdictionem a Chriſto immediate accipiunt, quo ſummus Pontifex, & Epiſcopi ſuam.

Confirmatur auctoritate Sacræ Facultatis Pariſienſis, cujus mandato & ordinatione Fr. Joannes Sarazin revocavit quaſdam propoſitiones a ſe propugnatas adverſus doctrinam a nobis hic traditam, & ſequentes contradictorias eidem Facultati ſcripto dedit anno 1429.

1. *Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ, aliæ a Papali poteſtate, ſunt ab ipſo Chriſto, quantum ad inſtitutionem & collationem primariam, Papa autem & ab Eccleſia, quantum ad limitationem, & diſpenſationem miniſterialem.*

2. *Hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino; & immediate inſtituta a Chriſto.*

3. *Ex textu Evangelii & Doctrina Apoſtolorum habetur expreſſe, Apoſtolis & Diſcipulis a Chriſto miſſis auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam.*

4. Di-

4. *Dicere inferiorem Prælatorum poteſtatem juriſdictionis, ſive ſint Epiſcopi, ſive Curati, eſſe immediate a Deo, Evangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.*

Secunda pars, ſcilicet Epiſcopum habeat immediatam juriſdictionem non ſolum in Parochos, ſed etiam in plebem ſubditam eſt ejuſdem Academiæ Pariſienſis, quæ anno 1664. in ſex propoſitiones Jacobi de Vernant, quibus aſſerebat Curatos non eſſe immediate a Chriſto inſtitutos, eoſque tempore Apoſtolorum omni auctoritate & adminiſtratione caruiſſe, animadvertit hac cenſoria nota, *Hæ ſex propoſitiones, quatenus aſſerunt, vel inferunt poteſtatem juriſdictionis Curatorum non eſſe immediate a Chriſto, quantum ad inſtitutionem primariam, falſæ ſunt, & Decretis ſacræ Facultatis contrariæ;* ſalva ſemper immediata Epiſcoporum in Prælatos minores, ſeu Curatos, & plebem ſubditam auctoritate.

Probatur 1. ex Traditione, & praxi univerſalis Eccleſiæ, in qua Epiſcopi, ſive ante, ſive poſt parochiarum erectionem, hucuſque plebis ſubditæ curam geſſerunt.

Apoſtolus in Epiſtolis ad Timotheum & Titum, qui procul dubio erant Epiſcopi, præcipit, ut ſollicite curent non ſolum quæ ſpectant Presbyteros & Diaconos, ſed etiam plebem, viduas, ſenes, juvenes, ſervos, &c.

Sanctus Ignatius epiſt. ad Trallianos: „ Reveremini, *inquit*, Epiſcopum veſtrum ſicut Chriſtum, „ quemadmodum beati præceperunt Apoſtoli. Quid „ enim aliud eſt Epiſcopus, quam is, qui omni principatu & poteſtate ſuperior eſt, quoad homini licet „ pro viribus imitator Chriſti Dei factus? quid vero „ Sacerdotium aliud eſt, quam ſacer cœtus Conſiliarii „ & Aſſeſſores Epiſcopi? „ Atqui Conſiliarii non medii intercedunt inter Senatus Principem, & eos, quibus jus dicitur; ſed ad iſtos Principis ſententia directe & immediate dirigitur.

Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 17. ſic habet, „ dandi quidem (*Baptiſmi*) habet jus ſummus Sacer-

„ dos

„ dos, qui eſt Epiſcopus: dehinc Presbyteri, & Dia-
„ coni, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter
„ Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt.

Canon 40. Apoſtolorum ſic decernit: „ Presbyte-
„ ri & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere præte-
„ xent; nam pro Domini populo, qui ipſi commiſſus
„ eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt ra-
„ tionem.

Nec dicas ejuſmodi teſtimonia intelligenda dumtaxat de ſtatu Presbyterorum ante erectionem Eccleſiarum parochialium. Namque 1. quis credat Epiſcopos, cum Eccleſias parochiales erexerunt, de ſua auctoritate detraxiſſe, ut Presbyterorum Parochialium juriſdictionem ampliarent? Quin iſtorum poteſtas ad unum locum coarctata eſt, & honor quodammodo imminutus, cum ante novam hujus regiminis formam cura eorum ad univerſam diœceſi extenderetur, & eo honoratiores eſſent, quo Epiſcopo conjunctiores, utpote ejus conſiliarii & aſſeſſores, juxta Sanctum Ignatium. Hinc Concilio Neocæſarienſi ſupra laudato Presbyteri rurales prohibentur offerre in civitate præſentibus Presbyteris urbanis, iis præſertim, qui ſpeciali modo ſunt hodie conſiliarii & aſſeſſores Epiſcopi, ut Vicarii generales, Officiales, & ceteri Eccleſiæ Cathedrali aſcripti, qui a patribus Tridentinis ſeſſ. 24. cap. 12. de reform. dicuntur Senatus Eccleſiæ, & eo titulo in Clero diœceſano primum locum obtinent. 2. Poſt Eccleſiarum Parochialium erectionem Epiſcopi nihilominus in Conciliis, ſive Œcumenicis, ſive provincialibus, imitantur formam ab Apoſtolo ſanctiſſimis Epiſcopis Timotheo, & Tito præſcriptam: utilia quæque ſaluti non ſolum parochorum & ceterorum Clericorum, ſed etiam univerſæ plebi provident, canonibus ſuis æque directe & immediate populis ac Presbyteris præſcribunt quæ facienda, quæve fugienda. Ergo immediatam in eos omnes habent juriſdictionem.

Probatur 2. ratione petita ex tractatu de legibus c. 2. ſcilicet parochia non eſt communitas perfecta, quæ ſibi ſufficiat, propriis regatur legibus, Magiſtratus

ſeu

ſeu Miniſtros ſibi conſtituat, inobedientes redigat, & in contumaces juſtas pœnas decernat; ſed ſe habet ad diœceſim ſicut pars ad totum, membrum ad corpus, cui unum præeſt caput, nempe Epiſcopus, influens in ſingulas corporis partes, quas per neceſſaria organa, parochos intelligo, movet ac dirigit. „ Parochorum officium, inquit Petrus Aurelius a Clero Gallicano magnifice laudatus in Comitiis anni 1655. in Epiſcopo incluſum a Chriſto eſt ut in fonte ac plenitudine Eccleſiaſticæ & hierarchicæ poteſtatis, cujus parochialis poteſtas eſt deciſiva pars ab Epiſcopo in parochum, ut a fonte in rivum transfuſa, ſine detrimento tamen aut imminutione, eo modo, quo res ſpirituales transfunduntur & communicantur, ut e ſeptuaginta Senioribus Moyſis ſpiritu imbutis, illibata Moyſis plenitudine, facile intelligitur. „ Ex quibus perſpicuum eſt curam Epiſcopalem in omnes & ſingulos parochianos influere, iiſque præſidere immediate, ſalva tamen parochi auctoritate, utpote patrisfamilias, quem Dominus conſtituit ſuper familiam ſuam.

Quare qui Parochum ſpernit, Chriſtum ſpernit, & qui poteſtati ejus reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; a Deo quippe eſt poteſtas illa quoad inſtitutionem primariam, & ideo divina, ab omnibus cujuslibet gradus veneranda, ſed ab Epiſcopo in primis fovenda ac tuenda, utpote ſibi maxime neceſſaria: quomodo enim caput etiam valentiſſimum ad nutum movebit corpus, ſi organa ſint impedita? ſic ſe haberet ſanctus & multi laboris Epiſcopus, ſi poteſtas Parochorum iners & veluti laxata jaceret; totaque diœceſis tanquam corpus paralyticum ſub ſano capite cerneretur; niſi intenſa ac nervoſa Parochorum auctoritas & ſolicitudo votis Epiſcopi obtemperaret, ſtrenueque ſe moveret ad exequenda ejus mandata: „ quapropter, *inquit Epiſcopus in ordinatione Presbyterorum*, infirmitati quoque noſtræ, Domine, quæſumus, hæc adjumenta largire, qui quanto fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus ... innova in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis, ut acceptum a te, Deus, ſecundi meriti munus obtineant, &c.

Inde etiam diſcant Parochi, quæ cùm Epiſcopo debeat eſſe eorum conjunctio, quæ animorum conſenſio, quæ communicatio ſpiritus, nimirum qualis requiritur caput inter & membra organica, ad corporis unitatem, valetudinem, & pulchritudinem: etenim ſi membra capiti non cohærent, corpus non erit unum: laxata ſint & a ſuis ſedibus mota; corpus erit deforme: influxum a capite non recipiant, obſtructis ſpirituum meatibus, deficiet virtus corporis & actio. Talem cogita Eccleſiam, niſi membra ejus conſtringantur non ſolum fidei, ſed & caritatis vinculo: ſi enim Paſtores privatis ſtudiis a ſe invicem diſſideant, non erit una: ſi ordo inter eos a Chriſto inſtitutus, & apta eorum compoſitio non ſervetur, peribit decor ejus, & formæ hierarchicæ dignitas: ſi alio quam capitis ſpiritu ducantur, non ſtabit divinum illud robur, adverſus quod portæ inferi prævalere nequeunt; cum ex dictis §. 2. divinæ motiones in primum Hierarcham, eoque mediante ad medios, ab his ad ultimos transfundantur, ſicut olim ſpiritus *Moyſis* in ſeptuaginta Seniores tranſmiſſus eſt. „ Connexio „ totius corporis, *inquit S. Leo epiſt.* 12. *alias* 84. „ unam ſanitatem, unam pulchritudinem facit: & hæc „ connexio totius quidem corporis unanimitatem re„ quirit: ſed præcipue exigit concordiam Sacerdotum „ (*utpote qui ſunt hujus corporis myſtici organa*) qui„ bus etſi dignitas ſit communis, non eſt tamen or„ do generalis, quoniam & inter beatiſſimos Apoſto„ los in ſimilitudinem honoris (*ſcilicet Apoſtolatus*) „ fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium „ par eſſet electio (*ad Apoſtolatum*) uni tamen da„ tum eſt, ut ceteris præemineret; de qua forma Epi„ ſcoporum quoque orta eſt diſtinctio . . . per quos „ ad unam Petri ſedem univerſalis Eccleſiæ cura con„ flueret, nihil uſquam a ſuo capite diſcederet. *Unde* „ *S. Doctor ad hæc verba concludit:* qui ergo ſcit ſe „ quibuſdam eſſe præpoſitum, non moleſte ferat ali„ quem ſibi eſſe prælatum; ſed obedientia, quam „ exigit, etiam ipſe dependeat. *Lex enim eſt æterna* „ *humanis cordibus inſculpta.* Quod tibi non vis fieri,

„ alte-

„ alteri ne feceris. „ Atqui Parochi ægre admodum ferunt vel unum e parochianis ſuis conſiliis non acquieſcere, mandata ſpernere & proprio ingenio ac libidine frui. Adverſus ejuſmodi effrœnem Epiſcopi opem efflagitant, merito quidem, cum idcirco in ſublimitate arcis ſit conſtitutus, ut inferioribus ſuccurrat. At diſcordia parochiani cum ſuo Parocho longe tolerabilior eſt, quam parochorum cum ſuo Epiſcopo: ille ſiquidem ſe ſolum ſubducit ſuo paſtori; iſti parochias integras: ille ſibi & vix alteri nocet; iſti tum ſibi, tum univerſo gregi, quem hoc ipſo, quo non ſinunt ſe ſpiritu capitis regi, a corpore Chriſti, quantum in ipſis eſt, ſeparant. Namque „ ſcire de„ bet, *inquit S. Cyprianus epiſt.* 69. Epiſcopum in „ in Eccleſia eſſe, & ECCLESIAM IN EPISCOPO, „ & ſi qui cum Epiſcopo non ſunt, in Eccleſia non „ eſſe; cum Eccleſia quæ Catholica una eſt, ſciſſa „ non ſit, neque diviſa; ſed ſit utique connexa, & „ cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino co„ pulata. „

Piget referre, quæ pluribus in locis paſſim obſervavimus, nimirum quibuſdam parochis ſatis non eſſe, quod cum Epiſcopo eam ſpiritus unitatem non ſervent, quæ caput inter & membra organica requiritur, niſi Collegas ſuos in hancce ſchiſmatis ſpeciem adducant, ſi iſti ex mente Epiſcopi, utpote primi Hierarchæ, toti pendeant, quemadmodum ſupra deſcriptus ordo hierarchiæ poſtulat, illorum dicteriis exagitantur, traducuntur ut adulatores, honoris & inanis gloriæ cupidi; delatores, a quibus cavendum ſit: atqui ex ſancto Ignatio epiſtola ad Smyrnæos, *qui occultans ab Epiſcopo aliquid operatur, diabolo præſtitit obſequium*: ſolvit enim hierarchicum ordinem, quo Eccleſia terribilis eſt adverſariis ut caſtrorum acies ordinata: tollit connexionem membrorum cum capite, communicationem ſpiritus & divinarum motionum, quæ a primo Hierarcha in inferiores tranſmitti debent, ut omnes juxta hierarchiæ inſtitutionem, & ſcopum ad Dei ſimilitudinem adducantur, ac deificentur.

N 2 CA-

CAPUT VII.

De Monachis & Religioſis.

NIhil addendum videretur iis, quæ de poteſtate hierarchica, & ſacro principatu divinitus ſuis gradibus diſtincto prolixius diſputavimus, niſi viſum eſſet nonnullis Monachos ſeu Religioſos inter Hierarchas numerandos, & quidem in proximo gradu ad Epiſcopos, utpote qui magis proprie, inquiunt, quam parochi ſuccedant ſeptuaginta duobus Diſcipulis.

Cum autem plura in Monachis ſpectari poſſint 1. nomen; 2. ſtatus; 3. character ſacerdotalis, quo plerique inſigniuntur; 4. cura paſtoralis, ad quam quidam ex iis aſſumuntur: prius de eorum nomine & ſtatu dicendum, quam controverſiam ingrediamur: ex nominis enim interpretatione, & ſtatus definitione perſpicuum fiet, an & quomodo Monachi ad hierarchiam pertineant, an ut Principes, aut ut ſubditi. Sit ergo

§. I.

De Nomine & ſtatu Monachorum.

Q. 1. *UNde Nomina Religioſi & Monachi?*

R. Nomen Religioſi derivatur a Religione, ſignificatque Dei cultorem. Quamvis autem nomen illud ſit commune omnibus, qui veram Religionem profitentur, atque ea ratione Chriſtiani Principes vocentur Religioſiſſimi Principes: appropriatur tamen iis, qui abdicatis rebus omnibus, divino cultui ſe totos mancipant, ſolentque ſimpliciter & antonomaſtice, inquit S. Thomas, appellari Religioſi, Græce *Therapentæ*, id eſt, *Dei cultores*, & *Aſcetici*, Latine, *Supplices*, ſcilicet a præcipuo munere eorum, quod eſt Deum exorare.

Nomen

Nomen vero Monachi, quod Latine Solitarium ſignificat, Auctor Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. 6. deducit ab indiviſa & ſingulari vita, ad quam aſpirant hujus inſtituti cultores: vere enim ſolus eſt in mente hujus Auctoris, qui relinquit ſe ipſum, & cetera, ut ſoli Deo vacet.

Ergo nomina Religioſi & Monachi ſunt prorſus ſynonyma, idem ſignificantia, & promiſcue uſurpata a Veteribus, ut teſtatur laudatus Auctor citato cap. 6. Enimvero juxta nominum interpretationem eo ipſo, quo quis relictis omnibus ſoli Deo adhærere ſatagit, Religioſus eſt & Monachus. „ Sancti præceptores „ noſtri, *inquit auctor ille*, divinis eos appellationi„ bus ſunt proſecuti; alii quidem Therapeutas, (*hoc* „ *eſt Dei cultores*) alii vero Monachos, cum a ſince„ ro Dei famulatu atque cultu, tum ab individua & „ ſingulari vita denominantes: quippe quæ ſanctis re„ rum divinarum conjunctionibus ipſos ad Deiformem „ quandam unitatem, Deoque gratam perfectionem „ adducat.

Ergo Religioſi aut Monachi nomen eſt divina appellatio, & titulus gloriæ & honoris: proindeque, ut B. Petri Apoſtoli verbis utar, 1. epiſt. cap. 4. non erubeſcat frater in hoc nomine, nec ejus ſigna abſcondat, quod ſine peccato & cujuſdam apoſtaſiæ ſpecie fieri nequit: ſed ſi exprobretur ipſi ab infidelibus & mundanis hominibus, beatus erit; *quoniam quod eſt honoris & gloriæ, ſuper eum requieſcit*, ſed eo titulo ſubditos non habet, nec ullus ei principatus competit.

Uſu tamen & conſuetudine nunc Monachi nomen iis dumtaxat tribuimus, qui a frequentia hominum ſeparati ſolitariam vitam ducunt, ut Carthuſiani, Benedictini, Bernarditæ, &c. Religioſos vero vocamus, qui in populo verſantur, Paſtorumque adjutores ſunt in concionibus, & Sacramentorum adminiſtratione, ut Mendicantes, Jeſuitæ, Canonici Regulares, &c. A *Regula* autem, ſub qua vivunt tam Monachi, quam Religioſi, omnes appellantur Regulares.

Q. *Quid eſt ſtatus Monachorum, ſive Religioſorum?*

R. Eſt ſolemnis & immutabilis profeſſio tendendi ad eam caritatis perfectionem, quæ in hac vita mortali haberi poſſit.

Dicitur 1. *ſolemnis & immutabilis profeſſio*, quia ex ſancto Thoma, ad ſtatum requiritur immobilitas. Unde quis poteſt eſſe in caritate perfectus, etiamſi non ſit in ſtatu perfectionis, cum liberum ei ſit relinquere ſuum vivendi inſtitutum? Hinc S. Doctor colligit Epiſcopum eſſe in ſtatu perfectionis, utpote qui animarum curam deſerere non poſſit abſque diſpenſatione ſummi Pontificis: Curatum vero, quantumcumque perfectus ſit, & dignus ſuo munere, quod requirit perfectionem adeptam, ut capite ſequenti dicetur, non eſſe in ſtatu perfectionis, quia profeſſio ejus non eſt fixa & immobilis, cum poſſit abſque diſpenſatione Monaſteriorum ingredi, ut ab omnibus curis liber ſe totum det contemplationi. Monacho vero ſive Religioſo nunquam licet a profeſſione ſua recedere, etiamſi ad Prælaturam aſſumatur, ut docet Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricium, quæ refertur cauſſa 16, q. 1. c. de Monachis, in quo ſic habetur, „ ſi poſtea ad Clericatus Ordinem pervenerint, ſtatuimus non debere nos a priore propoſito „ diſcedere. *Quæ expendens S. Thomas* 2. 2. *qu.* 185. „ *ad* 8. *ſic ſcribit:* Status Religionis ad perfectionem „ pertinet, quaſi quædam via in perfectionem tendendi: ſtatus autem Epiſcopalis ad perfectionem „ pertinet tanquam quoddam perfectionis magiſterium. „ Unde ſtatus Religionis comparatur ad ſtatum Epiſcopalem, ſicut diſciplina ad Magiſterium, & diſpoſitio ad perfectionem: diſpoſitio autem non tollitur perfectione adveniente, niſi forte quantum ad „ id, in quo perfectioni repugnat. Quantum autem „ ad id, quod perfectioni congruit, magis confirmatur, ſicut diſcipulo, cum ad magiſterium pervenerit, non congruit quod ſit auditor: congruit tamen ipſi quod legat & meditetur, etiam magis, „ quam ante.

Dici-

Dicitur 2. *profeſſio tendendi ad perfectionem*: qui-
bus vocibus duo ſignificantur, 1. ad profeſſionem Mo-
naſticam ſeu Religioſam non requiri, ut quis actu
ſit perfectus: quemadmodum is, qui curam animarum
ſuſcipit; „ ad ſtatum Epiſcopalem, *inquit S. Thomas*
„ 2. 2. *q.* 185. *art.* 1. *ad* 2. præexigitur vitæ perfe-
„ ctio, ut patet per hoc, quod Dominus a Petro
„ quæſivit, ſi plus eum cæteris diligeret, antequam
„ ei committeret paſtorale officium: Sed ad ſtatum
„ Religionis non præexigitur perfectio, ſed eſt via
„ ad perfectionem. Unde & Dominus *Matth.* 19. non
„ dixit, *ſi es perfectus, vade, vende omnia quæ ha-*
„ *bes*: ſed, *ſi vis perfectus eſſe*. Et hujus differentiæ
„ ratio eſt, quæ ſecundum Dionyſium (5. cap. Ec-
„ cleſ. Hierarch.) perfectio pertinet active ad Epiſco-
„ pum, ſicut ad perfectiorem: ad Monachum autem
„ paſſive ſicut ad perfectum. Requiritur autem, quod
„ ſit perfectus aliquis ad hoc, quod poſſit alios ad
„ perfectionem adducere: quod non præexigitur ab
„ eo, qui debet ad perfectionem adduci. „ Hinc ex
conſtanti praxi Eccleſiæ inſignibus peccatoribus conſu-
litur, ut Monaſteria ingrediantur, quia ſtatus Religio-
nis, inquit S. Thomas q. 186. art. ad 4. eſt convenien-
tiſſimus pœnitentiæ locus, ut habetur cap. *Admonere*,
cauſſa 33. q. 2.

1. Iiſdem vocibus innuitur eum fallaciter amplecti
ſtatum Religionis, qui non intendit dare operam per-
fectioni acquirendæ; vox enim omnium Theologorum
eſt profeſſionem Monaſticam eſſe ſtatum perfectionis
acquirendæ. „ Ipſa perfectio caritatis, *inquit ſanctus*
„ *Thomas q* 186. *art.* 2. eſt finis ſtatus Religionis...
„ & ideo ille, qui ſtatum Religionis aſſumit, non
„ tenetur habere perfectam caritatem, ſed tenetur ad
„ hoc tendere, & operam dare, ut habeat caritatem
„ perfectam. „ Quod in primis animadvertere de-
bent, qui vel regendis Monialibus præficiuntur,
vel earum confeſſiones excipiunt: nam ex eodem S.
Doctore citato artic. ad primum, Religioſus eſt pro-
feſſionis ſuæ tranſgreſſor, ſi contemnat ad perfectio-

nem tendere, quemadmodum qui intra ſcholas ſi ſcientiæ acquirendæ animum non adjicit, larvatus eſt diſcipulus.

Dicitur 3. *caritatis perfectionem*, quia perfectio cujuſque rei conſiſtit in acquiſitione ultimi finis, qui eſt ſummum illius bonum, quo ultimo perficitur: atqui Deus eſt hominis ultimus finis, & ſummum bonum, ad quod non pervenitur niſi per caritatem; quia ſola ex omnibus virtutibus hominem Deo conjungit, juxta illud 1. Joann. cap. 4. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo hominis perfectio conſiſtit in caritate, ad quam aſſequendam, nutriendam, & perficiendam inſerviunt aliæ virtutes, & omnis Monaſtica diſciplina. Nam ex Apoſtolo 1. Tim. 1. *finis præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

Dicitur 4. *quæ in hac vita haberi poteſt*, Eſt enim duplex caritatis perfectio, alia abſoluta, & ſimpliciter dicta, qua quis in Deo omnem cogitationem, omnemque affectum ſemper actualiter ponit; cujus & mens a Dei conſpectu nuſquam recedit, & voluntas jugiter fervido in eum amore inflammatur. Iſta perfectio in patria cæleſti habebitur, ſed non eſt hujus vitæ, propter humanas infirmitates, quæ ex cupiditate, & ex amore ſui ſuperſtite proficiſcuntur; quibus animum identidem ad terrena delabi, ac deprimi, etiam ſanctiſſimi quique in ſeipſis experiuntur. Alia perfectio, quam Theologi vocant ſecundum quid, per quam juſti in terris poſiti omnem ſive cogitationem, ſive affectum ad Deum reducere ſerio enituntur; atque idcirco ea incunctanter removere, quibus poſſunt vel amore Dei avocari, aut in ſuo curſu retineri ac retardari. Sic perfectus viator dicitur, qui ea illico deponit, quæ ipſum poſſunt in curſu remorari: qui redire in patriam omni feſtinatione properat: qui capit iter brevius ac tutius, ſeque prorſus ab iis continet amœnitatibus, quæ ſeſe per urbes peregrinantibus ultro offerunt. Qui ſic vivunt, perfecti dici poſſunt, comparati cum aliis juſtis, qui in ſæculo

lo degunt rebus temporalibus diſtenti, quia, etſi iſti non deflectant a via, quæ ducit ad Deum, in quo ſpem ſuam finemque ultimum collocant; alio tamen mente abſtracti, nonnunquam ſubſiſtunt in via, ſuavitatis hujus vitæ delibandæ ac deguſtandæ deſiderio, a quo ſibi cavens plurimum alii juſti; qui tamen & ipſi imperfecti habendi ſunt, ſi cum Beatis comparentur, propter rationem, quam modo protulimus. Apoſtolus Philipp. 3. aperte indicat duplex illud perfectionis genus: verſu enim 12. cæleſtem perfectionis memorans, *non quod jam acceperim*, inquit *aut jam perfectus ſim; ſequor autem, ſi non modo comprehendam*. Et v. 15. ubi de perfectione hujus vitæ loquitur, ſic addit: *quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus*. Nimirum nunquam perfecte in hac vita impletur primum illud præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota anima tua*. Atque ut ad ejus perfectionem, qualis haberi poteſt in hac mortali vita, perveniatur, cetera animo abjicienda ſunt; ſicut idem Apoſtolus innuit v. 13. „ Fratres, ego me non arbi„ tror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem „ retro ſunt obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt prio„ ra, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor. „

Ex qua expoſitione intelligitur, viros Regulares ratione ſuæ conditionis eſſe in via perfectionis juſtis in terra degentibus propriæ, ſiquidem ad conſequendam perfectionem caritatis, ſummamque animæ cum Deo conjunctionem, cuncta repudiant, quæ nutrire ac fovere poſſent cupiditatem, hoſtem caritatis tam capitalem, quam ſempiternum. Hæc quippe caritati inſidiatur ſine ulla intermiſſione, & per mille modos ab amore ſui doloſe excogitatos, hoc eſt, per mille neceſſitatum aut commoditatum nomina, animam tenet occupatam, modo victus cultuſque quæritandi cura, quæ eſt concupiſcentia oculorum; modo ſtudio ſui corporis curandi molliter, quod eſt concupiſcentia carnis; modo ac ſæpius honorum ac famæ comparandæ, ſive contemptus fugitandi deſiderio, quod eſt ſuperbia vitæ.

Porro viri Religioſi ſuo vivendi genere toti ſe devovent ad omnes has cupiditatis motiones comprimendas. Paupertatis voto nuntium remittunt bonis ac commoditatibus vitæ hujus. Voto caſtitatis & diſciplinæ ſeverioris, cunctas voluptates corporis repudiat. Demum obedientiæ voto non ſolum abjiciunt propriæ laudis deſiderium, ſed & quodammodo deperdunt propriæ mentis propriæque voluntatis arbitrium, alteriuſque quaſi induunt, ut nulla re prorſus retardentur, quominus omnes ſuas cogitationes, ſuoſque affectus ad Deum expedite transferant, eique toto animo conjungantur.

Perfectio ergo, ad quam Religioſæ vitæ genus vocat, non in ipſis tribus votis omnino poſita eſt, cum ea tantummodo media ſint & quaſi inſtrumenta perfectæ caritatis conſequendæ: quod & obſervatur in collationibus Patrum, ubi dicitur virum Religioſum, qui ſolum implendis votis intentus eſt, nec ad perfectam cum Deo conjunctionem contendit, ſimilem eſſe artifici, qui comparare ſibi artis ſuæ inſtrumentorum ſupellectilem, eamque in officina diſtincte atque ordinate diſponere ſatagit, nec ullam adhibet diligentiam ad artis ſuæ opera conficienda. „ Temporalium bonorum relictio ſive diſtractio, *inquit Paulinus ep. 24. ad Severum*, non decurſus ſtadii, ſed ingreſſus; „ nec ut meta, ſed ut janua eſt: non enim tum vincit, cum exuitur athleta, qui ideo nudatur, ut „ incipiat dimicare, cum legitime certaverit, coronandus; & natator amnem interpoſitum ſuperaturus „ exuitur, nec tamen tranſnatabit, niſi totius corporis niſu torrentis impetum ſcindat, & laborem natationis exhauriat. „

Tunc ergo viri Religioſi ſtatus ſui perfectionem aſſecuti ſunt, cum per votorum uſum atque exercitationem compararunt pium habitum comprimendi primas omnes cupiditatis motiones, Deoque inhærendi jugiter, quantum patitur humana fragilitas; *quippe qui cum uno conjungi debeant*, inquit Auctor Eccleſiaſticæ Hierarchiæ c. 6. *& cum ſacra monade copulari, & ad Sacerdotalem, quantum fas eſt, vitam efformari,*

tan-

tanquam qui præ ceteris initiatis cum hoc ordine in plurimis conveniunt, majorem affinitatem habens. Quamobrem viri Religioſi, qui ad hunc perfectæ caritatis gradum pervenere, ſacris ſuſcipiendis Ordinibus idonei ſunt, & ad functiones hierarchicas exercendas comparati.

§. II.

An & quomodo Religioſi locum habeant in Hierarchia?

R. 1. Ratione ſui ſtatus ſunt in Hierarchia ut ſubditi & initiandi, non vero ut Principes & initiantes.

Probatur 1. ex libro Eccleſiaſticæ Hierarchiæ c. 6. ubi Auctor diſtinguit tres ordines initiandorum. Primus eſt eorum qui initiantur, & a ſacris arcentur, ut Catechumeni, Energumeni, & Pœnitentes. Secundus eorum, qui a labe nefaria ſunt purgati, ut ſancta plebs, quæ ſacrorum myſteriorum eſt particeps. Tertius eſt Ordinis Monachici, cujus non eſſe docet Theoria tertia, „ alios adducere, ſed penes ſemetipſum manentem in ſolitario ſacroque ſtatu Sacerdotales Ordines ſequi, & ab iis tanquam aſſeclam „ eorum ad divinam ſacrorum, quæ illum attingunt, „ ſcientiam, facile traduci. *Simile habet Sanctus Thomas 2. 2. q. 186. art.* 5. Oportet, *inquit*, quod „ Religioſi in his, quæ pertinent ad Religioſam vitam, alicujus inſtitutioni & imperio ſubdantur. „ Unde & cauſſa 7. quæſt. 1. capit. *Hoc nequaquam*, „ dicitur, Monachorum vitæ ſubjectionis habet verbum & diſcipulatus. „

Probatur 2. ratione, quia ex dictis ſtatus Religionis ex ſua ratione tendit ſolummodo ad Religioſum in caritate perficiendum, ideoque mulieribus æque ac viris convenit: Ergo nullam tribuit poteſtatem hierarchicam, quin Religioſos ſubjicit iis, a quibus perficiendi ſunt, nempe Epiſcopis, ut habetur cit. cap. 6. Eccleſ. Hierarch.

Dices 1. Qui virtute & ſanctitate præcellunt, ii ſunt naturaliter aliis ſuperiores: atqui tales ſunt Religioſi: Ergo.

Diſtinguo majorem; ſunt aliis ſuperiores dignitate & meritis, Concedo: auctoritate, Nego majorem. Eſt enim error Valdenſium, quemque Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 15. expreſſe damnavit in Wicleffo, cujus hæc fuerat propoſitio: *Quicumque eſt humilior, & in amore Chriſti quoad ſuam Eccleſiam amantior; eſt in Eccleſia militante major, & proximus Chriſti Vicarius*. Denique Beatiſſima Virgo omnium creaturarum ſanctiſſima ac perfectiſſima poteſtate hierarchica caruit.

Dices 2. Religioſi, etiamſi non ſit Clerici, diſtinguuntur a Laicis, ex S. Hieronymo: Ergo non ſunt numerandi inter initiandos.

Diſtinguo antecedens: quod aliquem ordinem & ſtatum, qui non conſtituit hierarchiam, Concedo: ſecus, Nego. Nam ex eodem S. Hieronymo, Clerici ſunt Monachorum Patres.

Inſtabis; Monachi in jure inter Clericos annumerantur: Ergo.

Diſtinguo antecedens: quod privilegia fori, quibus Monachi æque gaudent, ac Clerici, Concedo; nam ſi quis ſuadente diabolo, manus violentas in Monialem, vel Religioſum Laicum injecerit, pœnam Canonis in gratiam Clericorum ſanciti incurrit, nempe excommunicationem latæ ſententiæ: annumerantur quoad cetera Clericorum propria, puta, ſacrum principatum, Nego antecedens.

R. 1. Ordo ſeu Principatus hierarchicus non competit, niſi imperfecte & ſecundum quid Religioſis charactere Sacerdotali inſignitis; & delegatis ad concionandum, & confeſſiones excipiendas.

Probatur 1. ex S. Th. ſupra laudato c. 2. „ Dicendum, *inquit* 2. 2. *qu.* 188. *art.* 4. *ad* 1. quod „ ille qui operatur ex virtute alterius agit per modum inſtrumenti... Unde quod aliquis auctoritate „ Prælatorum prædicet, vel alia hujuſmodi faciat, non „ ſupergreditur diſcipulatus, vel ſubjectionis gradum;

„ qui

„ qui competit Religioſis „. 2. In ſacra Facultate Pariſienſi noſtra reſponſio eſt adeo certa, ut oppoſitam ſententiam non ſemel ſua cenſura perſtrinxerit. Enimvero cum anno 1630. menſe Decemb. ad eam delata fuiſſet ſequens propoſitio: „ In Eccleſia ſub Chriſto „ vivente in terra 72. Diſcipuli proximi erant Apo„ ſtolis, ideoque qui proprie ſuccedunt 72. Diſcipu„ lis, & illis ſimillimi ſunt, qui ſunt in Eccleſia in „ proximo gradu ad Epiſcopos, qui ſuccedunt loco „ Apoſtolorum. Hi ſunt Regulares, ut S. Th. pro„ bat ... ac ita propriiſſime ſuccedunt eorum (*Di„ ſcipulorum*) loco, & conſequenter præferendi ſunt „ illis, quorum labores & munera ſunt ſub juſſu par„ ticularis Epiſcopi, & ex ſtatu & vocatione aſſignan„ tur uni parvulæ particulari Eccleſiæ „. In hanc autem propoſitionem ſacra Facultas poſt diuturnam deliberationem ſic animadvertit die 15. Febr. ann. 1631. „ Iſta propoſitio, *inquit*, in quantum ad miniſteria „ Eccleſiaſtica Regulares, ratione ſtatus Religioſi, „ propriiſſime 72. Diſcipulis ſuccedere aſſerit; eſt no„ va, falſa, temeraria, præſumptuoſe aſſerta, contra „ communem Conciliorum & Patrum doctrinam, & „ imponit S. Thom. in quantum vero auctoritate pro„ ximo gradu Regulares Epiſcopis ſubjungit, falſa „ eſt, temeraria, erronea, & Ordinis hierarchici de„ ſtructiva „. Anno quoque 1664. die 24. Maji ſimili fortitudine eadem ſacra Facultas inſurrexit adverſus ſequentes propoſitiones ex lib. Gallice edito Jacobi de Vernant excerptas.

1. *Les Religieux ſont employez des le commencement de l' Egliſe a exercer les fonctions hierarchiques, qu' ils pratiquent aujourd' hui.*

2. *Les Religieux s' acquitterent ſi ſaintement de cette commiſſion, & travaillerent ſi utilement au ſalut des ames, que les Eveques jugerent a propos de n' employer que les Moines pour adminiſtrer au peuple Chretien le Sacrement de Penitence.*

3. *Avant le Concile de Vienne* (anno 1311. celebratum) *les Religieux etoient employez a precher & confeſſer par la ſeule nomination de leur Generaux ou des* Pro-

Provinciaux avec leurs Definiteurs ; & cela ſans dependance des Eveques.

De iis autem propoſitionibus mature examinatis & diſcuſſis ſic cenſuit ſacra Facultas: *Hæ propoſitiones*, inquit, *ſunt falſæ, & manifeſtam Auctoris imperitiam produnt.*

Prob. 2. ratione, quia Ordo & Principatus hierarchicus iis proprie non competit, qui ſubditos non habent, quibus divina ordinatione præſint ac imperent: atqui Religioſi charactere Sacerdotali inſigniti, & ad concionandum delegati, non habent ex inſtitutione divina ſubditos, quibus præſint & imperent: namque 1. ratione characteris Sacerdotalis præciſe, non magis principatum obtinent, quam Præsbyteri ſæculares nulli Eccleſiæ ſcripti, qui ex omnium conſenſione non ſunt proprie in Hierarchia principes. Ratione vero delegationis ad concionandum, non conſtituuntur, ex S. Th. ſupra laudato, in Ordine hierarchico; tum quia Miniſtri hierarchici ſunt inſtitutionis divinæ: Delegatio vero eſt inſtitutionis Eccleſiaſticæ, prorſuſque pendet a voluntate Prælatorum, qui ordine illæſo hierarchico eam æque denegare poſſunt Religioſis, ac Presbyteris ſæcularibus: tum quia delegatus non Principem agit, ſed mandatum Principis dumtaxat exequitur, ut jam obſervavimus ex S. Thom. cit. cap. 2.

Dixi Principatum non competere Religioſis Sacerdotibus, niſi imperfecte & ſecundum quid, quia Sacerdos quilibet (niſi ob crimen fuerit ſuſpenſus) jus habet offerendi ſacrificium, in quo pro populo mediatorem agit apud Deum, aſtantibus benedicit, iiſque Euchariſtiam diſtribuit, quæ functiones ſunt aliquatenus hierarchicæ, & quandam præſtantiam in benedicente arguunt; nam ex Apoſtolo Hebr. 7. *Sine ulla contradictione, quod minus eſt a meliore benedicitur.* Sed completum & perfectum principatum non ſupponunt in Sacerdote, qui non eſt Paſtor, cum non habeat ſubditos, quibus præſit, & imperare poſſit.

Dices: illi magis proprie quam Parochi ſunt ſucceſſores 72. Diſcipulorum, qui illis ſunt ſimiliores, quip-

quippe ab initio ſub Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus in ſecundo ordine functiones hierarchicas obierunt; atqui tales ſunt Sacerdotes Regulares, namque ii æmulantur vivendi rationem a Chriſto 72. Diſcipulis præſcriptam, & eorum exemplo ſine calceamentis, ſine æris in zonis Chriſtum ſequuntur atque annuntiant. 2. Certum eſt homines hujuſmodi ſeverioris diſciplinæ utilius ſtudium & operam impendiſſe ad aliorum ſalutem: S. quippe Hieronymus epiſt. ad Nepotianum, de Clericis ait: *Dominus pars Clericorum eſt: qui autem Dominum poſſidet, nihil extra eum habere poteſt, quod ſi .... aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem habet, cum iſtis partibus Dominus fieri pars ejus non dignatur.* Cum ergo Religioſi Sacerdotes hactenus obſervaverint hunc vivendi morem, & ideo Regulares dicantur, potiori jure in Hierarchia agnoſcendi ſunt inter initiantes, quam Clerici ſæculares, qui a priſtina Regula deſciverc.

Diſt. maj. Qui ſunt 72. Diſcipulis ſimillimi in ordine & poteſtate hierarchica, Conc. in moribus, Nego maj. namque Fideles, tam viri, quam mulieres, tempore Apoſtolorum æmulabantur vitæ inſtitutum 72. Diſcipulorum: *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia*, Act. 4. v. 32. Quis vero illos propterea ſucceſſores 72. Diſcipulorum dixerit?

Diſt. Similiter min. Religioſi Sacerdotes ſunt ſimillimi 72. Diſcipulis quoad vitæ inſtitutum, tranſeat: quoad vocationem ad exercendos actus hierarchicos, Nego min. Ipſorum enim non eſt alios ad Deum adducere, ut ſupra docet Auctor Hierarchiæ Eccleſiaſticæ: ſed ſtudere perfectioni adipiſcendæ ſub cura Epiſcoporum.

Dixi, *tranſeat*: quamvis enim 72. Diſcipuli, ſicut & Apoſtoli paupertatem impenſe coluerint, probari tamen non poteſt, eos Monachorum vota emiſiſſe, quia, ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 185. art. 6. ad 1. „ Perfectio Chriſtianæ vitæ non conſiſtit eſſentialiter „ in voluntaria paupertate; ſed voluntaria paupertas „ in-

„ inſtrumentaliter operatur ad perfectionem vitæ. Unde non oportet, quod ubi major paupertàs eſt, ibi ſit major perfectio: quin immo poteſt eſſe ſumma perfectio cum magna opulentia; nam Abraham, cui dictum eſt „ Gen. 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus*; legitur fuiſſe dives. Et in reſponſione ad ſecundum, docet verba illa: *Nolite poſſidere aurum, &c.* In mente S. Auguſtini non præcipiendo, ſed permittendo fuiſſe a Chriſto prolata, ita ut eorum ſenſus ſit, nolite poſſidere aurum, quia providi, ut hi, ad quos vos mitto, neceſſaria vobis ſuppeditabunt; *Dignus eſt enim*, inquit, *operarius mercede ſua*. Secundum vero S. Chryſoſtomi interpretationem, Chriſtum ita præcepiſſe Diſcipulis: „ Quantum, *inquit*, ad illam miſſionem, qua mittebantur ad prædicandum Judæis, ut per hoc excitarentur ad confidentium de ipſius virtute, qui eis abſque ſumptibus provideret. Ex quo tamen non obligabantur ipſi vel ſucceſſores eorum, ut abſque propriis ſumptibus Evangelium prædicarent .... Stultum autem videtur dicere, quod tot Sancti Pontifices, ſicut Athanaſius, Ambroſius, & Auguſtinus, illa præcepta tranſgreſſi fuiſſent, ſi ad ea ſervanda ſe crederent obligari „. Suadetur iſthæc interpretatio ex Lucæ cap. 22. v. 36. Ubi Chriſtus ex hoc mundo diſceſſurus commonet Diſcipulos ſibi deinceps providendum contra famem & nuditatem: *Sed nunc*, inquit, *qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram*. Ex quibus perſpicuum eſt, Chriſtum non prohibuiſſe ſuis Miniſtris, ne quid proprium haberent. Sed hac de re fuſius egimus ubi de nomine Clericorum. Ergo Religioſi ex eo non dicuntur Regulares, quod adhæreant regulæ a Chriſto præſcriptæ, cum nulla hic præſcripſerit; ſed quod vitam degant ſub regula ſui fundatoris.

Inſtabis 1. Plures Ordines ut Canonicorum Regularium, Mendicantium, inſtituti ſunt ad officia hierarchica obeunda: Ergo Religioſi Sacerdotes ejuſmodi Ordinum ex ſuo ſtatu principatum æque ac Parochi in hierarchia Eccleſiaſtica tenent.

Di-

Diſtinguo antecedens : inſtituti ſunt ad officia hierarchica obeunda , ubi & quando ad ea ab Epiſcopis vocabuntur & delegabuntur, Concedo: ita ut ſine delegatione Epiſcopi jure ſuo poſſint illa exercere , quemadmodum Parochi . Nego antecedens . Sed & illud obſervandum , quod Epiſcopi ejuſmodi Religioſos ſine conſenſu eorum præfecti, nec ad Ordines promovere , nec ad officia Eccleſiaſtica delegare debeant, ut habetur 16. quæſt. 1. cap. *Cum Monachi*, & cap. *Cum pro utilitate* . Ex quo evidens fit ejuſmodi Religioſos per delegationem non amittere ſubjectionis ſtatum ; ſed ex conſenſu ſui ſuperioris commodare ſe dumtaxat exequendis miniſteriis hierarchicis.

Inſtabis 2. Generales Miniſtri Ordinum Religioſorum ſubditos regunt cum ea Juriſdictionis poteſtate , qua Epiſcopi ſuos Diœceſanos : iis enim imperant , cenſuris , ubi opus eſt, inobedientes percellunt, ligatos pœnitentes abſolvunt , quin & Sacerdotes approbant , ac delegant ad eorum confeſſiones audiendas : Ergo ſub illo ſaltem reſpectu Superiores Religioſorum Ordinum ſacrum principatum exercent , non ſecus ac Epiſcopi .

Diſtinguo antecedens: regunt ex privilegio, ex quo in Conciliis Œcumenicis Generales Miniſtri ſuffragium ferunt, Concedo: regunt auctoritate a Chriſto inſtituta , & eorum ſtatui ac officio annexa, Nego antecedens . Itaque latum eſt diſcrimen inter Religioſum electum ad officium Generalis vel Provincialis Miniſtri, & Epiſcopum aut Parochum aſſumptum ad regimen Eccleſiæ : poteſtas enim juriſdictionis in Epiſcopo & Parocho eſt a Chriſto quoad primariam inſtitutionem : uterque regit ille Diœceſim, iſte Parochiam auctoritate a Deo accepta, & ab ejus ſtatu indivulſa, licet ejus exercitium propter crimen aliquando ſuſpendi poſſit. Contra vero officium Generalis aut Provincialis Miniſtri 1. non eſt inſtitutionis divinæ, ſed Eccleſiaſticæ . 2. Poteſtas ligandi & ſolvendi non eſt neceſſario conjuncta cum ejuſmodi officio , namque emiſſis Monialium Congregationibus , quæ ab uno capite reguntur ſine poteſtate ligandi & ſolvendi , & Con-

& Confeſſarios approbandi plures ſunt virorum Ordines Religioſi, ut militum Hieroſolymitanorum, Fratrum Caritatis, quorum ſupremus Miniſter caret tam ampla poteſtate.

Quod igitur Miniſtri Generales Religioſorum Ordinum tanta auctoritate gaudeant in ſuos ſubditos, privilegium eſt gravibus de cauſſis ab Eccleſia ipſis conceſſum; cum enim illi Ordines ſint pro diverſas Provincias & Regna diffuſi, vix unitas & membrorum cum capite conjunctio in iis ſervari poſſet, ſi ab Ordinariis locorum regerentur, ideoque magis expedire viſum eſt, ut Epiſcopi in ſuperiores hujuſmodi Congregationum omnem curam & ſolecitudinem refunderent cum juriſdictione quaſi Epiſcopali poteſtate delegandi ad ſuorum ſubditorum confeſſiones excipiendas: Sed propterea illi Superiores non exuerunt ſubjectione, quam in profeſſione ſolemniter voverunt, quia ex Sancto Thoma 2. 2. q. 186. art. 5. ad 3. ſubjectio Religioſorum principaliter attenditur ad Epiſcopos, ſicut perficiendorum ad perficientes.

R. 3. Religioſi ad munus Epiſcopale aut Parochiale aſſumpti ſunt perfecte in Ordine hierarchico. Ratio evidens eſt, quia non ſecus ac Epiſcopi & Parochi ſæculares ordinatione divina præſunt ſubditis, & poteſtate ordinaria eos purgant, illuminant, ac perficiunt, & quidem felicius, ſi meliores ex iis eligantur, ut vult S. Auguſtinus.

Dices: Religioſi ſunt in ſtatu ſubjectionis, atqui ſubjectio opponitur Principatui: ergo Religioſi aſſumi nequeunt ad Dignitates hierarchicas.

Diſtinguo maj. Sunt in ſtatu ſubjectionis ad perfectionem adipiſcendam, quomodo diſcipulus ad ſcientiam acquirendam, qua acquiſita poteſt evadere Magiſter, Concedo: ſunt in ſtatu ſubjectionis ſervilis, qualis eſt ſubjectio mancipiorum, Nego majorem.

Diſtinguo quoque min. Subjectio ſervilis opponitur Principatui, Concedo: ſubjectio tyronis & diſcipuli, Nego min. Ejuſmodi quippe ſubjectio diſponit ad Magiſterium. Noſtram reſponſionem egregie explicat S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. cujus verba operæ pretium

eſt

eſt exſcribere. „ Status Religionis, *inquit*, ad perfe-
„ ctionem pertinet quaſi quædam via in perfectionem
„ tendendi: ſtatus autem Epiſcopalis ad perfectionem
„ pertinet, tanquam quoddam perfectionis magiſterium.
„ Unde ſtatus Religionis comparatur ad ſtatum Epiſco-
„ palem ſicut diſciplina ad Magiſterium, & diſpoſitio
„ ad perfectionem. Diſpoſitio autem non tollitur per-
„ fectione adveniente, niſi forte quantum ad id, in
„ quo perfectioni repugnat. Quantum autem ad id
„ quod perfectioni congruit, magis confirmatur, ſicut
„ diſcipulo, cum ad Magiſterium pervenerit, non con-
„ gruit quod ſit auditor: congruit tamen ipſi quod
„ legat & meditetur etiam magis, quam ante. Sic er-
„ go dicendum eſt, quod ſi quæ ſunt in regularibus ob-
„ ſervantiis, quæ non impediant Pontificale officium,
„ ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt
„ continentia, paupertas, & alia hujuſmodi, ad hæc
„ remanet Religioſus, etiam factus Epiſcopus, obliga-
„ tus, & per conſequens ad portandum habitum ſuæ
„ Religionis qui eſt hujus obligationis ſignum. Si quæ
„ vero ſunt in obſervantiis regularibus, quæ officio
„ Pontificali repugnent, ſicut eſt ſolitudo, ſilentium,
„ & aliquæ abſtinentiæ, vel vigiliæ graves, ex quibus
„ impotens corpore redderetur ad exequendum Ponti-
„ ficale officium; ad hujuſmodi obſervanda non tene-
„ tur. In aliis autem poteſt diſpenſatione uti, ſecun-
„ dum quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii,
„ & conditio hominum, cum quibus vivit, per mo-
„ dum, quo etiam Prælati Religionum in talibus ſe-
„ cum diſpenſant.

Atque hæc dicta ſint de Ordine hierarchico, qui ex tribus, unde conſtituitur Hierarchia, primo loco occurrit juxta ejus definitionem ſupra allatam, *Hierarchia eſt ſacer Ordo, ſcientia, & actio*. Supereſt ergo ut pauca dicamus, 1. de ſcientia, ſine qua Ordo eſt inutilis, ex Hugone ſupra laudato; ac demum de actionibus hierarchicis.

CA-

CAPUT VIII.

De ſcientia, & aliis chariſmatibus ad hierarchiam requiſitis.

AUctor cæleſtis hierarchiæ in ſæpius laudata definitione omnia hierarchiæ chariſmata ad ſcientiam reducit eo ſenſu, quo Apoſtolus Rom. 3. v. 28. juſtificationem & omnia gratiarum dona tribuit fidei, non quam fingunt Hæretici, ſed quæ per caritatem operatur; hoc eſt, ſcientiam in hierarchia requirit Auctor noſter, non quæ inflet, ſed quæ per caritatem inferiores ædificet, eoſque ſimul illuminet, & divino amore incendat. *Neceſſe eſt*, inquit cap. 1. Eccl. Hierach. *ut & ipſe Pontifex pro ſuæ conditionis natura, modo, & ordine, in divinis myſteriis ac rebus perficiatur, Deificetur, & ſubditis ſuis divinam ſimilitudinem, quæ ipſi divinitus ineſt, pro ſua cujuſque dignitate impertiat.* Et iterum: *omni porro Ordini ſacro communi ſcopus eſt erga Deum & res divinas continua dilectio*, ut ſcilicet ex fervore caritatis prodeat & doctrinæ fulgor; *eſt enim tantum lucere, vanum*, inquit S. Bernardus ſer. in nativit. S. Joannis Baptiſtæ; *tantum ardere, parum; ardere & lucere, perfectum*: quæ duo Chriſtus in ſuo Præcurſore conjuncta fuiſſe teſtatus eſt, cum dixit Joann. 5. *ille erat lucerna ardens & lucens*. Quod expendens S. Bernardus cit. ſer. ſic habet, *non ait* lucens & ardens; *quia Joannis ex fervore ſplendor, non fervor prodiit ex ſplendore: ſunt enim qui non eo lucent, quia fervent: ſed magis fervent ut luceant. At iſti plane non fervent caritatis ſpiritu, ſed ſtudio vanitatis*. Itaque amor Dei primum locum obtinet inter hierarchiæ chariſmata; quia ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 184. art. 7. ad 2. hoc ipſum, quod Clerici intendunt his, quæ pertinent ad proximorum ſalutem, *provenit ex abundantia dilectionis divinæ*. Sed cum cognitio ordine naturæ amorem præcedat, primo loco de ſcientia dicendum; ſecundo de caritate. Sit igitur

§. I.

§. I.

De ſcientia neceſſaria ad functiones hierarchicas.

CErtum eſt 1. ſcientiam eſſe abſolute neceſſariam ad functiones hierarchicas obeundas, quia ſine ſcientia, inquit Hugo, & actio reprehenſibilis, & ordo inutilis. 2. Ignorantiam eſſe irregularitatem, circa quam nulla poteſt eſſe diſpenſatio, cum ſit juris naturalis & divini, ut conſtat ex c. 4. Oſeæ: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*, Chriſtus Matth. 23. maledicit imperitis, qui ad munia hierarchica obrepunt: *Væ vobis*, inquit, *duces cæci:* & c. 15. extremam perniciem iis prædicit: *cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* In quibus verbis S. Auguſtinus advertit, non ſolum qui ducitur, ſed & qui imperite ducit, ſimul in foveam cadere. Sed dubitari poteſt, quæ & quanta ſcientia requiratur ad functiones hierarchicas rite obeundas. Itaque

Q. 1. *Quæ hierarcham ſcire oportet?*

R. Evidenter colligitur ex ſcopo hierarchiæ & ex Hierarcharum officio: ſcopus hierarchiæ eſt ſubditos ad Deum adducere & Deificare: *eſt autem Deificatio*, inquit Auctor Eccleſ. hierarch. cap. 1. *Dei quædam, quoad fieri poteſt, aſſimilatio, unioque*; officium vero, ſive actus viri hierarchici eſt 1. ſubditos purgare ab ignorantia, errore, & labe peccati. 2. Purgatos illuminare, ac ſublimiora docere, puta quæ ſit myſteriorum noſtrorum; v. g. Euchariſtiæ, ſacrificii, excellentia & virtus; quæ dignitas adoptionis filiorum Dei, & quam eximium donum gratia ſanctificans communicatioque Spiritus Chriſti, ex quo procedere debent juſtorum opera. 3. Illuminatos perficere, quod Epiſcoporum proprium eſt, qui ut plenitudinem Spiritus ſancti conferunt per Sacramenta confirmationis & Ordinis, demonſtrare debent excellentiorem viam iis, qui hujuſmodi Sacramentis ſunt vel initiandi, vel jam initiati.

ti. Atqui hierarcha ſubditos purgare non poterit ab ignorantia legis, a peccato, quo legem prævaricati ſunt, niſi ipſe legem noverit, quia per legem cognitio peccati: *peccatum non cognovi*, inquit Apoſtolus Rom. 7. *niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret:* Non concupiſces.

1. Itaque ſciat neceſſe eſt legem Evangelicam; tum quia *omnis Scriptura*, ex Apoſtolo 2. ad Timoth. cap. 3. *divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus:* tum quia Deus univerſum orbem judicabit ſecundum Evangelium, ex eodem Apoſtolo Rom. 2. v. 16. Sed cum indocti & mundani Scripturas ſacras depravent, & ad ſua deſideria detorqueant, 2. Petri c. 3. v. 16. ne ſubditi inſipientium errore trahantur, accipiat hierarcha ſacrarum Scripturarum interpretationem tum ex Canonibus Eccleſiæ, tum ex SS. Patrum ſcriptis: *Noſtræ Hierarchiæ ſubſtantia*, inquit Concilium Nicænum ſecundum can. 2. *ſunt eloquia divinitus tradita, divinarum ſcilicet Scripturarum vera ſcientia*. Unde cap. *Cum ignorantia*, diſtinct. 50. habetur: *ſciant ergo Sacerdotes Scripturas ſanctas & canones*, Et cap. *Nulli*, diſt. 38. *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum Regulis poſſit obviare*. Enimvero Paſtor Angelus ſeu nuntius Domini exercituum eſt, Malach. cap. 2. & ad hoc miſſus, ut verba Dei non ſua aut alterius hominis ad plebem deferat; audiaturque ejus ſermo non ut verbum hominum, ſed ſicut verbum Dei, cui contradicere nefas ſubditi facile judicant: nec fruſtra ad id confirmandum referemus quod aliquando audivimus a ruſticis, ſe longe vehementius affici, cum Paſtor ex libro Evangelium eis legit, interpretaturque juxta Eccleſiæ & ſanctorum Patrum ſenſum, quam cum orationem ad eos habet propria induſtria concinnatam, quia inquiebant illi verbum Dei in dubium revocare aut impugnare non licet, ſicut verba hominum.

Apage ergo modernos illos Theologos morales; qui

qui in libris a ſe vulgat's doctrinam morum ſtabiliunt ratiunculis & argumentis veriſimilibus, ne dicam ſophiſticis: vixque ſacrarum Scripturarum meminere, niſi ut earum ſenſum ad præconceptas opiniones deflectant; eoque progrediuntur, ut ſuſpectos in fide pronuntient, qui ſicut fidei dogmata, ita morales concluſiones aſſerunt repetendas ex Scripturis ſacris, canonibus Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ſcriptis. Operæ pretium foret, ut viri hierarchici collectas apud ſe haberent propoſitiones ex ejuſmodi libris magno numero excerptas, & cenſorie notatas tum a Summis Pontificibus, tum ab Epiſcopis per varia loca, ac præſertim Gallicanis in comitiis generalibus an. 1655. & 1700. tum ab inſignibus Academiis Theologicis, ne incauti decipiantur lectione ejuſmodi librorum.

2. Præter legem divinam ſunt aliæ leges humanæ tum Eccleſiaſticæ, tum civiles, quæ non aſtringunt niſi certum quoddam hominum genus & ſtatum, nempe vel Clericos, vel Nobiles, & locorum Dominos, vel Magiſtratus, vel Artifices, Mercatores, &c. quarum notitia viris hierarchicis eo eſt magis neceſſaria, quo liberius & frequentius in ea peccant ſubditi, aliorum exemplis ſeducti. Quot in artificibus peccata contra leges ipſis proprias? Quot monopolia, fraudes & uſuræ in mercatoribus velatæ nomine venditionis ſocietatis, &c. Quot injuſtitiæ in foro? Quam gravia delinquunt plures e Beneficiariis, ac Clericis & locorum Dominis? Ab iis noxis ſinguli purgandi ſunt cura hierarchiæ. Quomodo vero purgabit, ſi ignoret leges ſingulis ſtatibus præſcriptas? Quam ergo immenſa debet eſſe hierarcharum ſcientia, cum ſcire teneantur, quæ ſunt officii omnium ſubditorum! Sed iſta hic breviter perſtricta latius & accuratius expoſuimus, aſſeruimuſque adverſus ea, quæ objici ſolent in praxi pœnitentiaria, Tractatu 1. cap. 4. & 5. ubi de prudentia ad uſum ſcientiæ omnino neceſſaria, ad quæ Lectorem ut recurrat, obnixe rogamus.

Atque hæc de ſcientia ad purgandos ſubditos neceſſaria, quæ quantacunque videatur, in mente tamen Apoſtoli Hebr. 6. non continet niſi prima diſciplinæ

hic.

hierarchicæ elementa : *Intermittentes* , inquit , *inchoationis ſermonem* , *ad perfectiora feramur* , *non rurſum jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis* .

Doctrinam , qua expellitur ſubditorum ignorantia , fugantur errores , & ſordes peccati , mediante pœnitentia, eluuntur, inchoationis ſermonem appellat, quia inde incipit actio hierarchica . Sed nunquid agricola evulſis noxiis , & inutilibus herbis quieſcit , cum ideo tantum ab iis agrum purgaverit , ut in eo vera & proficua grana ſeminaret ? Igitur in Ordine herarchico ſubditi purgantur , ut illuminentur : illuminantur vero , ut perficiantur ; & , ut ait Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Auctor , Deificetur per intimam cum Deo unionem , ad quam tanquam ad ſcopum hierarcha pro viribus nititur. Hinc idem Apoſtolus 1. Cor. 3. conqueritur, quod Corinthios perfectiora illa hactenus non potueris edocere , utpote qui adhuc ſecundum hominem ſaperent , & a carnalibus affectibus nondum eſſent expurgati ; *non potui* , inquit , *vobis loqui quaſi ſpiritualibus* , *ſed quaſi carnalibus* , *tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi*, *non eſcam* ; *nondum enim poteratis* ; *ſed nec nunc quidem poteſtis* , *adhuc enim carnales eſtis* .

Secunda igitur actio hierarchica, priore præſtantior, eſt illuminare ſubditos a vitiis jam purgatos ; illuminantur autem, cum hierarcha , ſeu Paſtor illos ad virtutes exercendas inſtituit , docet quæ ſint earum officia , quantum virtutes Chriſtianæ diſtent a virtutibus Philoſophorum , quomodo cavendum ab amore ſui , ab innata ſuperbia & cupiditate , quæ obrepunt ſub velamine pietatis; unde *ſæpe opus noſtrum cauſſa damnationis eſt* , inquit S. Gregorius , *quod profectus putatur eſſe virtutis* .

Subditos ſic illuminatos & in virtute inſtitutos excipit tertia actio hierarchica , in qua totus eſt hierarcha , ut illus perficiat in cognitione & amore Dei , adducatque ad intimam cum Deo unionem .

Verum nemo ad tam ſublime magiſterium idoneus eſt ,

eſt, niſi ſit ipſe illuminatus & perfectus; nec enim lucerna lucebit, niſi fuerit accenſa; nec ſpeculum radios ſolis per reflexionem tranſmittet, niſi eos in ſe collegerit; porro hæc ſcientia ſplendor eſt virtutis, ac præſertim caritatis: „ cujuslibet eorum, qui „ ſacrum ordinem ſortiti ſunt, *inquit auctor libri de* „ *cœleſti hierarchia cap.* 3. in hoc ſita perfectio eſt, „ ut ad divinam pro captu quiſque ſuo promoveatur „ imitationem, quodque divinius eſt omnium, ipſius „ etiam Dei (ut ſacra eloquia eloquuntur) coope- „ rator exiſtat, „ divinamque in ſemetipſo demonſtret operationem, quoad poteſt elucentem. *Denique Apoſtoli vox eſt* 1. *Cor.* 2. *verſ.* 11. „ quæ Dei „ ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei; nos autem „ non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiri- „ tum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo dona- „ ta ſunt nobis, „ ſcilicet inenarrabilia gratiæ dona Eccleſiæ per Chriſtum collata. Notitiam quidem legum, quam diximus neceſſariam ad purgandos Fideles, ſtudio & improbo labore poteſt quis utcunque ſibi comparare: at ſcientiam, de qua hic agitur, magis docet unctio, quam lectio. Unde ſubdit Apoſtolus; *animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi: & non poteſt intelligere*. Quod expendens S. Aug. ſerm. 71. c. 18. alias ſerm. 11. de verbis Domini, obſervat Apoſtolum non negare animalem ſeu carnalem habere Spiritum ſanctum; cum eum dicat parvulum in Chriſto, ac proinde ex Spiritu ſancto renatum; aſſeratque eundem eſſe templum Dei, & in eo habitare Spiritum ſanctum; ſed docere dumtaxat eum non percipere quæ ei donata ſunt, quomodo parvulus non-percipit, nec percipere poteſt animam rationalem, quæ in ipſo eſt; atqui non poteſt quis alios docere quod non percipit, v. g. parvulus quæ ſit natura, quæve proprietates animæ rationalis: ergo cum animalis-homo non percipiat quæ ſunt Spiritus Dei, qui ei in Sacramento datus eſt; quæ Spiritus Dei ſunt, docere nequaquam poteſt. Unde Auctor Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 1. *Sicut*, inquit, *qui ſacram ordinem nominavit*, *omnium*

ſimul compendio ſacrorum dixit diſpenſationem; ita qui ſummum Sacerdotem appellat, Deo intime unitum, ac divinum pene virum ſignificat: omni Sacra cognitione *perpolitum.*

De perfectione autem ſcientiæ, quam Auctor noſter hic in ſummo Sacerdote requirit, idem ſentiendum, quod de perfectione caritatis ſupra diximus, ſcilicet neutram in hac mortali vita poſſe eſſe ſimpliciter perfectam: ſed ſecundum quid tantum, ac proinde ſicut in caritate, ita in ſcientia ſalutis, ſeu hierarchica ſemper proficiendum. David, cui occulta ſapientiæ fuerant manifeſta, quam ſæpiſſime Deum precatur, ut illi tribuat intellectum, illum illuminet, revelet ejus oculos, &c. Salomon, hominum ſapientiſſimus, teſtatur Eccleſ. 7. nedum ſe ad ſapientiæ plenitudinem perveniſſe, quin ſibi viſum eo a ſe longius recedere, quo ardentius ad eam niteretur; quia quæ ex illa guttatim defluunt, ſitim potius incendunt, quam extinguant. Apoſtolus cariſſimo ſuo Timotheo, qui ab infantia ſacras litteras didicerat, & ab eo apprime excultus fuerat, nihilominus præcipit 1. Tim. 4. ut attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Sed quod amplius mirum videri debet, ipſemet Apoſtolus, ad tertium cælum raptus, librorum uſu & lectione animum reficiebat, etiam ſenex & morti proximus, ut patet ex c. 4. 2. ad Tim. v. 13. Quæ operæ pretium fuit obſervare, ut extimulentur ſimulque erubeſcant qui licet litterarum plane rudes, illis vix illam dant operam, ex quo inaugurati ſunt Sacerdotes; ut ſaluti aliorum inſerviant, cum ex S. Thoma ſupra laudato, diſcipulus, qui ad magiſterium pervenit, magis quam ante lectioni & meditationi præſertim Scripturæ ſacræ, incumbere debeat.

Quæ hactenus diximus de ſcientia ad hierarchiam requiſita, oſtendunt quidem quanta ſit ejus latitudo & ſublimitas; ſed cum poſſit eſſe magis vel minus perfecta,

Q. 2. *In quo perfectionis gradu tam multa, tamque ſublimia ſcire debet hierarcha?*

R. Cum Gloſſa in caput *Cum nobis*, tit. de electione:

ne: *Eminens ſcientia bene eſt deſideranda in Prælato; competens toleranda*.

Scientia eminens eſt in prælato, qui tam probe novit quæ ſint ſui officii, ut ea firmis argumentis confirmare poſſit adverſus refractarios, & occurrentia ſubditorum dubia ſolvere. Hæc ſcientia in primis eſt deſideranda in ſummo Sacerdote, cum inferiores in caſibus obſcuris & difficilibus ad eum recurrere ſoleant ac debeant. Competenti vero ſcientia inſtructus cenſetur, qui callet elementa & univerſaliora principia regiminis, in quo poſitus eſt, & ex iis in facilibus concluſiones deducit ad praxim; in difficilioribus autem hæſitat, anceps num generalis regula, quæ ipſum non latet, ſingulari, quam tractat, materiæ debeat applicari, ac propterea errandi periculum proſpiciens ſapientiores conſulit, & eorum ſapientiam quodammodo reddit ſibi propriam. Hic ſcientiæ gradus dicitur competens, & tolerandus præſertim in inferiore hierarcha, utpote qui ſic comparatus ſubditos prudenter regere, & ad ſcopum hierarchiæ tuto deducere queat, ubique lucens & proprio lumine in facilioribus, & in difficilioribus alieno, ſcilicet ſapientiorum, quibus ex animo conjungitur.

Ergo qui dubitat, cæcus non eſt, nec omnino ignarus: videt enim, ſed quaſi per caliginem, Gallice, *il entrevoit*, videt, inquam, quid ferat jus commune, quid generatim decernant leges v. g. circa contractus, quid & quotuplex ſit uſura, ſimonia, irregularitas, quæ & quot impedimenta matrimonii, &c. ſed non videt, an leges illæ ſe extendant ad eam quam tractat materiam, ſingulares circumſtantiæ obſcuritatem ipſi pariunt; hinc fluctuat animus, variiſque cogitationibus agitatur, quæ ad ſapientis conſilium recurrere compellunt. Contra vero qui univerſales diſciplinæ hierarchicæ regulas ignorat, nullam patitur difficultatem, nihil in praxi eum moratur; omnia ipſi plana & expedita videntur; in qualibet materia, puta uſuræ, ſimoniæ, irregularitatis, &c. confidenter ac intrepide pro libidine definiens, ſubditos non purgat, ſed eorum ſordes operit; non illuminat, ſed in errore confirmat:

non perficit, ſed in foveam incautos conjicit. Iſthæc quotidianis experimentis perſpicuiora fiunt, quam rationibus & diſcurſu. Diverſis in Diœceſibus Epiſcopis ſubminiſtravimus, quamplurimas parochias luſtravimus, & ubique obſervavimus ex parochis ſolos diligentiores ac peritiores aliqua in dubium vocaſſe, nodis & difficultatibus in regimine animarum fuiſſe impeditos, a quibus ſolvi ſe & expediri poſtularent; ceteros rerum Eccleſiaſticarum rudes, ut nihil unquam intricatum aut obſcurum reperiunt, ita nec explanandum habuiſſe: fruſtra luſtrantur eorum Parochiæ, quia, ſi eis credatur, cuncta ſunt ordinata ac integra, nec quidquam ſupereſt, quod viſitantis induſtriam ac ſollicitudinem requirat. Idipſum cernere eſt in Scholis, ubi auditoribus obtuſi ingenii nulla ſuboritur dubitatio circa lectiones, quas excipiunt, nec capiunt, nihil habens quod contra opponant, cum alii perſpicaciores ſimul ac ſenſum eorum, quæ dicuntur, percipiunt, percelluntur argumentis, quæ adverſari videntur, donecque ſoluta ſint a Magiſtro, non quieſcunt. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, eum nec dubitare, nec ſapientiorum conſilio, quoties opus eſt, uti poſſe, niſi attigerit primum ſcientiæ gradum, in Ordine hierarchico prorſus neceſſarium.

§. II.

Quam ſanctitatis ac caritatis perfectionem requirat Hierarchia?

QUæſtio non eſt, an ſanctitas requiratur in viro hierarchico, ut valide ſuo fungatur officio v. g. Sacramenta adminiſtret; illud enim expendimus Tractatu de Sacramentis in genere cap. 14. & Tractatu de Juſtitia & Jure parte 1. cap. 16. Hic ſolum quæritur quæ ſanctitatis perfectio ſit neceſſaria in Ordine hierarchico, ut ſubditi laudabiliter regantur, & a labe peccati expurgati per virtutis exercitationes deducantur ad finem hierarchiæ, quem diximus eſſe

iati-

intimam cum Deo conjunctionem. His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem

R. 1. Major ſanctitatis perfectio requiritur in Prælatis, quam in Religioſis.

Probatur 1. ex Scriptura Joann. 10. lex paſtoribus imponitur, ut animam ponant pro ovibus, cum ceteris Fidelibus, etiam Religioſis, præcipiatur tantum ut proximum diligant, ſicut ſemetipſos. *Bonus Paſtor*, ait Chriſtus, *animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*. Et Joann. 21. oves ſuas Petro commiſſurus, interrogavit an ſe pluſquam alios diligeret? *diligis me plus his?* nempe Apoſtolis. *Ego quidem*, inquit S. Bernardus ſerm. 76. in Cantica, *id ſignificatum perinde puto, ac ſi illi dixiſſet Jeſus: Niſi teſtimonium tibi perhibeat conſcientia, quod me ames, & valde perfecteque ames, hoc eſt, pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam & te . . . . nequaquam ſuſcipias curam hanc, nec te intromittas ovibus meis, pro quibus ſanguis utique meus effuſus eſt. Terribilis ſermo, & qui poſſit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere.*

Probatur 2. ex Patribus.

S. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio: „ Si talem „ mihi aliquem adducas Monachum, qualis, ut ſecundum exaggerationem dicam, Helias fuit, non „ tamen illi comparandus eſt, qui traditus populis & „ multorum peccata ferre compulſus, immobilis perſeverat & fortis. *Et infra*: Si quis mihi proponeret optionem, ubi mallem placere in officio Sacerdotali, an in ſolitudine Monachorum: ſine comparatione eligerem illud, quod prius dixi.

S. Hieronym. epiſt. ad Ruſticum, *Ita age*, inquit, *& vive in Monaſterio, ut Clericus eſſe merearis*.

S. Auguſtinus epiſt. 60. alias 76. ad Aurelium ſcribit, nonniſi probatiores inter Monachos in Clerum ſolere aſſumi, *Cum*, inquit, *aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat*.

Auctor hierarchiæ Eccleſiaſticæ c. 6. Sacerdotes Monachis proponit tanquam exemplaria, & virtutis formam, quam imitari debent, *quippe qui cum uno conjungi debent, & cum ſacra Monade copulari, & ad*

Sacerdotalem, quantum fas eſt, vitam efformari, tanquam qui præ ceteris initiatis cum hoc ordine in pluriмis conveniunt, majoremque affinitatem habent.

Probatur 3. ratione, qua S. Thomas 2. 2. q. 184. art. 7. confirmat noſtram reſponſionem: quia nobilius ac perfectius eſt dare, quam accipere; agere, quam pati; actus enim eſt ultima cujuſque rei perfectio: melior eſt arbor, quæ plures & meliores fructus producit; ignis inter elementa, & ſol inter ſidera primum locum obtinent, quia ſunt magis in actu: Deus autem, utpote in omni genere perfectionis infinitus, non tam eſt in actu, quam ipſe totus actus puriſſimus, omnem excludens potentiam recipiendi quidpiam, quia recipere denotat in recipiente aliquem defectum, illi enim deerat quod recipit. Hinc res quælibet, etiam imperfectiſſima, recipere poteſt; agere vero nequaquam; naſcens arbor incrementa accipit; ſed fructus non facit, donec ad perfectionem ſuæ ſpeciei congruentem pervenerit: atqui Monachorum ſtatus eſt ad accipienda divina, ex c. 6. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, prælati vero ſe habent ut Monachorum perfectores: ergo prælati ex ſtatu ſuo debent eſſe Religioſis perfectiores.

Dices 1. Religioſi, non vero prælati, obſervant quod dicitur Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes*, &c. Ergo ſtatus Religioſorum perfectior eſt ſtatu prælatorum.

Nego conſeq. quia abdicatio rerum temporalium dupliciter ſpectari poteſt, ſcilicet vel in actu, vel in præparatione animi. Si primo modo ſpectetur, perfectio in ea eſſentialiter non conſiſtit, ſed eam Chriſtus proponit ut inſtrumentum, non quidem abſolute neceſſarium, ſed valde idoneum ad acquirendam perfectionem, & *ideo*, inquit S. Thomas citato art. 7. ad 1. *nihil prohibet ſtatum perfectionis eſſe ſine abrenuntiatione propriorum, ſicut etiam dicendum eſt de aliis exterioribus obſervantiis*. Si autem ſecundo modo ſpectetur illa abdicatio nempe in præparatione animi, ita ut quis paratus ſit, ubi fuerit opus, omnia dimittere vel diſtribuere, directe & eſſentialiter pertinet

tinet ad perfectionem, ut obſervat S. Auguſt. lib. 2. quæſt. Evangel. cap. 11. ubi ſic habet; *oſtendit Dominus filios ſapientiæ intelligere, nec in abſtinendo, nè in manducando eſſe juſtitiam, ſed in æquanimitate tolerandi inopiam.* Hanc juſtitiæ plenitudinem præ ſe ferebat Apoſtolus, cum ſcriberet Philip. 4. *Scio, & humiliari, ſcio & abundare, (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire.* S. Thomas cit. loco hæc habet: *Ad hoc autem maxime tenentur Epiſcopi, quod omnia ſua pro bonore Dei & ſalute ſui gregis contemnant, cum opus fuerit, vel pauperibus ſui gregis largiendo, vel rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinendo.*

Inſtabis: Si prælati, qui in ſæculo honoribus fulgent, bonis affluunt, & delicate vivunt, perfectiores & Deo acceptiores ſunt Monachis, etiam ſuperioris diſciplinæ: iſti merito uſurpabunt verba Pſalmi 72. *ergo ſine cauſſa juſtificavi cor meum... & caſtigatio mea in matutinis.*

R. Abſit à nobis, ut abſolute & univerſim pronuntiemus prælatos Monachis eſſe perfectiores, cum certum ſit benemultos e Monachis non paucos Paſtores ſanctitate antecellere: ſed affirmamus dumtaxat cum S. Thoma & omnibus Theologis, præſertim Pariſienſibus, ſtatum prælatorum majorem perfectionem exigere, quam ſtatum Monachorum. „ Manifeſtum eſt, „ *inquit S. Thomas q.* 184. *art.* 8. excellere præminentiam Ordinis quantum ad dignitatem, quia per „ ſacrum Ordinem aliquis deputatur ad digniſſima miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſervitur in Sacramento „ altaris, ad quod major requiritur ſanctitas interior, „ quam requirat etiam Religionis ſtatus..... Unde gravius peccat, ceteris paribus, Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, ſi aliquid contrarium „ ſanctitati agat, quam aliquis Religioſus, qui non „ habet Ordinem ſacrum. „

Dices 2. Perfectius eſt Deum diligere, quam proximum; atqui ſtatus Religioſus directe tenuit ad dilectionem Dei; paſtorum vero ad dilectionem proximi: ergo ſtatus Religioſus eſt perfectior ſtatu Paſtorali.

Diſtinguo minorem, ſtatus Paſtoralis tendit ad dilectionem proximi ex ferventiori caritate in Deum, Concedo: ſecus, Nego minorem. *Hoc ipſum quod Epiſcopi intendunt his, quæ pertinent ad proximorum dilectionem*, inquit S. Th. cit. art. 7. ad 2. *provenit ex abundantia dilectionis divinæ... hoc autem eſt majoris dilectionis ſignum, ut homo propter amicum etiam alii ſerviat, quam ſi ſoli amico velit ſervire.*

Dices 3. vita contemplativa eſt præſtantior vita activa: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, ait Dominus, Luc. 10. atqui officium Paſtorale pertinet ad vitam activam, profeſſio vero Monaſtica ad contemplativam: Ergo.

Diſtinguo minorem, ut ſupra; officium Paſtorale pertinet ad vitam activam ſimul & contemplativam, Concedo; activam tantum, Nego minorem. *Sit præſul actione præcipuus*, inquit S. Gregor. 2. parte Paſtoralis c. 1. *præ cunctis contemplatione ſuſpenſus*; utpote qui a Deo haurire debeat, quod in alios refundat.

Maneat ergo, majorem perfectionem in Ordine hierarchico requiri, quam in Monaſtico ſeu Regulari. Sed præcipua quæſtio ſupereſt ſolvenda, ſcilicet quæ debeat eſſe major illa perfectio: Quare

R. 2. Ad munus Paſtorale præexigitur perfectio jam adepta, cum ad profeſſionem Monaſticam ſufficiat ſincera voluntas perfectionis adipiſcendæ. Reſponſio ſequitur neceſſario ex præcedenti, quia Joann. 15. *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*: Atque paſtor ex officio ſe ſuaque ſubditorum ſaluti devovet, quod vere non præſtabit, niſi in eo præſupponatur perfecta caritas.

Confirmatur ex unanimi Theologorum conſenſu poſt ſanctum Thomam, qui 2. 2. q. 185. art. 1. ad quæſtionem, num liceat Epiſcopatum appetere, ſicut profeſſionem Monaſticam, ſic reſpondet ad 2. „ Ad ſtatum Epiſcopalem præexigitur vitæ perfectio, ut „ patet per hoc, quod Dominus a Petro quæſivit, „ ſi plus eum ceteris diligeret, antequam ei committeret Paſtorale officium: Sed ad ſtatum Reli-

„ gio-

„ gionis non praexigitur perfectio, ſed eſt via in „ perfectionem. Unde & Dominus *Matth.* 19. non „ dixit, *ſi es perfectus, vade, vende omnia quæ habes:* ſed, *ſi vis perfectus eſſe*. Et hujus differentiæ „ ratio eſt, quia ſecundum Dionyſium (5. cap. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ) perfectio pertinet active ad „ Epiſcopum, ſicut ad perfectiorem; ad Monachum „ autem paſſive ſicut ad perfectum. Requiritur au- „ tem, quod ſit perfectus aliquis ad hoc, quod poſ- „ ſit alios ad perfectionem adducere; quod non „ præexigitur ab eo, qui debet ad perfectionem ad- „ duci. Eſt autem præſumptuoſum, quod aliquis per- „ fectum ſe reputet; non autem quod aliquis ad per- „ fectionem tendat. „ Quod de Epiſcopis S. Doctor ſpeciatim aſſerit, illud extendendum ad Parochos docet ſacra Facultas Pariſienſis, quia iis cura ſimiliter incumbit ſubditos ad Deum adducendi. „ Status Cu- „ ratorum, *inquit Gerſ. de ſtatu Eccl. conſid.* 5. eſt „ ſtatus perfectionis, non ſolum acquirendæ, ſed etiam „ exercendæ: cum ſibi competat tam obligatio, quam „ auctoritas reducendi animas ad Deum, ſecundum „ hierarchicos actus, qui purgare, illuminare, per- „ ficere nominantur.

In quo autem conſiſtat adepta perfectio, egregie explicat S. Bernardus ſerm. 18. in Cantica, ubi diſtinguit duplicem Spiritus ſancti operationem: *unius quidem*, inquit, *qua nos primo intus virtutibus ſolidat ad ſalutem: alterius vero, qua foris quoque muneribus ornat ad lucrum*. Utramque ex propriis effectibus nominat, primam ſcilicet *infuſionem*, alteram vero *effuſionem*, quia per priorem Spiritus ſanctus tanquam in vaſa vacua, aut ſaltem nondum plena, infundit virtutum dona, donec impleantur; per poſteriorem vero in plena jam nihilominus effundit, ut quæ capere & in ſe retinere non valent, exterius refundant. Infuſionem dicit eſſe Religioſorum propriam & eorum, qui rejectis gratiæ impedimentis ſerio tendunt ad perfectionem: effuſionem vero eorum, qui curam animarum ſuſcipiunt.

Infuſio igitur in eo conſiſtit, ut quis 1. obicem,

caritatis removeat, peccatum ſummopere exhorreat; ſollicite caveat. Deinde virtutem impenſe colat, illiuſque amore & deſiderio quod reliquum eſt cupiditatis ac ſuperbiæ diligenter abradat; tumque plenus & perfectus cenſetur, cum terrena non concupiſcit, nec proſperis extollitur, nec adverſis frangitur, ſed uniformis uni Deo adhæret.

Quod ſi quæras, quid effuſio præſtare poteſt homini ſic pleno ac perfecto? Reſpondeo in mente S. Bernardi, id præſtare, quod natura nutricibus, quibus confert fontes lactis in tanta copia, ut illud ſine dolore retinere nequeant, & cum voluptate infantibus communicent, potiuſque exonerari, quam largiri videantur. Dicam apertius, iſthæc Spiritus ſancti effuſio efficit, ut quis timeat alteri ſicut ſibi, lapſum ejus doleat ut ſuum, ſtudio procurandæ ejus ſalutis ardeat, nec quieſcat, donec, quos poteſt, ad Deum rapiat. Hujuſmodi ſpiritu incitatus David dicebat Pſalm. 118. *Vidi prævaricantes & tabeſcebam*. Jeremias, cum nihil profecerat apud incredulos, nec aliud reportaret ex verbi Dei prædicatione, quam irriſiones & probra, ſibi tacendum duxit; ſed „ ſermo Dei factus eſt in corde „ meo, *inquit c. 20. v. 9.* quaſi ignis exæſtuans, „ clauſuſque in oſſibus meis; & defeci, ferre non „ ſuſtinens. Talis amor zelat, *inquit S. Bernard. ibi*„ *dem*, hic decet amicum ſponſi: hoc neceſſe eſt „ ardeat fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit „ Dominus ſuper familiam ſuam. Hic replet, hic fer„ vet, hic ebullit, hic jam ſecurus effundit exun„ dans & erumpens ac dicens: *quis infirmatur, &* „ *ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non uror?* „ prædicet, fructificet . . . non eſt quo ſe immiſceat „ vanitas, ubi totum occupat caritas . . . eam non„ dum adeptus periculoſiſſime promovetur, quantiſ„ libet aliis videantur pollere virtutibus.

Magna autem cautione hic opus eſt, ne quis aut retineat quod erogandum accepit, aut in alios effundat quod ſibi retinere debet. „ Rem profecto proxi„ mi retinens tibi, ſi, v. gr. plenus virtutibus cum „ ſis, fueriſque nihilominus donis ſcientiæ & eloquen-

„ tiæ

„ tiæ adornatus, metu forte aut ſegnitie, aut minus
„ diſcreta humilitate verbum bonum, quod poſſet
„ prodeſſe multis, inutili, immo damnabili ligas ſi-
„ lentio: certe maledictus, quod frumenta abſcondis
„ in populis. Rurſum quod tuum eſt, ſpargis & per-
„ dis, ſi priuſquam infundaris tu totus, ſemiplenus
„ feſtines effundere. „

Quamobrem, pergit ſanctus Doctor: „ ſi ſapis, con-
„ cham te exhibebis, & non canalem. Hic ſiquidem
„ plene ſimul recipit & refundit: illa vero, donec
„ impleatur, expectat & ſic quod ſuperabundat, &
„ ſine ſuo damno communicat... Ceterum tu, fra-
„ ter, cui firma ſatis propria ſalus nondum eſt, cui
„ caritas adhuc aut nulla eſt, aut adeo tenera . . .
„ ut contra mandatum favore liqueſcas, pavore defi-
„ cias, perturbetur triſtitia, avaritia contrahatur,
„ protrahatur ambitione, ſuſpicionibus inquietetur,
„ conviciis exagitetur . . . tu inquam, ita in pro-
„ priis teipſum ſentiens, quanam dementia, quæſo,
„ aliena curare aut ambis, aut acquieſcis? . . . im-
„ plere prius, & ſic curato effundere, alioquin nec
„ mihi ſedes ditari, ex te exinanito, ſi enim tu tibi
„ nequam, cui bonus eris? De cumulo, ſi vales,
„ adjuva me, ſin autem, parcito tibi.

CAPUT IX.

De actibus hierarchicis.

Conſtat ex dictis, hierarchiam totam eſſe ad ſub-
ditos purgandos, illuminandos, & perficiendos.
De quibus actibus jam multa diximus. Unum ſuper-
eſt examinandum, de quo Catholicos inter & Nova-
tores exiſtit controverſia, num ſcilicet hujuſmodi actus
ſolum exerceantur (ut illi contendunt) docendo, ex
hortando & verbum Dei prædicando, an cum impe-
rio & poteſtate puniendi rebelles pœnis & cenſuris
Eccleſiaſticis: ut aſſerunt Catholici.

Nomen autem cenſuræ deducunt alii a verbo *cenſeo*, ex eo quod Cenſoribus arbitrium eſſet in Republica Romana, de civium moribus caſtigandis. Alii *a cenſu*, quia Cenſores populi Romani facultates æſtimabant, & in cenſum redigebant. Sumitur vero cenſura, 1. pro dignitate Cenſoris, ita ut dignitas illa a Cenſore dicatur Cenſura, ſicut dicitur a prætore prætura: 2. pro Decreto cenſorio: 3. pro ipſamet caſtigatione & pœna cenſoria. Porro apud Scriptores Eccleſiaſticos cenſuræ nomen uſurpatur in ſecunda & tertia ſignificatione. In ſecunda quidem, nam judicium Eccleſiæ vel Academiæ Theologicæ de perverſa propoſitione cenſura dici ſolet. In tertia etiam, pœna quippe ſpiritalis in contumaces decreta aut inflicta vulgo appellatur cenſura. Et hoc poſteriori modo cenſuram hic accipimus, circa quam quæremus 1. utrum exiſtat in Eccleſia poteſtas ferendi cenſuras: 2. quomodo definiatur cenſura: 3. quotuplex ſit cenſura: 4. *quis* poſſit ferre cenſuras, & ab iis ſolvere.

§. I.

Utrum exiſtat in Eccleſia poteſtas ferendi cenſuras?

NEgant Pſeudo-reformati, utpote qui omnes actus hierarchicos referant ad ſolam verbi divini prædicationem, doceantque Paſtores ligare, vel ſolvere, quatenus ſacra concione vel terrent incredulos judiciorum Dei comminatione; vel fideles recreant ſpe divinarum promiſſionum. Admittunt quidem quandam excommunicationis ſpeciem & larvam, uti neceſſariam ad tuendam diſciplinam; ſed contendunt eam nullum habere effectum ſpiritalem ut patet ex hac propoſitione 18. Lutheri cum aliis bene multis damnata a Leone X. ann. 1522. *excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus*; adverſus quem errorem

R. Cum omnibus Catholicis, Eccleſia a Chriſto accepit

cepit poteſtatem ferendi cenſuras, quæ non ſunt pœnæ ſolum externæ, ſed ſpirituales.

Probatur 1. ex Scriptura. Matth. 16. Chriſtus ait Petro: *tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.*

In quibus verbis duo ſunt notanda, primo nomine clavium intelligi ſupremam poteſtatem regendi Eccleſiam, ut alibi diximus, ac proinde poteſtas clavium latius patet, quam poteſtas remittendi aut retinendi peccata, extenditurque ad leges ferendas, controverſias in materia fidei & morum terminandas, ad diſpenſandum in votis, ac denique in pœnas ad contumaces decernendas: iſthæc enim ad regimen Eccleſiæ ſunt omnino neceſſaria. Secundo, quod ſi legatum aut ſolutum fuerit in terris, fore quoque ligatum tum & ſolutum in cælis. Ergo poteſtas hic Petro promiſſa non eſt limitanda ad pœnas exteriores & temporales, nam ejuſmodi pœnæ ligant ſolum in terra & per mortem ſolvuntur.

Quod ſpeciatim hic promittitur Petro, ſalvo ejus primatu, promittitur omnibus Apoſtolis Matth. 18. iis enim dicitur v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo;* & v. 17. præmiſerat: *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.*

Probatur 2. ex Traditione.

Apoſtolus eam agnovit in ſe poteſtatem 1. Cor. 4. v. 21. *Quid vultis*, inquit, *in virga veniam ad vos, an in caritate, & ſpiritu manſuetudinis?* 2. Cor. 13. *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi.* Ea auſus eſt 1. Cor. 1. erga inceſtum: *Jam judicavi ut præſens eum qui ſic operatus eſt .... cum virtute Domini noſtri Jeſu tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis.* Et 1. Tim. 1. v. 10. *Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quod tradidi ſatanæ.* Quæ de pœna mere externa intelligi nequeunt.

Tertullianus temporibus Apoſtolorum vicinus, Apolog. cap. 39. de conventibus Chriſtianorum ſic ſcribit:

bit: „ Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & „ cenſura divina, nam & judicatur cum magno pon„ dere, ut apud certos de Dei conſpectu, ſummum„ que futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita de„ liquerit, ut a communicatione orationis, & con„ ventus omnis ſancti commercii relegetur „. Huc referri debent quæ Tractatu de pœnitentia retulimus de gradibus pœnitentiæ publicæ, in quibus pœnitentes a ſacris arcebantur.

S. Chryſoſt. hom. 4. in epiſt. ad Hebræos, referturque 11. quæſt. 3. cap. *Nemo*, *Nemo contemnat vincula Eccleſiaſtica*, inquit, *non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit, & Dominus fecit homines tanti honoris*. Quæ intelligi nequeunt de poteſtate infligendi pœnas mere externas & temporales, cum ejuſmodi poteſtas competat cuilibet Magiſtratui & patrifamilias.

S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 15. & habetur cap. *Corripiantur*, 24. quæſt. 3. „ Corripiantur, *inquit*, a Præpoſitis ſuis ſubditi Fratres correptionibus de caritate venientibus pro culparum diverſitate diverſis, vel minoribus vel amplioribus; „ quia & ipſa quæ damnatio nominatur, quam facit „ Epiſcopale judicium, qua pœna in Eccleſia nulla „ major eſt, poteſt, ſi Deus voluerit, in correptio„ nem ſaluberrimam cedere, atque proficere ... Pa„ ſtoralis neceſſitas habet, ne per plures ſerpant di„ ra contagia, ſeparare ab ovibus ſanis morbidam, „ ab illo, cui nihil eſt impoſſibile, ipſa forſitan ſe„ paratione ſanandam „. Mitto epiſtolas Decretales in corpore Juris Canonici collectas, in quibus frequentiſſime decernuntur cenſuræ.

Dices. Chriſtus nullam Eccleſiæ dedit poteſtatem, quæ ſit in deſtructionem: atqui poteſtas ferendi cenſuras eſt in deſtructionem, per eam quippe Fidelibus ſubtrahuntur ſpiritalia bona eorum ſaluti vel neceſſaria, vel admodum utilia. Unde S. Chryſoſtomus Serm. de anathemate ait: „ Aut anathematizas viventem, „ aut mortuum: ſi mortuum, impie agis: quia jam „ ſub jure humano non exiſtit: ſed Domino ſuo ſtat

„ vel

„ vel cadit. Si vivum, impie etiam agis: nam eum „ qui ad bonum converti poteſt, abſcindis.

Nego min. cujus confirmationem diſtinguo: ſubtrahuntur ſpiritalia bona ad tempus in remedium, ut ſpiritus ſalvus fiat, quemadmodum ægro ſubtrahitur panis, ut depellatur febris, Conc. ſubtrahuntur in perpetuum & in exterminium, nego min. Itaque cenſura eſt pœna *medicinalis, non mortalis; diſciplinalis, non eruditans*; ut habetur cap. *Cum medicinalis*; de ſententia excommunicationis in 6. ferturque ad tempus, ut peccator pudore ſuffuſus tandem reſipiſcat; ſic in foro conſcientiæ quibuſdam adhuc in bono propoſito fluctuantibus differtur abſolutio, ut gratiæ impedimenta a ſe removeant. Porro hujuſce diſciplinæ uſus eſt in ædificationem, nedum in deſtructionem.

Ad auctoritatem S. Chryſoſtomi, reſpondere S. D. abſolute non denegare Eccleſiæ poteſtatem anathematizandi; ſed ſolum reprehendere illius poteſtatis abuſum, ut patet tum ex mox laudata hom. 4. in epiſt. ad Hebræos; tum ipſomet ſermone de anathemate, in quo docet, ejuſmodi poteſtatem eſſe conceſſam ſolis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, Apoſtolumque raro ea uſum fuiſſe. Quare privatos objurgat, quod ex odio & inimicitiarum cauſſa inimicis ſuis crebro anathema dicerent, immemores hujus præcepti: *Diligite inimicos veſtros*; aitque privata eorum jurgia, quibus ſe invicem mordebant, offendere etiam Gentiles. Carpit etiam Epiſcopos, qui peccantes impatientius ferebant, eoſque ſine ſpe veniæ a corpore Christi præcidebant, cum tamen de eorum emendatione bene ſperandum foret.

§. II.

§. I I.

Quomodo definiatur Cenſura?

R. DEſcribi poteſt, pœna ſpiritualis & medicinalis ob gravem culpam cum contumacia, ad tempus Eccleſiaſtica poteſtate inflicta baptizatis, qua privantur immediate uſu communium bonorum ſpiritualium. Singuli definitionis termini accurate ſunt expendendi, cum ex iis ſolvi debeant quamplurimæ difficultates, quæ in hac materia occurrunt. Itaque

Dicitur 1. *pœna*, ut cenſura diſtinguatur ab irregularitate, quæ ex ſua ratione generica non eſt pœna, omnis quippe pœna ſupponit peccatum: atqui plures irregularitates non ſupponunt peccatum, ſed oriuntur ex ſolo defectu, puta corporis, vel animi.

Dicitur 2. *ſpiritalis*, quo differt cenſura Eccleſiaſtica a pœnis exterioribus, quas decernit civilis poteſtas.

Dicitur 3. *medicinalis*, quia eſt ad corrigendum delinquentem obſtinatum, qua parte cenſura diſtinguitur a depoſitione & degradatione, quæ ſunt in meram vindictam. Per depoſitionem quippe Clericus in perpetuum privatur omni beneficio & officio Clericali abſque ſpe veniæ, etiamſi ad meliorem frugem ſe recipiat, & ſatisfactionem offerat: per degradationem vero privatur privilegio Clericali, redigiturque ad Laicorum ordinem.

Dicitur 4. *ob culpam*, quia omnis pœna ſupponit peccatum, alioquin eſſet injuſta, qua voce cenſura differt tum ab irregularitate, quæ nonnunquam eſt ex defectu inculpabili ut jam obſervavimus: tum a ceſſatione a divinis Officiis, a quibus abſtinere debent etiam inſontes non in pœnam, ſed in ſignum doloris ob injuriam Eccleſiæ illatam.

Dices cum Soto: ceſſatio a divinis eſt interdictum locale: atqui interdictum locale eſt vera cenſura: Ergo.

Nego maj. 1. quia ceſſatio a divinis indici poteſt ab

ab inferiore adverſus Superiorem per modum juſtæ defenſionis, ex cap. *Quamvis*, de officio Ordinarii in 6. ubi Capitulum Cathedralis Eccleſiæ indicere poteſt ceſſationem a divinis adverſus perſonam ipſum injuſte gravantem, cujuſcumque illa ſit dignitatis & præeminentiæ; atqui cenſura ferri non poteſt niſi a Superiore in inferiorem. 2. quia qui violat ceſſationem a divinis, licet peccet, & (ſi Regularis ſit) pœnam excommunicationis incurrat, ex Clementina *Ex frequentibus*, non ſit tamen irregularis, ſicut qui violaret cenſuram.

Dicitur 5. *ob gravem culpam*, quia injuſtum foret; gravem pœnam imponere ei, qui leviter peccavit: atqui cenſura totalis & completa eſt pœna gravis: Ergo.

Dixi, *totalis*, quia ſunt aliquæ cenſuræ partiales, ut excommunicatio minor, ſuſpenſio ad breve tempus, & ab aliquo tantum officio, quæ non neceſſario ſupponunt culpam gravem, vel propriam, vel alienam. Propria quidem requiritur ad excommunicationem, quæ eſt omnium cenſurarum graviſſima; aliena vero ſufficit ad interdictum, & ſuſpenſionem. Hinc ſententiam excommunicationis non debet ferri in Communitatem, ſed in privatas perſonas, quæ deliquerint, ex cap. *Romana Eccleſia*, tit. *de ſententia excommunicationis* in 6. *In Univerſitatem vel Collegium*, inquit Innocentius IV. *proferri excommunicationis ſententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitari, quod exinde ſequi poſſet, cum nonnunquam contingeret innoxios hujuſmodi ſententia irretiri; ſed in illos dumtaxat de Collegio, vel Univerſitate, quos culpabiles eſſe conſtiterit, promulgetur.* Contra vero interdictum, vel ſuſpenſio decerni poteſt in totum Collegium propter gravia, quæ in illo commiſſa ſunt cap. *Si ſententia*, titul. *de ſententia excommunicationis* in ſexto.

Ut autem grave peccatum ſit materia cenſuræ, requiritur 1. ut actus ſit externus, ex c. *Erubeſcant*, diſt. 32. ubi Urbanus II. ſic habet, *de manifeſtis quidem loquimur, ſecretorum autem & cognitor Deus &*

Judex

Judex eſt. Et cap. *Tua nos*, extrav. *de ſimonia*: *nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare*. 2. ut actus ſit completus; v. g. ſimonia ex utraque parte completa, niſi aliud exprimatur in lege. Ita communiter Theologi, colligiturque ex c. *Hæc autem verba*, de pœnit. diſt. 1.

Dixi, *niſi aliud exprimatur in lege*; quia aliquando lex pœnam extendit ad actus prævios ad ultimum, ad mandantes aut conſulentes, etiamſi non ſequatur ultimus actus. Sic per Bullam Pii V. excommunicantur ſimoniaci confidentiarii, ex ſola conventione inter eos inita, & per Conſtitutionem Clementis VIII. & ſtatutum Cleri Gallicani, qui provocant ad duellum, vel illud acceptant, ſunt excommunicati ipſo facto; etiamſi non ſequatur conflictus.

Dicitur 6. *cum contumacia*; id eſt, cum præcepti & pœnæ Eccleſiaſticæ contemptu. Ita de excommunicatione habetur expreſſe cap. *Conſtitutionem*, tit. *de ſententia excommunicationis* in ſexto, ubi Gregorius X. in Concilio generali Lugdunenſi decernit irritam plane eſſe excommunicationem, niſi præcedat monitio: *Judices*, inquit, *ſive monitionibus tribus utantur*, *ſive una pro omnibus obſervent aliquorum dierum competentia intervalla*, *niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaſerit moderanda*. Ex quibus verbis Gloſſa colligit, ad minus inter quamlibet monitionem intercedere debere duos dies. Satis autem non eſt, ut monitiones fiant ad domicilium, ut ajunt, ſed una ſaltem debet fieri nominatim ipſi perſonæ, niſi ex dolo ſe occultet. Sed lex iſta ſpectat ſolummodo excommunicationem ab homine, ſeu quæ fertur per modum ſententiæ. Nam ad excommunicationem, quæ fertur ipſo jure, non alia requiritur monitio, quam comminatio cenſuræ incurrendæ in ipſo jure contenta. Utrum autem quæ hic præſcribuntur pro excommunicatione, extendenda ſint ad ſuſpenſionem & interdictum, diſſentiunt Theologi: negant Cajetanus, & nonnulli alii: affirmant Sotus, Sairus, Avila, Bonacina, &c.

Ergo lex aut ſententia cum comminatione excommunicationis, aut ſuſpenſionis, obligat ſub mortali;

quia

quia ex gravi pœna, ut alibi diximus, colligitur legem obligare ſub gravi peccato, remque prohibitam aut præceptam eſſe magni momenti, ſi non in ſe ſpectatam, ſaltem ex circumſtantiis & fine, quem ſibi præſtituit Legislator: ſic venatio, armorum geſtatio, popinæ frequentatio, quamvis in ſe ſpectatæ ſint indifferentes, Clericis tamen aliquando prohibentur ſub pœna ſuſpenſionis, quia inde ſolent oriri ſcandala, & magna in regimine Eccleſiaſtico incommoda.

Ergo ignorantia probabilis, ſeu invincibilis, ſicut excuſat a peccato, ita & a cenſura: aliquis v. g. iniit pactum ſimoniacum in materia Beneficiali, invincibiliter ignorans ejuſmodi actum eſſe prohibitum, excommunicationem non incurrit. Idem dicendum de eo, qui licet non excuſetur a peccato, neſcivit tamen huic peccato cenſuram eſſe annexam, quia contumax non eſt, utpote qui non fuerit monitus. Ita expreſſe habetur cap. *Ut animarum*, tit. de *Conſtitutionibus* in ſexto:

Dices: plures in Jure leguntur cenſuræ latæ ob peccatum præteritum, uſuſque obtinuit in foro Eccleſiaſtico, ut Judex ſuſpendat Clericum manifeſtis criminibus convictum, quibus ex jure nulla annexa erat cenſura. Ergo ad incurrendam cenſuram neceſſaria non eſt monitio, nec proinde contumacia.

R. Theologos, qui negant monitionem neceſſario prærequiri ad ſuſpenſionem, his momentis ſtabilire ſuam ſententiam: alios vero abſolute negare antecedens: 1. quia ejuſmodi pœnæ decernuntur, vel propter animum in malo obſirmatum, ac proinde propter peccatum præſens; vel ad extorquendam debitam ſatisfactionem, quomodo in Litteris monitoriis fures excommunicantur, niſi ſatisfecerint tempore præfixo, & ita propter peccatum futurum: 2. Quando in foro Eccleſiaſtico ſuſpenduntur Clerici præciſe ob crimen præteritum: illa pœna proprie non eſt cenſura, ſed debita ſatisfactio, tum ob injuriam Deo illatam, tum ob datum Fidelibus ſcandalum: idque ſuadetur 1. quia cenſura proprie dicta, utpote medicinalis, ſolvi debet, quando peccator ſincere reſipiſcit: atqui

ejuſ-

ejuſmodi pœnæ non ſolvuntur ante tempus a Judice præſcriptum, quæcunque pœnitentiæ ſigna dederint illi Clerici. 2. quia ligatus cenſura ſuſpenſionis, *abſolutione* indiget: atqui Clerici illi, termino elapſo, ſacris muneribus defunguntur abſque Superioris abſolutione. Ergo hujuſmodi pœnæ non ſunt cenſuræ proprie dictæ.

Dicitur 7. *ad tempus*, quia cenſura eſt in remedium; & hac parte diſtinguitur a depoſitione & degradatione, quæ ſunt in perpetuum.

Dicitur 8. *Eccleſiaſtica poteſtate inflicta*; quia cenſura eſt privatio ſpiritualium bonorum, quæ cum Laici non habeant in ſua poteſtate, penes eos non eſt illa ſubtrahere. Hinc Abbatiſſæ, ut obſervavimus ubi de Diaconiſſis, non decernunt cenſuras proprie dictas, ſed pœnas dumtaxat œconomicas; nec mos eſt, ut Superior Eccleſiaſticus deleget Laicos, qui ejus nomine & auctoritate ferant cenſuras.

Dicitur 9. *baptizatis*, quia ad ferendas cenſuras requiritur juriſdictio: atqui Eccleſia non habet juriſdictionem in non baptizatos: *quid enim mihi*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 5. *de iis qui foris ſunt, judicare?* Quæ ergo leguntur excommunicationes a ſanctis viris in animalia prolatæ, cenſuræ non ſunt, ſed diræ deprecationes.

Baptizati autem non ſubjiciuntur cenſuris, niſi ſint adulti, & ratione utantur, quia alioquin non ſunt capaces peccati, quod cenſura neceſſario præſupponit. Sed utrum adulti impuberes cenſura ligari poſſint, quæſtio eſt; ad quam.

R. Ex communi Theologorum ſententia, adulti impuberes poſſunt valide ligari cenſuris; id enim manifeſte colligitur ex cap. finali, *pueris*, extrav. de ſententia excommunicationis; *pueris*, inquit Gregorius IX. *qui in canonem inciderunt ſententiæ promulgatæ, ſive ante, ſive poſt pubertatem poſtulent ſe abſolvi, poteſt Diœceſanus Epiſcopus abſolutionis beneficium impertiri, cum propter defectum ætatis, in qua fuit commiſſus exceſſus, rigor ſit manſuetudine temperandus*. Hic ſummus Pontifex agno-

ſcit

ſcit pueros illos ſententia excommunicationis eſſe ligatos, cum ſcribat eos abſolutione indigere. Sed rigorem canonis temperat, quatenus non vult excommunicationem illam ſedi Apoſtolicæ eſſe reſervatam, ſed Epiſcopo Diœceſano. Idem prius Alexander III. reſponderat Archiepiſcopo Senonenſi cap. *Super eo*, eodem tit. in quem textum notat Gloſſa ætatem excuſare non a toto, ſed a tanto.

Dicitur 10. *qua privantur immediate uſu communium bonorum ſpiritualium*, eorum ſcilicet, quæ adminiſtrat Eccleſia, non aliorum; ſunt enim in Eccleſia quædam bona, quæ a Paſtorum miniſterio pendent; alia vero, quæ a Chriſto immediate conſequuntur. Quod ut intelligas,

Advertes, quemadmodum in corpore humano bona triplicis generis diſtinguuntur. 1. ſpiritus vitales & animales, qui immediate fluunt a capite: 2. exterior membrorum ac totius corporis apta gubernatio, quæ quidem eſt a capite, ſed mediantibus organis. 3. ipſorum membrorum inter ſe communio, qua mutuo ſe juvant: *ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. 1. Cor. 12. Similiter in Eccleſia aliqua eſſe bona, quæ Chriſtus tanquam caput per ſeipſum influit, nempe gratiarum, ac virtutum dona; alia, quæ nonniſi per Miniſtros communicat, ut Sacramenta, Beneficia &c. alia quæ exurgunt ex communi membrorum unione ac compage, ut orationum ſuffragia, & mutua ſubſidia. Bona primi generis, ut gratia ſanctificans & actualis, quæ ſunt privata & propria recipientis, non auferuntur niſi per peccatum, quod ſeparet a Chriſto. Unde cenſura excommunicationis non impedit, quominus excommunicatus auxilia ſupernaturalia a Chriſto recipiat, quibus movetur ad perfectam contritionem, quam gratia ſanctificans ſtatim ſubſequitur. Cenſura igitur ſolum privat bonis ſecundi & tertii generis, quorum adminiſtratio ad Eccleſiam pertinet. Privat, inquam, immediate ejuſmodi bonis ſpiritalibus, mediate vero quibuſdam bonis temporalibus, puta fructibus Beneficii, quæ a ſpiritalibus pendent. Nam aliis temporalibus, quæ

quæ non ſubſunt ejus juriſdictioni & adminiſtrationi, nullatenus privat.

§. III.

De diviſione cenſuræ.

Q. 1. QUomodo dividitur Cenſura?

R. Dividitur, 1. in juſtam & injuſtam. 2. in eam, quæ eſt a jure, & eam, quæ ab homine. 3. in latam, & ferendam: 4. in excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. Hæc poſterior diviſio eſt communior, magis accurata, traditurque ab Innocentio III. cap. *Quærenti*, de verborum ſignificatione.

Q. 2. *Quotuplici modo Cenſura poteſt eſſe injuſta?*

R. Duplici; aliquando enim cenſura injuſta, eſt valida, & ſervanda; aliquando vero prorſus irrita & contemnenda.

Valida eſt cenſura, licet injuſta, cum adſunt omnia ad eſſentiam cenſuræ requiſita, puta crimen, & monitio. Sed deſunt quædam accidentalia, v. g. non procedit ex amore juſtitiæ, ſed ex odio fertur ſine ſcripto, nec in ea exprimitur cauſſa, ut præſcribit Concilium Lugdunenſe primum, referturque cap. *Cum medicinalis*, de ſententia excommunicationis in ſexto, vel reus tantam pœnam non meretur, excommunicatur v. g. cum ſatis eſſet eum ſuſpendi. De ejuſmodi cenſura intelligendus eſt S. Gregorius homilia 6. in Evang. in qua ſic habet: *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta ſit, timenda eſt.*

Irrita eſt cenſura injuſta & prorſus nulla, quando vel deficit ordo ſubſtantialis: monitio v. g. non præceſſit excommunicationem, vel deeſt cauſſa, propter quam fertur, nempe peccatum mortale, a quo immunis eſt, qui putatur reus.

Cenſura evidenter & publice invalida contemni poteſt: probabiliter tantum invalida ſervari debet, donec a ſuperiore declaretur irrita, quia in dubio favendum eſt Superiori. Idem dicendum, ſi publice

blice non conſtet cenſuram eſſe invalidam: excommunicatus v. g. vel ſuſpenſus, qui conſcius non eſt peccati, propter quod excommunicatus eſt vel ſuſpenſus, ſed non poteſt probare ſuam innocentiam, tenetur ad vitandum ſcandalum, exterius ſe gerere tanquam excommunicatum vel ſuſpenſum, quamvis celebrans privatim & ſecluſo ſcandalo, nec peccet, nec irregularis fiat, juxta communiorem ſententiam. Qui ſine ſua culpa latam ejuſmodi pœnam patienter ſuſtinent, *hoc*, inquit S. Auguſtinus lib. de vera Religione c. 6. *coronat in occulto Pater, in occulto videns*. Et Origenes in c. 3. Levitici, relatus ſub nomine S. Hieronymi C. *Si quis* 24. q. 3. *Si quis*, ait, *non recto judicio eorum, qui præſunt Eccleſiæ, depellatur, & foras mittatur, ſi ipſe non ante exiit, hoc eſt, ſi non ita agit, ut mereatur exire, nihil læditur in eo, quod non recto judicio ab hominibus videtur expulſus; & ita fit, ut ille, qui foras mittitur, intus ſit, & ille foris, qui intus retinetur.*

Q. 3. *Quid eſt cenſura a jure, quidve cenſura ab homine?*

R. Cenſura a jure eſt, quæ in canonibus Eccleſiæ, & ſtatutis Epiſcoporum exprimitur, ac per modum legis fertur, ut interdictum, quod decernitur canone *omnis utriuſque ſexus* in eos, qui in Paſchate non communicant. Cenſura vero ab homine dicitur, quæ fertur a Superiore per modum præcepti tranſitorii, & hæc duplex eſt, alia generalis, quæ generatim fertur, v. g. in ſubditos Clericos, qui popinas frequentaverint; alia ſpecialis, quæ fertur in certam ac determinatam perſonam.

Diſcrimen eſt inter hujuſmodi cenſuras. Namque 1. cenſura a jure non deſinit morte Legiſlatoris, aut amotione ab officio; ſed vim habet, quandiu ſucceſſor eam non revocaverit: cenſura vero ab homine morte Superioris, aut ejus amotione ſtatim expirat. Sermo eſt hic de cenſura contrahenda propter peccatum futurum, non vero de jam contracta ante mortem Superioris propter peccatum præteritum: hæc quippe manet poſt mortem

Su-

Superioris, nec tollitur niſi per claves Eccleſiæ. 2. Cenſura a jure vel ab homine per ſententiam generalem non eſt reſervata, niſi expreſſe habeatur in canone, niſi ſtatuto, vel in mandato Superiore, cap. *Naper*, tit. *de ſententia excommunicationis*: cenſura vero ab homine per ſententiam ſpecialem eſt reſervata, nec tolli poteſt, niſi ab eo, qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, vel ſucceſſore, vel delegato.

Quær. 4. *Quid eſt cenſura ſententiæ latæ, vel ferendæ?*

R. Cenſura latæ ſententiæ eſt ea, quæ incurritur ipſo facto, id eſt, ſtatim atque peccatum admiſſum eſt, abſque alia Judicis ſententia; cenſura vero ſententiæ ferendæ non incurritur ipſo facto ante ſententiam Judicis, minuſque eſt cenſura, quam cenſuræ incurrendæ monitio, ſeu comminatio, quam ſi ſubditus contempſerit, contumax evadit, ſicque Judex abſque alia monitione cenſuram in illum ferre poteſt, quamvis ferre non ſoleat niſi iterata monitione ut præceptum v. g. communionis Paſchalis intra certum tempus præfixum impleat; forte enim implere jam meditabatur; forte etiam juſta de cauſſa diſtulit: quare audiendus eſt, priuſquam cenſura ligetur.

Q. 5. *Quibus indiciis cognoſcitur cenſuram eſſe latæ vel ferendæ ſententiæ?*

R. Cenſura eſt latæ ſententiæ, quando Superior hiſce vocibus nititur, *ipſo jure*, *ipſo facto*, *latæ ſententiæ*, *confeſtim*, *ex tunc*, *ſubjaceat excommunicationi*, *ſit excommunicatus*, *anathema ſit*. Si tamen verba illa imperativi modi, *ſit excommunicatus*, *excommunicetur*, vel, *ſuſpendatur*, dirigantur ad alterum Judicem ut cenſuram excommunicationis vel ſuſpenſionis ferat, non denotant cenſuram ſententiæ latæ; ſed ſecundæ, ut patet ex can. omnis *utriuſque ſexus*; pro communione Paſchalis, & annua confeſſione; in quo Patres Lateranenſes utuntur imperativo modo adverſus eum, qui præcepto annuæ confeſſionis non ſatisfecerit; *alioquin*, inquiunt, *& vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens Chriſtiana careat*

ſepul-

ſepultura. Quæ verba in omnium ſententia, non denotant niſi ſententiam ferendæ ſententiæ; quia non ipſimet Patres interdicunt, ſed jubent, ut Judices ordinarii contumaces interdicant.

Cenſura vero ferendæ ſententiæ his terminis ſolet exprimi, *ſub pœna excommunicationis*, *ſuſpenſionis*, &c. *ſub interminatione anathematis*, *decernimus excommunicandum*, *ſuſpendendum*, &c. In dubio autem an cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, judicandum eſt eſſe dumtaxat ferendæ ſententiæ, quia odia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda, & in mitiorem partem accipienda, juxta effatum omnium Theologorum & Juriſperitorum.

Circa excommunicationem autem, ſuſpenſionem, & interdictum, plura ſunt diſcutienda diſtinctis Paragraphis.

§. IV.

De excommunicationis nomine & diviſione.

Q. 1. QUid nomine excommunicationis ſignificatur?

R. Excommunicatio dicitur a nomine *communio*, & præpoſitione *ex*; ita ut excommunicari idem ſit ac extra communionem fieri. Unde apud Veteres totuplex dicebatur excommunicatio, quotuplex diſtingui poteſt Fidelium inter ſe communio.

Communio autem inter Fideles per antonomaſiam ſignificat Euchariſtiæ perceptionem, quia in ea maxime cum Chriſto & inter ſe uniuntur: *Unus panis*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 10. *unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus*. Pœnitentes igitur a ſacra menſa expulſi dicebantur excommunicati, eorumque excommunicatio erat minor vel major pro diverſitate graduum pœnitentiæ, quibus ab altari erant minus vel magis remoti. Namque ex dictis Tractatu de pœnitentia, quatuor erant pœnitentium gradus, ſcilicet conſiſtentiæ, ſubſtrationis, auditionis, & fletus. Conſiſtentium excommunicatio minor erat

excommunicatione ſubſtratorum: illi quippe licet oblationis non eſſent participes, ſacrificio tamen intererant, a quo excludebantur ſubſtrati. Horum tamen excommunicatio minor erat excommunicatione audientium in tertio gradu pœnitentiæ; quia communicabant precibus, quæ pro illis a Clero fundebantur, a quibus repellebantur audientes. Sed omnium maxima erat excommunicatio flentium, qui ab Eccleſiæ ingreſſu arcebantur, & ita remotiſſimi erant ab Euchariſtia.

Verum ejuſmodi pœnæ non erant cenſuræ, de quibus nunc agimus; nec excommunicationes, propter quas ejuſmodi excommunicati haberentur ut Ethnici & Publicani: Epiſcopus quippe & Clerus ſingularem eorum curam gerebant; quin ſi quis illorum ante peractam pœnitentiam præmatura morte raperetur, ſacrificium pro eo offerebatur, & ſepultura Eccleſiaſtica donabatur. Idem dicendum de excommunicatione, qua feriebatur Epiſcopus, qui ſine cauſſa ad Synodum Provinciæ nec convenerat, nec miſerat, *ex* Concilio Aurelianenſi quarto can. 12. Toletano undecimo canon. 15. per ejuſmodi enim excommunicationem Epiſcopus ſeparabatur ſolum a communione ſuorum Collegarum, cum interim in ſua Diœceſi particeps eſſet Euchariſtiæ, omniaque Pontificalia & Sacerdotalia munia obiret, ex Concilio Carthaginenſi quinto can. 13. Omiſſis igitur Veterum excommunicationibus,

Q. 2. *Quotuplex eſt excommunicatio ſecundum hodiernam Eccleſiæ diſciplinam?*

R. Duplex, ſcilicet minor, & major. Hæc interdum anathema dicitur, id eſt, maledictio, ſeu ſeparatio cum execratione a corpore Chriſti, cum minor excommunicatio excommunicatum ab Eccleſia non exſcindat, ſed ſolummodo privet aliquibus Eccleſiæ bonis, puta Euchariſtia, ut dicetur paragrapho ſequenti.

Dices: Anathema ab excommunicatione diſtinguitur, cap. *Cum non ab homine*, tit. *de judiciis*: & cap. *Ingeltrudem*, 3. q. 4. ergo triplex eſt excommunicationis genus.

Di-

Diſtinguo antecedens: diſtinguitur ab excommunicatione minori, Concedo: ab excommunicatione majori, ſubdiſtinguo: diſtinguitur accidentaliter quoad modum & ſolemnitatem, Concedo: quoad rem nomine ſignificatam, Nego antecedens. Patet reſponſio vel ex ipſo Concilio Trident. ubi anathema toties repetitum nihil aliud ſignificat, quam excommunicationem majorem.

Major itaque excommunicatio aliquando fertur ſolemniter, nempe cum perſona propter atrocius crimen nominatim eſt excommunicanda. Solemnitas autem illa deſcribitur c. *Debent*, 11. q. 3. quod ſic ſe habet: „ Debent duodecim Sacerdotes Epiſcopum circumſtare & lucernas ardentes in manibus tenere, quas „ in concluſione anathematis, vel excommunicationis, „ projicere debent in terram, & conculcare pedibus: „ deinde epiſtola per Parochias mittatur, continens „ excommunicatorum nomina, & cauſſam excommunicationis. *Gloſſa in verbum*, conculcare, *ait*, nec „ poſtea ſumentur (*lucernæ*) ad aliquem uſum: ſed „ foras projiciantur ut ſal infatuatum. „ Uſus tamen obtinuit, ut Parochi denuntiando excommunicationis ſententiam, ſolemnitatem adhibeant; ſed cum promiſcue eam adhiberent in qualibet excommunicatione, etiam generalis ſententiæ, plures Epiſcopi merito prohibuerunt, ne abſque eorum ſpeciali mandato illa ſolemnitas uſurparetur. Ex quibus ſatis intelligitur anathema non magis ligare, quam ſimplicem excommunicationem: ſed ſolummodo majorem incutere timorem.

Majori excommunicatione perculſi dicuntur 1. præciſi & abſciſſi tanquam rami a trunco, qui brevi areſcunt, & membra a corpore, a quo ſpiritum vitalem haurire nequeunt, & in corruptionem abeunt: nam, ex S. Auguſtino, non vivit ſpiritu Chriſti, niſi corpus Chriſti. 2. ſatanæ traditi, ex Apoſtolo 1. Cor. 5. *Judicavi*, inquit, *tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis*. Quia ovis ſcabioſa lupo tradi cenſetur hoc ipſo, quo ex ovili ejicitur; Eccleſia quippe eſt Chriſti ovile, in quo oves ſub Paſtore optimo ſecu-

ræ accubant: eſt & arx munitiſſima Chriſti virtute circumvallata, adverſus quam portæ inferi non prævalent: porro inde expelli quid aliud eſt, quam ſatanæ tradi, qui *ſicut leo rugiens quærit quem devoret?* 1. Petri 5.

Addit Apoſtolus excommunicatum tradi ſatanæ in *interitum carnis;* quia tunc temporis dæmon excommunicatos vexare ſolebat etiam in corpore, variis ſcilicet morbis & vulneribus, ut Gentiles recens ad fidem converſi viſibilibus ac formidandis ejuſmodi ſignis credibilia haberent, quæ audiebant de ſpirituali & inviſibili excommunicationis pœna, eo magis horrenda, quo anima, quam afficit, præſtantior eſt corpore. Quæ autem de ea ſcripſerunt Patres antiquiores, operæ pretium eſt nonnulla referre.

S. Cyprianus epiſt. ad Pomponium *Spiritali gladio*, inquit, *ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur.*

Sanctus Hilarius Pſalm. 118. *Qui ab Eccleſiæ corpore reſpuuntur, quæ Chriſti eſt corpus, tanquam peregrini & alieni a Dei corpore dominatui diaboli traduntur.*

S. Hieronymus epiſt. 1. „ In veteri lege quicunque „ Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra „ poſitus lapidabatur a populo, aut gladio cervice „ ſubjecta, contemptum expiabat cruore: nunc vero „ inobediens ſpiritali mucrone truncatur, aut ejectus „ de Eccleſia, rabido dæmonum ore diſcerpitur. *Et* „ *in cap. 6. Oſeæ;* Sicut olim de Paradiſo Adam, ſic „ modo iſti de Eccleſia ejiciuntur.

Sanctus Gregorius Nyſſenus oratione in eos, qui ægre ferunt reprehenſiones: „ Si haberes oculos apud „ animæ eſſentiam, oſtendiſſem tibi, qui a communione abactus es, ſpeciem condemnati, viciſſim vinculis cervice depreſſi, nullum membrorum liberum „ aut ſolutum habentis. Atque utinam cum vita ſupplicium terminaretur! Nunc autem, ſi quid hic „ malum contigerit, & mors repente tanquam fur nocte advenerit, ſcias tibi, quæ illic ſunt, eſſe „ clauſa.

Sanctus Chryſoſt. hom. 20. ad populum: „ Si quis „ hæc contemnat, judicii tempus aderit, quod eum „ doceat; reliquum autem nolo dicere, ut mentem „ veſtram conſternam:„ adeo horrenda S. Doctori videbatur excommunicationis pœna.

Sanctus Auguſt. Tractatu 27. in Joannem: „ Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari a corpore Chriſti: ſi enim ſeparatur a corpore „ Chriſti, non eſt membrum ejus; ſi non eſt membrum, non vegetatur ſpiritu ejus, „ Quiſquis autem, *inquit Apoſtolus*, non habet ſpiritum Chriſti, non eſt ejus.

Hinc eſt quod ſanctiſſimi antiſtites nonniſi dolenter ad illud extremum devenirent, *non ſponte vel volentes, ſed plus vobis dolentes ligatis injicimus vincula*, inquit S. Chryſoſtomus citata homilia 70. nihil inexpertum relinquerent, ut infeſtos ſuo gregi ad frugem corrigerent. „ Sed ſi Epiſcopus, *inquit Origenes* „ *hom.* 9. *in Jerem.* qui communi providet, conſideraverit populi damnum in unius venia, haud dubium eſt quin faciat ejici unum de Eccleſia, ut multos ſalvet incolumes.

Q. 3. *Hodierna Eccleſiæ diſciplina diſtinguitne inter excommunicatos?*

R. Affirmative: nam ex Conſtitutione, *ad vitanda ſcandala*, ubique recepta & obſervata, quam S. Antoninus 3. part. tit. 25. cap. 3. & Tractatu de cenſuris cap. 83. tribuit Martino V. quamvis ſolum legatur in Conc. Baſileenſi ſeſſ. 20. alii ſunt tolerati, nec vitandi: alii non ſunt tolerati, & ideo vitandi. Horum actus, qui ex juriſdictione omnino pendent, ut abſolutio ſacramentalis, Beneficiorum proviſiones, &c. ſunt prorſus irriti; illorum vero validi.

Non tolerati dicuntur, qui per ſententiam Judicis nominatim declarati ſunt excommunicati, & inſuper poſt declarationem denuntiati: tolerati vero, qui nominatim non ſunt denunciati. Verba Conſtitutionis ſunt apud Patres Baſileenſes, „ ad vitanda ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, ſtatuit etiam quod

„ nemo deinceps a communione alicujus in Sacramen-
„ torum adminiſtratione vel receptione, aut aliis qui-
„ buſcumque divinis, vel extra prætextu cujuſcumque
„ ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſio-
„ nis aut prohibitionis ab homine: vel a jure gene-
„ raliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem
„ vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi
„ ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura hujuſ-
„ modi fuerit in, vel contra perſonam, Collegium,
„ Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, aut
„ certam, a Judice publicata, vel denunciata ſpeciali-
„ ter & expreſſe, aut ſi aliquem ita notorie excommu-
„ nicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nul-
„ la poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo modo Ju-
„ ris ſuffragio excuſari.. Nam a communione illius
„ abſtineri vult juxta canonicas ſanctiones. Per hoc
„ tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, in-
„ terdictos ſeu prohibitos, non intendit in aliquo
„ revelare, nec eis quomodolibet ſuffragari.„ Ha-
ctenus conſtitutio, circa quam unum & alterum eſt
obſervandum.

Primum, ſecundum hanc Conſtitutionem, publice excommunicati omnes ſunt vitandi, etiamſi nominatim non ſint denuntiati: ſecundum vero Conſtitutionem laudatam a Sancto Antonino tanquam Martini V. nullus excommunicatus, ſive occultus, ſive publicus non denuntiatus, eſt vitandus, excepto ſolum publico Clerici percuſſore; ſic enim refert S. Antoninus: „ Salvo, ſi quem pro ſacrilega manuum injectione in
„ Clericum ſententiam latam a canone adeo notorie con-
„ ſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua ter-
„ giverſatione celari, neque alio ſuffragio excuſari;
„ nos a communione illius, licet denuntiatus non fue-
„ rit, volumus abſtineri, juxta canonicas ſanctiones.
Cui lectioni conformis eſt hodierna diſciplina, præſertim in Galliis, ubi non vitantur Calviniani, licet publice excommunicati. Quin publicus Clerici percuſſor apud nos vitari non debet, niſi acceſſerit ſententia, qua declaretur injuſtus Clerici percuſſor, quia juxta leges Regni ad notorietatem facti debet ac-

cedere

cedere declaratoria Judicis ſententia ; & merito quidem, cum nullus debet damnari inauditus: forte enim rationes habeat, quibus ſe excuſare contendat.

Alterum in laudata Conſtitutione eſt obſervandum, nempe indulgentiam illam non ſuffragari excommunicatis, ſed iis duntaxat, quibuſcum degunt. Unde quantumcumque illi ſint occulti, peccant 1. ſi cum aliis communicent, ſive in divinis, ſive in civilibus. 2. ſi ea, quæ ſunt juriſdictionis Eccleſiaſticæ, exerceant. Valent tamen illorum actus, valide abſolvunt; ſed in gratiam ſubditorum, qui ab ipſis, licet notorie ſuſpenſis aut excommunicatis, Sacramenta licite petere poſſunt in caſibus notatis Tractatu de Sacramentis in genere, ubi quærimus an & quo in caſu liceat a malis Miniſtris Sacramenta recipere.

Q. 4. *Quæ ratio movet ad mutandam Eccleſiæ diſciplinam circa excommunicatos?*

R. Numerus excommunicationum a jure, vel ſententiæ generaliter latæ, qui multum excreverat a decimo ſæculo, cum anterioribus ſæculis excommunicatio non decerneretur, niſi per ſententiam particularem in eos, qui criminis convicti eſſent, vel propria confeſſione, vel aliorum teſtimonio, ut patet ex ſermone 351. alias homil. 50. S. Auguſtini; in quo ſic habet: „ nos vero quemquam a communione prohibere „ non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum „ mortalis ſit, ſed medicinalis, niſi aut ſponte con- „ feſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſti- „ co judicio nominatum atque convictum. „ Unde ſecundum veterem Eccleſiæ diſciplinam, facile erat excommunicatos vitare, utpote qui per ſententiam particularem nominatim eſſent damnati. Ex quo autem obtinuit uſus excommunicationis a jure, vel ſententiæ generaliter latæ, non ita conſtare potuit, quinam eſſent vere excommunicati. Hinc magna perturbatio in Eccleſia, & varia ſcandala: alii enim ex malitia, alii ex animi imbecillitate & levibus conjecturis temere excommunicationis infamem notam inurebant. Hinc

ſubditi ſegregabant ſe a Superioribus tanquam de excommunicatione ſuſpectis; litigantes, exceptionem opponebant adverſus judicem, actorem, &c. Ex quibus criminationibus magna in Republica Chriſtiana oriebatur perturbatio, cui Eccleſia opportune occurrit per laudatam Conſtitutionem, *ad evitanda ſcandala*, in qua ita retinuit uſum excommunicationis a jure, & ſententiæ generaliter latæ, ut tamen ſanxerit nullum deinceps excommunicatum vitandum niſi per ſententiam particularem nominatim fuiſſet declaratus ac denuntiatus; ſicque ex ea parte veterem morem reſtituit.

Porro cum cenſura generice ſumpta alia ſit latæ ſententiæ, alia ferendæ, alia a jure, alia ab homine: dubium non eſt, quin iſta diviſio cadat in excommunicationem, quia quæ conveniunt generi, ea conveniunt & ſpeciebus ſub ipſo contentis. Quanquam apud veteres nulla erat excommunicatio vel ſuſpenſio latæ ſententiæ, ſed ſolum ferendæ.

Q. 5. *Excommunicatio abſolute & indefinite expreſſa ſive in jure, ſive in ſcientia ab homine eſtne intelligenda de minori, juxta hanc regulam Juris:* In pœnis benignior pars eſt accipienda?

R. Secundum modernam Eccleſiæ diſciplinam intelligenda eſt de excommunicatione majore; ſic enim definiit Gregorius IX. c. *Si quem*, de ſententia excommunicationis: „ Si quem, *inquit*, ſub hac forma verbo„ rum; illum excommunico, vel hujus ſimili, a ju„ dice ſuo excommunicari contingat, dicendum eſt „ eum non tantum minori, quæ a perceptione Sacra„ mentorum, ſed etiam majori, quæ a communione „ Fidelium ſeparat, eſſe ligatum. „ Laudata autem Juris regula locum non habet, ubi lex aut conſuetudo contrarium declaravit.

Dixi, *ſecundum modernam Eccleſiæ diſciplinam*, quia apud Veteres excommunicatio abſolute pronuntiata nonnunquam intelligebatur de excommunicatione minori, ut patet ex Concilio Carthaginenſi quarto can. 24. relato diſt. 1. de conſecratione, cap. *Sacerdote*, in quo ſic habetur; *Sacerdote verbum in Eccleſia faciente qui*

in-

ingreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur. Pro culpa enim adeo levi excommunicatio major, quæ eſt pœna omnium graviſſima, decerni non poteſt.

§. V.

De definitione & effectibus excommunicationis minoris.

Q. 1. QUomodo *definitur excommunicatio minor?* R. Definiri poteſt, cenſura, qua baptizatus privatur participatione Sacramentorum, & paſſiva electione ad Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica. Colligitur ex cap. „ Si celebrat, *tit.* de Clerico excommunicato, *in quo ſic habet Gregorius IX.* Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitas incurrit; nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si tamen ſcienter talis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda.... peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo collata virtutis non carent effectum; cum non videatur a collatione, ſed participatione Sacramentorum, quæ in ſola conſiſtit perceptione, remotus.

Ergo duo ſunt effectus minoris excommunicationis, ſcilicet privatio perceptionis Sacramentorum, & paſſivæ electionis ab Beneficia.

Ergo peccat graviter minori excommunicatione ligatus ſcienter recipiens Sacramenta, aut Beneficia, quia in re gravi cenſuram violat. Non ſit tamen irregularis, nec Beneficii proviſio eſt irrita, ſed ſolum irritanda, ut expreſſe habetur laudato capite.

Ergo Sacerdos ligatus minori excommunicatione non violat cenſuram, nec peccat præciſe miniſtrando Sacramenta, aut conferendo Beneficia, quia minor excommunicatio non privat activa adminiſtratione Sacramentorum, & electione ad Beneficia. Peccaret tamen, ſi ſciens conferret Sacramenta & Beneficia excommunicato excommunicatione minori, quia eſt contra jus naturale & divinum Sacramenta & Beneficia conferre indignis.

Ergo celebrans minori excommunicatione ligatus, eatenus peccat, quatenus Sacramentum recipit, non quatenus conficit.

Ergo electio, proviſio ſeu collatio Beneficii facta excommunicato minori excommunicatione, non eſt actu & de facto, ſed irritanda duntaxat.

Ergo minor excommunicatio abſolute ſpectata eſt pœna gravis, cum privet Sacramentis, & ſeparet ab Euchariſtia; ſed minor dicitur tantum comparate ad excommunicationem majorem.

Q. 2. *Quam ob cauſſam incurritur excommunicatio minor?*

R. Incurritur ob communicationem non criminoſam, ut ajunt, cum excommunicato non tolerato, cap. *Nuper*, de ſententia excommunicationis. Et cap. *A nobis*, de exceptionibus. Nec alia invenitur hujuſce excommunicationis cauſſa in jure novo. Dico *in jure novo*, quia in veteri plures erant excommunicationes minores, ut jam obſervavimus.

Dixi, *ob communicationem non criminoſam*: quia ſi quis communicet in crimine criminoſo, ut ajunt, hoc eſt, in crimine propter quod quis denuntiatus eſt excommunicatus, v.g. ſi ſuadeat excommunicato, ne reſtituat bona ſublata, propter quæ excommunicatus eſt, eandem excommunicationem incurrit, ex citato capite *Nuper*.

§ VI.

De definitione & effectibus excommunicationis majoris.

Q. 1. QUomodo *definitur excommunicatio major?*

R. Definitur, cenſura, qua baptizatus in vindictam gravioris delicti totaliter abſcinditur a corpore Eccleſiæ, habeturque ſicut Ethnicus & Publicanus.

Ergo major excommunicatio ſe habet ad alias cenſuras, ſicut totum ad partes; minori enim excommunicatione ligatus excluditur ſolum a communione Fidelium

lium in perceptione Sacramentorum & Beneficiorum interdictus in celebratione divinorum Officiorum, perceptione quorundam Sacramentorum, & ſepultura Eccleſiaſtica: ſuſpenſus a communione Clericorum in obeundis ſacris miniſteriis. Excommunicatus vero, cum ſit veluti membrum abſciſſum a corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, conſequenter privatur omnibus bonis & juribus, quibus Fideles gaudent uti membra unius & ejuſdem corporis, ſcilicet Eccleſiæ.

Q. 2. *Quot ſunt majores excommunicationis effectus?*

R. Quinque vulgo numerantur.

1. Excommunicatus enim toleratus privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, nimirum ſacrificiis, orationibus, indulgentiis, jejuniis, & aliis operibus ſatisfactoriis, quæ offeruntur nomine Eccleſiæ, ex cap. *Sacris*, tit. *de ſententia excommunicationis*: quin ex cap. *A nobis*, eodem titulo, colligitur nec orandum, nec ſacrificium offerendum pro excommunicato quantumcunque contrito, niſi prius ab Eccleſia fuerit abſolutus. Quod ſi ante abſolutionem morte fuerit præventus, prius abſolvendus eſt, quam ſepultura Eccleſiaſtica donetur. Unde graviter peccaret Sacerdos, vel Clericus, qui tanquam perſona publica, & nomine Eccleſiæ ſacrificium vel horas canonicas directe offerret pro hujuſmodi excommunicato.

Dixi 1. *tanquam perſona publica & nomine Eccleſiæ*; quia licet cuilibet privato, etiam Sacerdoti celebranti, ex propria devotione preces, ſacrificium, & alia bona opera offerre pro excommunicati converſione.

Dixi 2. *directe*, quia cum publice oramus, & ſacrificia offerimus pro Eccleſiæ unione ac dilatatione; indirecte oramus pro infidelium, hæreticorum, & excommunicatorum converſione. Privilegium tamen eſt diei Paraſceves ad alios dies non extendendum, ut publica oratio directe fiat pro hæreticis, ſchiſmaticis, & excommunicatis; eo enim die Eccleſia Chriſtum Dominum in cruce patientem pro omnium, etiam excommunicatorum ſalute, oculis fidelium ſolemniter exhibet.

2. Excommunicati, ſive tolerati, ſive non tolera-

ti, extorres ſunt a Sacramentorum receptione & collatione.

Ergo abſolutio ab excommunicatione præmitti debet abſolutioni a peccatis; alioquin graviter peccarent tum Sacerdos, tum pœnitens, niſi ignoratia aut inadvertentia excuſaret. Secus dicendum de abſolutione a ſuſpenſione; cum enim hæc cenſura non privet ſuſpenſum a perceptione Sacramentorum, ſuſpenſus poteſt prius abſolvi a peccatis, & admitti ad perceptionem Euchariſtiæ, quam abſolvatur a ſuſpenſione, propter quam, ſi reſervata ſit, ut ſupponitur, remittendus eſt ad Superiorem.

Ergo Sacerdos excommunicatus miniſtrans Sacramenta, præter grave peccatum, irregularitatem incurrit, quia violat cenſuram: excommunicatus vero Sacramentum recipiens, graviter quidem peccat, ſed nulla pœna Eccleſiaſtica afficitur.

3. Excommunicati, etiam tolerati, inhabiles ſunt ad Dignitates & Beneficia, ita ut eorum collatio ſit irrita, & prorſus nulla. Sic enim definitur *c. Poſtulatis*, tit. *de Clerico excommunicato*. *Reſpondemus*, inquit Innocentius III. „ quod cum excommunicatis communicari non debeat. Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Eccleſiaſtica Beneficia conferri non poſſunt; nec illi valent ea licite retinere, niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum, cum ea non fuerint canonice conſecuti. Illi vero, qui ſcienter illa Beneficia talibus contulerunt, tandiu debent a Beneficiorum collatione ſuſpendi, donec ſuper hoc veniam conſequi mereantur, ut puniantur in hoc, in quo delinquere præſumpſerunt. „ Nec refert ſecundum Regni diſciplinam quod excommunicatus electus aut præſentans ad Beneficium, ante collationem ab excommunicatione fuerit abſolutus. Iſthæc juris diſpoſitio extenditur ad penſionem Clericalem, cujus incapax eſt excommunicatus, ſecundum communiorem ſententiam, quia excommunicatus, utpote membrum ab Eccleſiæ corpore præciſum, nullam ab ea gratiam recipere poteſt.

Ergo excommunicatus, qui obtinuit Beneficium, aut

aut penſionem Clericalem, fructus non poteſt percipere: & ſi perceperit, tenetur eos reſtituere, utpote qui nullum ad eos jus habeat: Ergo nec poteſt Beneficium ante abſolutionem obtentum permutare, aut reſignare in favorem propter rationem mox allatam, quia nempe nullum jus ad illud habet.

Sed, quid ſi obtento Beneficio in excommunicationem lapſus fuerit?

R. Poteſt Beneficio privari, ſed eo ipſo non eſt privatus; non facit tamen fructus ſuos durante excommunicatione; ex cap. *Paſtoralis*, §. *Verum*, tit. *de appellationibus*; eoſque jure naturali reſtituere debet; niſi Sedis Apoſtolicæ gratia ipſi indulgeantur; aut bona fide fuerint conſumpti, nec iis ditior factus fuerit. Ita Suarez diſp. 15. ſect. 2. num. 4. & ſeq. ubi dicit communem hanc eſſe Theologorum & Canoniſtarum ſententiam. Et ratio eſt, quia fructus ſunt propter officium: atqui excommunicatus caret officio: Ergo & fructibus.

4. Excommunicatus etiam occultus & toleratus privatur omni ſpiritalis juriſdictionis uſu; non poteſt ſine gravi peccato Miniſtros inſtituere, alios excommunicare, cap. *Audivimus*, cauſſa 24. quæſt. 1. leges ferre, in iis diſpenſare, ſicut nec in votis & juramentis, ſuam juriſdictionem alteri delegare, conferre Beneficia, ad ea eligere, aut præſentare. Validi tamen ſunt omnes illi actus quandiu toleratus eſt, ſecus, ſi ſit nominatim denuntiatus, & minime toleratus.

5. Excommunicatis interdicitur omnis communicatio cum Fidelibus, circa quem excommunicationis effectum plura elucidanda occurrunt ſeq. §.

§. VII.

De communicatione cum excommunicatis prohibita tam in rebus ſacris, quam civilibus.

Fideles inter ſe communicant, 1. in divinis Officiis: 2. in ſepultura: 3. in actionibus fori contentioſi, in quo ſunt vel Judices, vel actores, vel teſtes, vel Advocati, & procuratores: 4. In familiari convictu, & quotidianæ ſocietatis uſu. Utrum autem omnes excommunicati a qualibet hujuſmodi communicatione excludantur, hic examinare neceſſe. Itaque

Q. 1. *Omnes excommunicati excluduntur ne a communicatione Fidelium in Miſſæ Sacrificio, & aliis divini Officiis?*

R. Una eſt Theologorum & Canoniſtarum ſententia, omnes excommunicatos, ſive toleratos, ſive non toleratos a Miſſæ ſacrificio & aliis divinis officiis arceri graviterque peccare, ſi iis interfuerint. Probatur ex cap. *Alma*, quod eſt ultimum de ſententia excommunicationis in ſexto: ubi permittitur tempore interdicti localis publice celebrari divina officia diebus ſolemnioribus, excommunicatis prorſus excluſis. *Miſſæ celebrentur*, inquit Summus Pontifex, *& alia dicantur divina Officia, ſicut prius, excommunicatis excluſis.* Et infra: *Officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis?*

Q. 2. *Quid facto eſt opus, ſi in Eccleſia tempore divini Officii adfuerit excommunicatus publicus?*

R. 1. Si ſit toleratus, nec nominatim denuntiatus, non ſunt propterea intermittenda divina Officia, nec Fideles peccant, aut minorem excommunicationem incurrunt ejuſmodi communicatione: quia ex Conſtitutione *Ad evitanda ſcandala*, excommuicati non ſunt vitandi, niſi nominatim denuntiati fuerint.

R. 2. Si excommunicatus ſit nominatim excommunicatus, monendus eſt a Sacerdote celebrante, ut exeat. Quod ſi noluerit exire, 1. novam incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, & alii, qui prohibent, ac

ne extat, cap. *Gravis*, Clem. de ſent. excommun. 2. Adſtantes exire tenentur, alias peccarent graviter, communicando cum excommunicato vitando. 3. Celebrans ab altari recedere debet, ſi ad Canonem nondum pervenerit, ſecus, ſi inchoaverit; nam ſacrificium perficere debet uſque ad communionem incluſive, reliquumque Liturgiæ in loco ſecreto, puta in Sacrario, abſolvet.

Q. 3. *Excommunicatus vitandus, & ſacro Ordine inſignitus teneturne privatim recitare Hoaras Canonicas?*

R. Recitare tenetur, non quidem ut perſona publica, & ab Eccleſia deputata, cum ſit exauctoratus, ſed ut privata: quia par non eſt, ut delinquens commodum reportet ex ſuo delicto. Attamen ei non licet adhibere ſocium, nec dicere, *Dominus vobiſcum*; cum hæc verba non ſint privatæ perſonæ, ſed pertineant ad Sacerdotem & Diaconum. Quin Suarez & Navarrus eum pronuntiant irregularem, qui hiſce vocibus uteretur; ſed irregularitas delicto non contrahitur, niſi delictum illud ſit lethale. Quis autem peccatum lethale agnoſcet in materia tam levi?

Q. 4. *Excommunicatus privaturne Eccleſiaſtica ſepultura?*

R. Privatur, ſi nominatim ſit denuntiatus, ex cap. Sacris, *de Sepulturis*: „ Sacris eſt Canonibus inſtitu„ tum, *inquit Innocentius III.* ut quibus non commu„ nicavimus vivis, non communicemus defunctis .... „ Unde ſi contingat interdum quod vel excommunica„ torum corpora per violentiam aliquorum, vel alio „ caſu in cœmeterio Eccleſiaſtico tumulentur, ſi ab „ aliorum corporibus decerni potuerint, exhumari de„ bent, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura jactari. „ Quod ſi diſcerni non potuerint, expedire non cre„ dimus, ut cum excommunicatorum oſſibus corpora „ extumulentur Fidelium „: Sed Eccleſia vel cœmete„ rium in utroque caſu reconciliari debet, ex cap. *Conſuluiſti*, tit. *de conſecr. Eccleſiæ*: Addo excommunicationem latæ ſententiæ Epiſcopo reſervatam incurrere, qui excommunicatum ſepeliunt in loco ſacro, ex Clemen-

mentina, cap. *Eos qui*, tit. *de Sepulturis*; non verò eos, qui honoris cauſſa exequias proſequuntur: peccant tamen, qui cum excommunicato communicant. Sed iſthæc omnia poſt Conſtitutionem *Ad evitanda ſcandala* extendi non debent ad excommunicatos toleratos, quamvis publicos.

Quær. 5. *Communicatio in actionibus forenſibus & ceteris civilibus, eſtne prohibita omnibus excommunicatis?*

R. Affirmative. De actionibus forenſibus habetur cap. *Decernimus*, tit. *de ſententia excommunicationis*, in ſexto, ubi Gregorius IX. vult a Judiciis repelli actores, patronos ac teſtes excommunicatos, & cap. *Pia*, quod eſt Conc. Lugdunenſis I. ſub Innocentio IV tit. „ de exceptionibus, *in quo ſic legitur*: Pia „ conſideratione ſtatuit mater Eccleſia, quod majoris „ excommunicationis exceptio in quacumque parte ju„ diciorum appoſita lites differat, & repellat agentes; „ ut ex hoc magis cenſura Eccleſiaſtica timeatur, com„ munionis periculum evitetur, contumaciæ vitium „ reprimatur, & excommunicati (dum a communibus „ actibus excluduntur) rubore ſuffuſi ad humilitatis „ gratiam, & reconciliationis effectum facilius incli„ nentur. „ De aliis vero actionibus civilibus dicitur „ c. *Si quem*, extrav. de ſententia excommunicationis, majori excommunicatione ligatos ſeparari a communione Fidelium. Hæc autem jure etiamnum vigent, cum Martinus V. expreſſe declaret in Conſtitutione *ad evitanda ſcandala*, non intendere ſe excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos in aliquo relevare.

Ergo peccant excommunicati, ſive tolerati ſint, ſive non, dum extra caſus in jure exceptos, de quibus infra, communicant cum Fidelibus in Actibus forenſibus & civilibus.

Quær. 6. *Actus Judicis excommunicati ſuntne validi?*

R. Sunt validi, ſi ſit toleratus, ut patet ex laudata Conſtitutione, *ad evitanda ſcandala*; ſecus, ſi toleratus non ſit, & nominatim denuntiatus, cap. *Ad probandum*, extrav. de re judicata, & Gloſſa in

in illud caput, *ſententia publice excommunicati nulla eſt*, quia ſcilicet ſententia lata ſine juriſdictione caret effectu: atqui Judex nominatim denuntiatus excommunicatus privatur uſu juriſdictionis. Ergo.

Q. 7. *Peccantne Fideles, qui participant cum excommunicato in actionibus humanis tam forenſibus, quam aliis civilibus?*

R. Diſtinguendum ut ſupra; ſi excommunicatus ſit toleratus, non peccant: ſecus, ſi toleratus non ſit. Utraque reſponſionis pars probatur ex Conſtitutione *Ad evitanda ſcandala*; in ea quippe conceditur Fidelibus privilegium communicandi tantum cum excommunicatis toleratis: ergo reſpectu non toleratorum vigent jura antiqua, cap. *Nuper*, extrav. de ſententia excommunicationis, cap. *Qui communicaverit*, quod eſt Conc. Carthaginenſis IV. relatum 11. qu. 3. cap. *Si quis*, quod eſt Conc. Toletani primi ibidem relatum.

Porro actiones humanæ, in quibus communicare non licet cum excommunicatis non toleratis ſigillatim exprimuntur verſu ſequenti:

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Os ſignificat confabulationes, allocutiones, ſive nutibus, ſive verbo, ſive ſcripto, & quælibet amicitiæ ſigna, ut oſcula, quæ deneganda ſunt excommunicato non tolerato. *Orare*, declarat orationem cum excommunicato non fundendam. *Vale*, nequidem honorificam ſalutationem excommunicato adhibendam, v. gr. aperiendo caput, ipſi aſſurgendo, &c. *Communio*, denotat omnem ſocietatem excommunicato denegandam, qualis habetur in communi habitatione, in contractibus, & aliis exercitiis. *Menſa* ſignificat non comedendum cum excommunicato. Si tamen in hoſpitio v. gr. una eſſet menſa, unum cubiculum, non cenſeretur peregrinus communicare cum excommunicato, ſi eidem menſæ accumberet, & in eodem cubiculo decumberet; modo ſeparatim ederet, nec ullam ſocietatem iniret cum excommunicato.

Dices: Matth. 18. excommunicatus aliter non

eſt

eſt habendus, quam Ethnicus & Publicanus: atqui communio civilis non denegatur Ethnicis, nam ex Apoſtolo 1. Corinth. 10. verſ. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod apponitur vobis, manducate*. Chriſtus ipſe manducavit cum publicanis, Matth. 9. Ergo.

Diſtinguo majorem: excommunicatus non eſt aliter habendus, quam Ethnicus jure divino, Concedo; jure Eccleſiaſtico, Nego majorem: nam Apoſtoli & eorum ſucceſſores prohibuerunt omnem cum excommunicatis excommunicationem: 1. Cor. 5. v. 11. „ Scripſi vobis. „ *inquit Apoſtolus*, non commiſceri, ſi is qui frater „ nominatur, eſt fornicarius, avarus... cum ejuſmo„ di nec cibum ſumere. *Et S. Joannes epiſt. 2. de* „ *Hæretico ait* v. 10. & 11. Nolite recipere eum in „ domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dixerit il„ li, ave, communicat operibus ejus malignis.

Q. 8. *Quibus in caſibus jura permittunt communicare cum excommunicato non tolerato, in actionibus humanis?*

R. Omnes caſus in Jure excepti hoc verſu continentur.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Per *utile* intelligitur utilitas ſive ſpiritalis, ſive temporalis, propter quam Fidelis poteſt communicare cum excommunicato, puta ut eum ad meliorem frugem reducat ex cap. *cum voluntate*, extrav. de ſententia excommunicationis: ut debitum repoſcat; ut conſilium aut auxilium accipiat, ſi non ſit alius, a quo accipere poſſit. Per vocem, *lex*, intelligitur matrimonium, propter quod licitum eſt conjugatis communicare inter ſe, quamvis alter eorum ſit excommunicatus non toleratus. Per *humile*, ſignificatur officium filiorum, ſervorum & ſubditorum, qui tenentur obſequi parentibus, dominis, & ſuperioribus, licet excommunicatis. *Res ignorata*; ſignificat excuſandum Fidelem, qui ex ignorantia vel inadvertentia communicat cum excommunicato. *Neceſſe*, deſignat neceſſitatem tam excommunicati, quam fidelis, propter quam jure naturali & divino tenemur auxilium præſtare proximo,

mo, v. g. neceſſaria alimenta miniſtrare, nudum veſtire; &c. Omnes illi caſus comprehenduntur cap. *Quoniam multos*, cauſſa 11. q. 3. in quo ſic habetur: „ Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos „ ſubtrahimus, videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia, necnon ruſticos ſervientes, & „ omnes alios, qui non adeo curiales ſunt, ut eorum „ conſilio ſcelera perpetrentur, (*id eſt ſi tales ſunt* „ *qui non ſerviant in crimine*) & eos qui ignoranter „ excommunicatis communicant. Quicumque autem „ orator, ſive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, „ vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus.

Alius majoris excommunicationis effectus ſtatuitur a Gregorio IX. ſcilicet irritatio gratiarum Apoſtolicarum: „ ipſo jure, *inquit cap. 1. de Reſcriptis in ſexto*; reſcriptum vel proceſſus per ipſum habitus non „ valeat, ſi ab excommunicatore ſuper alio quam excommunicationis vel appellationis articulo fuerit „ impetratum. „ Sed ejuſmodi effectum hodie vix habere locum advertunt Suarez, Bonacina, & alii, quia Summus Pontifex in ſuis reſcriptis præmittere ſolet abſolutionem ab omnibus cenſuris ad effectum gratiæ ab ipſo conceſſæ; ſicque excommunicatio gratiam a Sede Apoſtolica obtentam non irritata niſi in reſcripto omiſſa ſit ejuſmodi formula.

Ergo, inquies, qui per reſignationem ſimoniacam Beneficium obtinuit in cura Romana ſub illa abſolvendi formula, *ad effectum*, legitime poſſidet illud Beneficium, nec dimittere tenetur.

Nego conſeq. quia talis proviſio eſt nulla, utpote obreptitia, & contra mentem ſummi Pontificis obtenta: quis enim crederet ſummum Pontificem voluiſſe admittere reſignationem ſimoniacam? Abſolvit igitur *ad effectum* a cenſuris olim forte contractis, quibus orator ligatum ſe non advertit. Quamquam Suarez, Sairus, Bonacina, & alii communiter docent ejuſmodi abſolutionem *ad effectum*, non extendi, 1. ad excommunicationem, in qua quis contumaciter annum,

in-

inſorduit, utpote qui ſuſpectus ſit de hæreſi, & adverſus eum procedere liceat, ſicut adverſus Hæreticos, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 3. de reformatione. 1. Ad excommunicationem ob hæreſim contractam, juxta regulam Cancellariæ. Præter duos iſtos caſus, Sairus plures alios refert lib. 2. cap. 5. num. 13.

§. VIII.

De Monitoriis.

ABuſus, qui ex parte impetrantium Monitoria frequenter obrepunt, & dubia, quæ ex iiſdem Monitoriis naſcuntur plurima v. gr. qui & in quibus caſibus teſtificari teneantur, exigunt ut de Monitoriis accuratius diſſeramus. Itaque

Q. 1. *Quid ſit Monitorium?*

R. Eſt mandatum Judicis Eccleſiaſtici, ſub excommunicationis pœna manifeſtandi auctores criminis Reipublicæ pernicioſi, vel gravioris damni proximo illati. Colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſione 25. cap. 3. de reformatione, cujus verba operæ pretium eſt exſcribere. „ Quamvis, *inquit*, excommunicationis „ gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad „ continendos in Officio populos valde ſalutaris; ſo„ brie tamen, magnaque circumſpectione exercendus „ eſt, cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus „ ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formi„ dari, & perniciem potius parere, quam ſalutem. „ Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitio„ nibus præmiſſis ad finem revelationis, ut ajunt, aut „ pro deperditis ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, a „ nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur: „ & tunc non alias, quam ex re non vulgari, cauſ„ ſaque diligenter ac magna maturitate per Epiſco„ pum examinata, quæ ejus animum moveat, nec ad „ eas concedendas cujuſvis ſæcularis, etiam Magiſtra„ tus auctoritate adducatur. „ Conſonat Edictum regium, pro majori parte, datum efflagitante Clero Gallica-

licano anno 1695. adverſus nonnullos Judices ſæculares, qui pro levioribus rebus Monitoria requirenda decernebant. Sic autem fert Edictum art. 26. *Les Archeveques & Eveques, & leurs Officiaux ne peurront decerner des Monitoires que pour des crimes graves, & ſcandales publics ; & nos Juges n' en ordonneront la publication que dans les memes cas, & lorſque l'on ne pourroit avoir autrement la preuve.*

Edictum concordat, pro maxima parte, cum Decreto Tridentino; nempe Concilium ſtatuit mandatum ad finem revelationi exire non poſſe, niſi a poteſtate Eccleſiaſtica, & pro gravibus cauſſis, quando & non alias, veritas ſine ejus ope detegi non poteſt. Diſcordat autem in duobus capitibus: 1. juxta Concilium, Monitoria a ſolo Epiſcopo decerni debent; ſecundum autem Edictum, ab Officiali Epiſcopi decerni poſſunt. Quin in territorio Senatus Pariſienſis nonniſi ab Officiali concedi debent. 2. Concilium prohibet, ne Epiſcopus cujuſquam Judicis ſæcularis auctoritate adducatur ad concedenda Monitoria: contra vero, Edictum confirmat uſum in Regno receptum, ſcilicet numquam decernenda Monitoria, niſi Judex ſæcularis prius permiſerit recurrere ad extremum illud remedium, quia ipſius eſt invigilare paci ac tranquillitati Reipublicæ, quæ perturbatur, cum temere & minus circumſpecte ejuſmodi mandata publice enuntiantur.

Q. 2. *Quid eſt aggravatio? quidve Reaggravatio?*

R. Si conſulatur vetus Eccleſiæ doctrina, ſimplex excommunicatio privabat ſolum communione Fidelium in rebus ſacris: aggravatio vero excommunicatum contumacem excludebat inſuper a communicatione civili; & hæc pœna proprie erat anathema, quod hodie ab excommunicatione non diſtinguitur, niſi penes ſolemnitatem, ut ſuper diximus, cum apud veteres eſſet pœna ſimplici excommunicatione major. Quod ſi excommunicatus aggravatus obdurato corde permaneret, aggravationemque contemneret, decernebatur reaggravatio, qua Fideles ſub anathemate prohibebantur communicare etiam in civilibus, cum ejuſmodi aggravato. Hanc pœnarum diſtinctionem diſerte tradunt anti-

qui

qui libri rituales, habeturque in Concilio Turonenſi anno 1239. „ Prohibemus, *inquiunt Patres*, ut Præ-
„ lati Eccleſiarum excommunicationis ſententias præ-
„ cipitare præſumant; ſed cum maturitate & legitimis
„ monitionibus, & competentibus intervallis, niſi ne-
„ gotium celeritatem deſideret; & niſi periculum ſit
„ in mora, & tunc hoc ordine procedatur, ut 1. de-
„ linquentes excommunicentur, poſtea creſcente con-
„ tumacia, cum pulſatione campanarum, & aliis ſo-
„ lemnitatibus ſententia aggravetur; & niſi excommu-
„ nicati ad gremium Eccleſiæ redierint, euntes ad
„ mercata, & coquentes ad furna, molentes ad mo-
„ lendina excommunicentur: poſtmodum participantes
„ in cibo & potu anathematis ſententiæ ſupponan-
„ tur. „

Verum juxta hodiernam diſciplinam difficile eſt de-finire quid ſit aggravatio, quid reggravatio, quamve pœnam excommunicationi hodiernæ ſuperaddant, namque 1. excommunicatus nominatim denuntiatus excluditur ab omni communicatione Fidelium, tum in ſacris, tum in civilibus; & ubique eſt vitandus ſub pœna excommunicationis, non quidem majoris, ut jure antiquo; ſed minoris. 2. juxta hodiernam diſciplinam, excommunicati, ſive occulti, ſive publici non ſunt vitandi, niſi ſint nominatim denuntiati: attamen Officiales, quos nec nominant, nec denuntiant, eos ſæpe declarant excommunicatos, aggravatos, & reaggravatos; *excommunicamus*, inquiunt, *aggravamus & reaggravamus*. Fallor, ſi omnes Officiales intelligant vim & ſenſum hujuſmodi ſententiarum; quid addat aggravatio ſupra excommunicationem hodiernam, & reaggravatio ſuper aggravationem. Quare expetendum videtur, ut Epiſcopi in ſuis ſtatutis, & in libris ritualibus exponant quod ſit diſcrimen inter triplicem illam pœnam, ſtatuantque ubi & quando eorum Officiales procedent ab excommunicatione ad aggravationem, & ab aggravatione ad reaggravationem.

Q. 3. *Quid obſervare debet Parochus, cum Monitoria ad ipſum diriguntur?*

R. 1. Exponet ex iis, quæ tradidimus paragrapho quar-

quarto, quam formidanda ſit & ſolicite cavenda excommunicatio. 2. Exprobrabit eorum crudelitatem, qui ex appetitu vindictæ, vel levibus ex rebus Monitoria poſtulant; illos ſimiles dicit Gerſonius Oratione habita in Concilio Remenſi anno 1408. ei, qui, *ut muſcam abigeret a fronte proximi, ictu ſecuris excerebravit eum*. Frevetus l. 7. c. 2. refert ſenatuſconſulta, quibus abuſiva declarantur Monitoria ad reſarciendum damnum triginta libellarum. Romæ non promulgantur Monitoria, niſi damnum illatum æſtimari poſſit 150. libellis. Sed iſta penſanda ſunt judicio viri prudentis, nam 150. libellæ videntur quid leve reſpectu divitis, cum 80. ſint quid grave reſpectu pauperis. Quod ſi Parochus certo deprehendat Monitorium obrepitie fuiſſe obtentum, Epiſcopum vel Officialem monebit, impetrantem nullum, aut fere nullum pati damnum. 3. Monitoria non promulgabit diebus ſolemnioribus, v. gr. Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, &c. 4. Monitorium leget voce alta, diſtincta, non feſtinanter, ſed interjecta morula inter ſingulos articulos, de quibus eſt conqueſtus, ut omnes facile percipiant quid ipſis imperetur. Quando vero teſtimonia excipiet, cavebit, ne quis manifeſtet alia, quam quæ ad Monitorium pertinent. 5. Exponit Monitorium ligare auctorem criminis & teſtes, ſed diverſo modo: auctorem quidem, ut ſatisfaciat ſub pœna excommunicationis; neque enim prodere ſe tenetur: teſtes vero, ut illum manifeſtent ſub eadem excommunicationis pœna. Docebit errare eos, qui exiſtimant nec auctorem criminis, nec teſtes teneri parere Monitorio, donec feratur excommunicationis ſententia; Monitorium enim cum ſit legitimum Superioris mandatum, per ſe vim habet obligandi ſubditos ſub gravi peccato, cujus reos ſe conſtituunt, qui non obtemperant, ita ut excommunicatio, quæ aliquando poſt Monitorium decernitur, ſit juſta pœna peccati eorum, qui ſine legitima cauſſa Monitorio non paruerunt.

Q. 4. *Danturne legitimæ cauſſæ non parendi Monitorio?*

R. Plures dantur, namque excuſantur

1. Qui

1. Qui non poſſunt manifeſtare ſine periculo vitæ, famæ, & gravioris damni, quia leges humanæ non obligant cum tanto diſpendio: illi tamen curare debent, ut alia via damnum patienti fiat ſatis.

2. Conſanguinei & affines, alias, vix ſtaret ſocietas humana. Quouſque autem extendatur illud privilegium, non conveniunt Theologi: alii illud limitant ad ſecundum gradum incluſive, alii extendunt ad quartum gradum incluſive. Nihil certius in iſta controverſia definiri poteſt, quam ſi dicatur, eum qui per Judicem eximeretur a teſtimonio ferendo, non teneri revelare, quia Monitoria eo fine duntaxat promulgantur, ut crimen probari poſſit in foro contentioſo. Quare ſi conſanguineus aut affinis in tertio vel quarto gradu non teneatur ibidem teſtimonium ferre, nec tenetur etiam vi Monitorii quidquam patefacere, niſi ſalus Reipublicæ verſetur in periculo, v. g. propter hæreſim occulte graſſantem, vel patriæ proditionem, nec ſint alii teſtes, qui rem manifeſtent; bonum enim publicum præferendum eſt privato, & hæc exceptio extendi debet ad primum caſum, & ad pleroſque ex ſequentibus.

3. Excuſantur quibus delictum revelatum eſt cauſſa capiendi conſilii, ut Advocati, Procuratores, Theologi, Medici, Obſtetrices, fidus amicus, niſi iſtæ perſonæ id ſcirent alia via.

Sed quid ſi amicus rem didicit ab amico ſecreto naturalis, non tamen conſilii capiendi cauſſa?

R. Cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 70. artic. 1. ad 2. revelare tenetur, ſi revelatio ejus ſit neceſſaria ad avertendum grave alterius damnum. „ Quæ homini „ ſunt commiſſa in ſecreto per confeſſionem, *inquit* „ *Sanctus Doctor*, nullo modo debet teſtimonium fer„ re, quia hujuſmodi non ſcit ut homo, ſed tanquam „ Dei miniſter: & majus eſt vinculum Sacramenti quo„ libet hominis præcepto. Circa vero ea, quæ aliter „ homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum „ eſt; quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim „ cum ad notitiam hominis venerint, homo ea ma„ nifeſtare tenetur, puta ſi pertinent ad correptio-

„ nem

„ nem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel „ in grave damnum alicujus perſonæ. “

Dices, obediendum non eſt Prælato, qui præcipit aliquid contra jus naturale & divinum; *obedire enim oportet Deo magis, quam hominibus*, Act. 5. atqui jure naturali & divino ſervari debet ſecretum; ergo quæ accepit quis ſub ſecreto, *nullo modo*, inquit S. Thomas cit. articulo ad ſecundum, *tenetur ea prodere, etiam ex præcepto Superioris.*

Diſtinguo minorem; jure naturali & divino oportet ſervare ſecretum, ſi ſervari poſſit abſque gravi damno vel proximi, vel etiam ejuſdem, qui illud credidit, Concedo; ſecus. Nego minorem; jure enim naturali ac divino tenemur opem ferre laboranti, & avertere malum ipſi imminens; *eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*, Pſalm. 81. *mandavit illis* (Deus) *unicuique de proximo ſuo*, Eccli. 17. atqui ſecretum in circumſtantiis, de quibus eſt ſermo, valde noxium eſſet tum proximo, tum ei, qui illud credidit; foveret injuſtam ejus contumaciam. Laudatur Medici caritas, qui ægrum ligat, & putridum ac noxium ejus membrum abſcindit; cum tamen injuſtum ſit ac crudele quemquam ſine cauſſa mutilare.

Utrum autem famuli ac domeſtici eximantur ſicut conſanguinei, & alii ſecretorum participes, diſputant Theologi: alii negant, ut Eveillonus cap. 23. art. 2. §. 3. de excommunicatione; alii affirmant. Hæc poſterior ſententia abſolute & univerſaliter ſumpta probabilis non eſt: Judex enim ſæcularis domeſticos ſub ſacramento cogit teſtimonium ferre de homicidio in familia patrato, de ſupellectili ſubtracta poſt domini ſui obitum. Cum ergo Monitorium tendat ad ſuppeditanda teſtimonia in lite apud Judicem pendente, ſtandum eſt praxi fori contentioſi, in quo ſi famulorum ac domeſticorum exceptio non admittatur, hi parere debent Monitorio. Ratio tamen habenda eſt gravis damni, quod famulus ex revelatione pateretur, ut ſupra obſervavimus.

4. Si crimen eſt omnino occultum, qui illius conſcius

eſt, tenetur auctorem prius monere, juxta ordinem correctionis fraternæ, Matth. 18. *corripe illum inter te & ipſum ſolum*, modo tamen ſit ſpes emendationis. Quod ſi auctor criminis damnum reſarciat, teſtis non debet illum manifeſtare. Idem dicendum, ſi auctor damni rei familiaris anguſtia illud reſarcire non poſſit; ſed debitum aſſecurare debet.

5. Si conſtet eum, adverſus quem promulgatur Monitorium, bona ſubtracta juſto titulo poſſidere, v. g. juſta compenſatione, præſcriptione legitima, graviter peccaret, qui occaſione Monitorii illum manifeſtaret.

6. Quando promulgatur Monitorium propter damnum a pluribus illatum, puta propter vineam aut ſylvam devaſtatam, qui novit Titium ſeparatim ab aliis unum aut alterum racemum, vel minutum aliquod lignum inde abſtuliſſe, non ſine gravi peccato Titium denuntiaret, quia præterquamquod peccatum Titii, utpote leviſſimum, non ſit materia excommunicationis, illum periculo gravioris damni exponeret, nempe reſarciendi totum damnum in vinea aut ſylva illatum; in foro enim externo Titius præſumi poſſet cauſſa totius damni, & ad illud reparandum cogi. Tenetur tamen Titius ſub gravi peccato & pœna excommunicationis, illud leviſſimum quod abſtulit reſtituere; Monitorium enim merito promulgatur ad reſarciendum grave damnum ex pluribus minimis partibus conflatum: non reſarciretur autem, ſi nullus minimam a ſe ablatam partem refunderet. Quod ſi Titius conjunctim cum aliis, & quaſi communi conſilio vineam aut ſylvam depopulatus eſt, graviter peccavit, teneturque de toto damno defectu aliorum; & niſi illud reparet, denuntiandus eſt vi Monitorii.

7. Qui per plateas ab hominibus incognitis, nec fide dignis audivit crimen a Titio fuiſſe perpetratum, non tenetur denuntiare, quia ejuſmodi denuntiatio nullam in judicio faceret fidem. Si autem a fide digno audivit, & iſte denuntiat, non tenetur denuntiare, quia ejus teſtimonium nihil adderet.

Q. 5. *Qui non habuit unde reſtitueret, cum Monito-*

nitorium promulgabatur, ſi venerit poſteà in pinguiorem fortunam, tenebiturne reſtituere ſub excommunicatione?

R. Tenebitur: quia præceptum ſemper durat, niſi qui Monitorium conceſſit, extremum diem clauſerit, aut ab officio amotus fuerit, quia Excommunicatio illa eſt ab homine: cenſura autem ab homine expirat illius morte, qui eam tulit.

Q. 6. *Clerici in cauſſa ſanguinis tenenturne denuntiare?*

Negat S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 3. *ſecundum juris ordinem*, inquit, *compelli non poſſunt* (Miniſtri altaris) *ad ferendum teſtimonium in cauſſa ſanguinis*. Ultramontani Theologi & Canoniſtæ communiter eandem tuentur ſententiam, pronunt'antque irregularem fore Clericum, ex cujus teſtimonio mors aut mutilatio ſequeretur. Quin Concilium quartum Mediolanenſe vetat, ne concedantur Monitoria in cauſſis criminalibus. Plures libri rituales præſcribunt decernenda cum hac clauſula, *dummodo civiliter procedatur, non criminaliter*. Laudatur etiam Bulla Pii V. in qua ſtatuit Monitoria ſolum decernenda in cauſſis civilibus: *alias*, inquit, *in nihil revelationes præfatæ eiſdem* (impetrantibus) *ſuffragentur in judicio, vel extra nullam prorſus fidem faciant, quem quamve afficiant*.

Verum in Galliis Clerici licite & abſque periculo irregularitatis ferunt teſtimonium in cauſſis ſanguinis, ad idque coguntur auctoritate Judicis ſæcularis. Et merito quidem: *nam in civilibus*; inquit Oſtienſis in ſumma lib. 2. c. de teſtibus cogendis, *offenditur principaliter privata utilitas tantum: ſed in criminalibus Deus offenditur; Reſpublica læditur, proximus corrumpitur, obedientes opprimuntur, & propter bonum obedientiæ puniuntur: inobedientes præmiis afficiuntur, & de ſuis malitiis gloriantur: nocens abſolvitur, & innocens condemnatur, niſi teſtes compellantur, & crimina puniantur*. Atque ob eandem rationem uſus apud nos ubique obtinuit, ut decernantur Monitoria pro criminibus detegendis, favetque Concilium Tridentinum

ſeſſ. 25. cap. 3. de reformat. in quo ſic habet: *in cauſſis quoque criminalibus licebit judici hoc ſpirituali gladio in delinquentes uti*. Quia, ut dicitur cap. *Prælati*, de homicidio, in 6. *per impunitatis audaciam fiunt, qui nequam fuerant, nequiores*. Ex quibus conſtat Clericos teneri parere Monitoriis in cauſſis criminalibus; nec Judicem, qui ea conceſſit, nec Clericos reum manifeſtantes, fieri irregulares, ſi reus morte plectatur, cum ad eam nonniſi remote & præter intentionem concurrant.

Q. 7. *Monitorium, quod in aliqua Parochia promulgatur, obligatne vicinos, qui de illo audierunt?*

R. Diſtinguendum eſt: Si vicini ſint alterius diœceſis, non obligantur vi Monitorii, quia ſubditi non ſunt juriſdictioni Prælati, qui Monitorium conceſſit: ſecus, ſi ſint ejuſdem Diœceſis, ſubſintque juriſdictioni auctoris Monitorii; quia ejus mandatum non dirigitur ad ſolos Parochiæ incolas, ſed ad eos omnes qui conſcii ſunt eorum quæ in Monitorio continentur.

Q. 8. *Qui, cum teneatur denuntiare, non denuntiat, obligaturne ad reſtituenda damna ex proprio ſilentio ſecuta?*

R. Affirmat Avila 2. parte cap. 5. diſp. 4. dubio 3. concluſione 8. & pro ſua ſententia laudat Sotum lib. 5. de juſtitia quæſt. 1. & Navarrum in Manuali cap. 17. num. 134. Eminentiſſimus quoque Cardinalis le Camus Epiſcopus Gratianopolitanus, in ſuis ſtatutis, vult Parochos docere hancce ſententiam. Et ratio eſt, quia conquerens per præceptum Judicis tum ſæcularis, tum Eccleſiaſtici, acquirit jus in eos, qui teſtimonio ſuo ipſi ſuccurrere queunt, poteſtque ab eis exigere, ut ſibi ferant auxilium.

§. IX.

§. IX.

De Interdicto.

Q. 1. QUid eſt Interdictum?

R. Eſt cenſura privans baptizatum aliquibus Sacramentis, omnibuſque Officiis divinis, & ſepultura Eccleſiaſtica. Colligitur ex cap. *Quo in te*; de pœnit. & remiſſ. & cap. *Non eſt vobis*, tit. *de ſponſalibus*.

Ergo interdictum non privat omnibus Eccleſiæ bonis, nempe omnibus Sacramentis, & communione Fidelium, ſaltem in civilibus; nec per interdictum etiam nominatim denuntiatus eſt vitandus, niſi in Officiis divinis. Sed ad pleniorem definitionis intelligentiam.

Q. 2. *Quotuplex eſt interdictum?*

R. Triplex, locale ſcilicet, perſonale, & mixtum.

Locale directe cadit in locum, ne in eo Officia divina celebrentur, ſaltem publice; neve quiſquam ibidem ſepeliatur, itaut nec incolæ loci, nec peregrini in loco interdicto poſſint audire Officia divina, aut ſepeliri; ſed alibi audire & ſepeliri poſſunt, dummodo ipſimet non ſubjaceant interdicto perſonali.

Perſonale afficit ipſas perſonas, ita ut non ſolum in loco interdicto, ſed in alio quovis loco officia divina audire non poſſint, nec in ullo loco ſacro ſepeliri.

Interdictum mixtum conflatur ex locali, & perſonali, directeque afficit locum & perſonas, ac proinde omnes interdicti localis & perſonalis habet effectus mox recenſitos.

Q. 3. *Quomodo ſubdividuntur interdictum locale, & interdictum perſonale?*

R. Subdividuntur in generale, & ſpeciale.

Locale interdictum generale, eſt interdictum, quo interdicitur Regnum, Provincia, civitas, villa: ſpeciale, quo interdicitur aliquis locus ſpecialis v. g. aliqua Eccleſia, vel aliquæ ex iis, quæ ſunt in civitate,

ex capit. *Cum in partibus*, tit. *de verborum ſignificatione*.

Ergo quando interdicuntur Eccleſiæ civitatis, non vero ipſa civitas, eſt interdictum locale ſpeciale, poſſuntque divina Officia celebrari extra Eccleſias in illa civitate. Sed interdicta aliqua Eccleſia, cœmeterium ipſi contiguum, hoc eſt, cujus extrema Eccleſiam contingunt, eſt etiam interdictum, quia acceſſorium ſequitur principale; contra vero interdicto cœmeterio, non cenſetur Eccleſia interdicta.

Dixi, *cœmeterium ipſi contiguum*; ſi enim ejus extrema non contingunt Eccleſiam interdictam, non eſt interdictum.

Generale interdictum perſonale eſt, quo interdicuntur omnes perſonæ Regni, civitatis, &c. ſpeciale vero perſonale, quo interdicuntur aliquæ Regni, civitatis, &c. perſonæ, puta familia, collegium, &c.

Q. 4. *Poſito interdicto generali locali, cenſenturne perſonæ interdictæ?*

R. Minime, ex capit. *Sicut*, de ſententia excommunicationis in ſexto. Unde incolæ civitatis interdictæ poſſunt audire & celebrare divina Officia in aliis locis, non tamen in ſuburbiis & domibus adjacentibus, quæ in interdicto civitatis comprehenduntur, ex capit. *Si civitas*, de ſententia excommunicationis in 6.

Q. 5. *Poſito interdicto perſonali, cenſeturne dici interdictum locale?*

R. Non cenſetur, niſi aliter exprimatur in ſententia, cap. *Si ſententia*, de ſententia excommunicationis in ſexto. Hinc interdicto Clero alicujus Eccleſiæ, non cenſetur ipſa Eccleſia interdicta, & exteri poſſunt in ea celebrare.

Q. 6. *Quæ perſonæ cenſentur interdictæ per interdictum perſonale, ſive generale, ſive ſpeciale?*

R. 1. Interdictis civibus alicujus civitatis aut oppidi, omnes ejus incolæ cenſentur interdicti, etiamſi abſentes ſint aut fuerint, quando latum eſt interdictum. 2. Interdicto populo, non interdicitur Clerus, niſi aliter exprimatur, ex laudato cap. *Si ſententia*. 3. Inter-

terdicto Clero; non interdictus eſt Epiſcopus, ex cap. *Quia periculoſum;* de ſententia excommunicationis in ſexto. 4. Interdicta familia interdicuntur Clerici, qui ad eam pertinent; quia familia eſt nomen commune Clericis & Laicis.

Q. 7. *Interdicto comprehenditurne qui illud tulit?*

R. Si interdictum ſit locale, comprehendit, & eum, qui illud tulit, & ejus Superiorem, aut æqualem, incurruntque pœnas juris, ſi illud violent celebrantes in loco interdicto: ſecus, ſi interdictum ſit perſonale, ſive generale, ſive ſpeciale. Ratio diſcriminis eſt, quod pœnæ in violantes interdictum locale ſint a jure communi, non autem ab homine; jus autem commune ligat omnes, etiam Superiorem. Hinc ipſe excommunicans tenetur vitare quos a ſe excommunicatos nominatim denuntiavit. Pœnæ vero in violantes interdictum perſonale ſunt ab homine, quin in ſe ipſum, aut æqualem, ſeu ſuperiorem non habet vim coactivam; ſed ſolum in ſibi ſubditos.

Q. 8. *Quam ob cauſſam decerni poteſt interdictum?*

R. Propter gravem culpam, vel propriam vel alienam, ſive interdictum ſit locale, ſive perſonale: v. g. ob culpam Univerſitatis, vel domini temporalis, interdicuntur ſingula Univerſitatis membra, vel terræ & perſonæ domino ſubditæ, ex cap. *Si ſententia*, de ſententia excommunicationis in ſexto. Culpa autem debet eſſe gravis, & contraria bono publico: nam Extravag. *Provide*, de ſententia excommunicationis, locale interdictum generale ab Epiſcopo decerni non poteſt propter debitum pecuniarium.

Ergo innocentes ligari poſſunt generali interdicto, ſive locali, ſive perſonali.

Dices: interdictum, utpote cenſura, eſt pœna ſpiritalis: atqui injuſtum eſt innocentem affici pœna ſive ſpiritali, ſive temporali. Ergo.

Diſtinguo majorem; eſt pœna reſpectu domini delinquentis, qui punitur in ſuis ſubditis, Concedo: reſpectu eorum, qui ad ipſum pertinent, Nego majorem: Itaque interdictum in innocentibus proprie eſt pœna domini delinquentis, & afflictio quædam juſta

de cauſſa ſubditis innocentibus, inflicta in vindictam criminis perpetrati ab iis, qui ipſis præſunt. Porro ex regula juris in ſexto, *ſine culpa, niſi ſubſit cauſſa, nullus eſt puniendus.*

Q. 9. *Quot ſunt effectus interdicti?*

R. Tres, ſcilicet privatio quorumdam Sacramentorum, Officiorum divinorum & Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Patet ex allata interdicti definitione, habeturque cap. *Alma Mater*, & cap. *Si civitas*, de ſententia excommunicationis in ſexto.

Q. 10. *Quibus Sacramentis privat interdictum?*

R. Jure tam novo, quam veteri, non licet Sacramentum Ordinis conferre in loco interdicto, etiamſi ordinans vel ordinatus non ſit interdictus. Quod ſi alteruter ſit interdictus, nequidem in loco non interdicto ordinatio celebrari poteſt ex cap. *Non eſt vobis*, de ſponſalibus, ubi ſolum permittuntur Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ; & cap. *Alma*, de ſententia excommunicationis in ſexto, in quo Bonifacius nihil immutavit circa Sacramentum Ordinis, quamvis de jure antiquo multum relaxaverit.

Sacramentum Extremæ unctionis, cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiſſ. denegatur omnibus, etiam Clericis & Religioſis, etiamſi interdictum locale ſervaverint, nec perſonaliter ſint interdicti; quam pœnam non minuit Bonifacius cit. cap. *Alma*.

Quod ſpectat matrimonium, diſtinguendum eſt, ſi ſpectetur ut merus contractus, celebrari poteſt in loco interdicto, etiam ab interdictis; ſi vero ſpectetur ut Sacramentum a Sacerdote miniſtrandum, ut contendunt plures Theologi, jure antiquo prohibebatur, cum pertineat ad Officium divinum, ſed jure novo, cit. cap. *Alma*, nuptiæ benedici poſſunt in loco interdicto, modo nubentes non ſint excommunicati & interdicti, & illa benedictio fiat ſubmiſſa voce, & januis clauſis. Excipiuntur tamen nonnulli dies ſolemnes, quibus divina Officia ſolemniter celebrari poſſunt, juxta laudatum caput *Alma*: ergo & nuptialis benedictio.

Sacramentum Euchariſtiæ jure antiquo & novo miniſtra-

niſtrari non poteſt, niſi in mortis periculo, exceptis quibuſdam diebus ſolemnibus, de quibus poſtea.

Sacramentum pœnitentiæ jure antiquo non licebat conferre, niſi conſtitutis in mortis periculo, cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiſſ. & cap. *Non eſt vobis*, de ſponſalibus: ſed jure novo, cap. *alma*, licet illud conferre etiam ſanis, quoties libuerit, exceptis excommunicatis, & iis, qui dederunt cauſſam interdicto, vel qui ſub conſilio & favore concurrerunt ad delictum, propter quod lata eſt ſententia interdicti.

Baptiſmum ſemper licuit miniſtrare ſolemniter non ſolum pueris, ſed etiam adultis, etiam ſanis, ex cap. *Quoniam*, de ſententia excommunicationis in ſexto, ubi permittitur conficere chriſma die cœnæ Domini. Idem dicendum de Confirmatione, quæ eſt complementum Baptiſmi.

Q. 11. *Quid intelligitur nomine divinorum Officiorum?*

R. Omnis actio ab Eccleſia ordinata ad uſum Ordinum, Sacramentorum, Sacramentalium, & preces ejus nomine fundendas, quales ſunt Horæ Canonicæ.

Ergo celebratio Miſſæ, collatio Ordinum etiam minorum, benedictiones nuptiarum, aquæ, cæreorum die Purificationis, veſtium Sacerdotalium, ſolemnis etiam benedictio Epiſcopalis, non vero ſimplex in ſententia plurium Theologorum, per interdictum ſunt prohibitæ.

Ergo tempore interdicti poteſt benedici menſa etiam ab interdictis; poſſunt etiam tam Laici, quam Clerici, fundere preces privatas, v. g. recitare Pſalmos; Litanias, &c. quia iſta non ſunt ordinata ab Eccleſia, nec peraguntur tanquam ab ejus Miniſtris. Quin Clerici tenentur privatim penſum Horarum Canonicarum perſolvere: debent tamen omittere verſiculum, *Dominus vobiſcum*, quia brevis illa oratio eſt actus hierarchicus, qui ex regulis Breviarii Romani debet prætermitti ab eo, qui non fuerit ſaltem Diaconus.

Q. 12. *Omnia Officia divina ita ne prohibentur tempore interdicti, ut nulla peragere liceat?*

R. Præter Sacramenta, quæ mox diximus tunc licite adminiſtrari, 1. cap. *Permittimus*, de ſententia excommunicationis, conceditur ſemel in hebdomada Miſſam ſubmiſſa voce celebrare ad renovandam Euchariſtiam, quæ ſervari debet pro infirmis; ita tamen ut januæ ſint clauſæ, campanæ non pulſentur, & excludantur excommunicati & interdicti. 2. cum eadem cautione Clerici duo, aut ad ſummum tres, jure antiquo convenire poterant ad perſolvendas Horas Canonicas, ſed ſubmiſſa voce & ſine cantu, cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiſſ.

Q. 13. *Quid circa hunce ſecundum interdicti effectum relaxaverit Boniſacius VIII. laudato cap.* Alma?

R. 1. Permiſit ut non ſolum duo aut tres, ſed omnes Clerici ſimul convenire poſſint in Eccleſiam, (modo tamen non ſit ſpecialiter interdicta) ad Miſſas celebrandas, & alia divina Officia: ſed ſubmiſſa voce, januis clauſis, non pulſatis campanis, & *excluſis* excommunicatis, ac interdictis; nam Clerici perſonaliter interdicti cum aliis convenire non debent.

Dixi, *Clerici*, quia Laicis nihil indultum eſt hac conſtitutione; propter Laicos quippe excludendos præcipit ſummus Pontifex citato capite *Alma*, ut omnia ſubmiſſa voce & clauſis januis peragantur.

R. 2. Citato capite *Alma*: indulgetur, ut in quatuor præcipuis ſolemnitatibus, ſcilicet Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Virginis, divina Officia celebrentur ſolemniter, *januis* apertis, alta voce, pulſatis campanis, excommunicatis prorſus excluſis, admiſſis vero interdictis. Hoc privilegium extendit Martinus V. ad feſtum Corporis Chriſti, Eugenius IV. ad totam hujus feſti Octavam; Leo X. ad feſtum Conceptionis Beatæ Virginis, & ad ejus Octavam.

Q. 14. *Per interdictum privaturne Clericus uſu Eccleſiaſticæ juriſdictionis?*

R. Minime, etiamſi ſit perſonaliter interdictus, ac nominatim denuntiatur, quia per interdictum prohibentur ſolum divina Officia, Sacramenta, & Eccleſiaſtica ſepultura: atqui uſus juriſdictionis ad nullum

ho-

horum revocari poteſt, niſi ſit cum aliqua ſolemnitate, quæ ad Officium divinum pertineat.

Q. 15. *Omnes interdicti carentne Eccleſiaſtica ſepultura?*

R. 1. Carent, ſi ſint perſonaliter interdicti, ex cap. *Is cui*, de ſententia excommunicationis in ſexto, ubi generaliter dicitur: *Is cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, ſi durante interdicto decedat, non debet in Eccleſia, vel cæmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerit, ſepeliri.*

R. 2. Qui non ſunt perſonaliter interdicti, nec cauſſam culpabilem dederunt interdicto, ſive ſint Clerici, ſive Laici, ſepeliri poſſunt in loco ſacro non interdicto, quia ex dictis, qui non ſunt perſonaliter interdicti, non tenentur ſervare interdictum locale in locis non interdictis.

R. 3. Clerici qui non ſunt perſonaliter interdicti, nec cauſſam culpabilem dederunt interdicto, ſervaveruntque interdictum, ſepeliendi ſunt in loco ſacro etiam ſpecialiter interdicto, ſi non ſit alius non interdictus; ſed cum ſilentio, ſine pulſatione campanarum, & abſque ſolemnitate, cap. *Quod in te*: de pœnitentiis & remiſſionibus: ſed jure novo cap. *Alma*, poſſunt ſepeliri cum Miſſa & Officio defunctorum, ſubmiſſa tamen voce, & januis clauſis.

Dixi, *Clerici*, nam Laici, niſi gaudeant ſpeciali privilegio, non poſſunt ſepeliri in loco ſacro interdicto tempore interdicto, cum lex ſolis Clericis illud privilegium concedat.

Q. 16. *Lex illa eſtne extendenda ad pueros carentes uſu rationis?*

R. Affirmative, quia etiamſi non ſit capaces præcepti, nec proinde interdicti perſonalis, non poſſunt tamen ſepeliri in loco ſacro interdicto, utpote qui ſit incapax recipiendi cadaveris.

Q. 17. *Qua plectitur pœna, qui violat interdictum?*

R. Diſtinguendum eſt: ſi violet audiendo Officia divina, peccat quidem mortaliter, ſed nullam incurrit pœnam; ſi autem violat exercendo actum Ordi-

nis, v. g. celebrando divina Officia, fit irregularis: ex c. *Is*, *cui*, de Officio excommunicationis in ſexto.

Q. 18. *Quodlibet interdictum habet ne ſemper recenſitos tres effectus?*

R. Si interdictum, ſive locale, ſive perſonale, abſolute & indeterminate feratur, habet omnes interdicti effectus, locale quidem circa locum, perſonale circa perſonam. Quod ſi interdictum perſonale ſit tantum ab aliqua actione determinata, interdictus poteſt aliam exercere, in quo actio prohibita non continetur, v. gr. ſi interdicitur ab altaris miniſterio, licite poteſt confeſſiones excipere. Sed interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non poteſt in ea audire aut celebrare divina officia, quia hoc poſterius primum includit.

§. X.

De ſuſpenſione.

Q. 1. **Q**Uid eſt ſuſpenſio?

R. Eſt cenſura, qua Clerico prohibetur uſus Ordinis, Officii, & Beneficii.

Dicitur 1. *qua Clerico prohibetur*, quæ voces denotant ſolum Clericum eſſe ſuſpenſionis ſubjectum.

Dicitur 2. *prohibetur uſus Officii, & Beneficii*, ut diſtinguatur ſuſpenſio a depoſitione: per depoſitionem enim Clericus ſpoliatur poteſtate juriſdictionis, & ipſo Beneficii titulo: per ſuſpenſionem vero ipſi ſolum prohibetur uſus juriſdictionis & Beneficii.

Q. 2. *Quotuplex eſt ſuſpenſio?*

R. Triplex: alia ab Ordine, alia ab Officio, alia e beneficio.

Suſpenſio ab Ordine eſt ea, qua Clericus privatur uſu ſuorum Ordinum, ita ut licite non poſſit Miſſam celebrare, Sacramenta miniſtrare, ſi ſit Sacerdos, fungi munere Diaconi, aut Subdiaconi, denique ea peragere, quæ nonniſi ab Ordine initiatis rite peragi poſſunt.

Suſpen-

Suſpenſio ab Officio eſt ea, qua Clericus privatur juriſdictionis uſu, adeo ut non poſſit cenſuras ferre, indulgentias concedere, eligere ad Beneficia, delegare ad munia Sacerdotalia obeunda, &c.

Suſpenſio a Beneficio eſt ea, qua Clericus privatur fructibus temporalibus ſui Beneficii, nec proinde poteſt eos adminiſtrare, cap. *Cum Vintonienſis*, de elect.

Verum iſthæc ſuſpenſio locum non habet in Galliis: ubi Clericus, quandiu non eſt depoſitus, nec ſpoliatus Beneficii titulo, non poteſt ſine abuſu per Judicem Eccleſiaſticum privari Beneficii fructibus. Unde ſi Prælatus in locum Parochi ab omni officio ſuſpenſi alium Sacerdotem deleget ad regendam Parochiam, hic ad Judicem ſæcularem recurrat neceſſe eſt, ut congruam portionem ex fructibus Beneficii, cujus onus ſuſtinet, percipere poſſit; quia Prælati aut Judicis Eccleſiaſtici juriſdictio, utpote mere ſpiritualis non ſe extendit ad temporalia, niſi indirecte, quatenus ſcilicet Clericus ab officio ſuſpenſus, non meretur percipere fructus Beneficii, cui non inſervit, cum Beneficium ſit propter officium. Atque ob eandem rationem ſuſpenſus ab officio non poteſt valide eligi ad novum Beneficium, cap. *Cum dilectus*, tit. *De conſuetudine*, & cap. *Quia diverſitatem*; tit. *De conceſſione Præbendæ*. Quod verum eſt, etiamſi ſuſpenſus ſit occultus, nec nominatim denuntiatus, quia Conſtitutio *ad evitanda ſcandala*, nullatenus favet excommunicatis, vel ſuſpenſis, ut ſæpe diximus,

Q. 3. *De qua ſuſpenſione intelligi debet jus vel ſententia abſolute & indeterminate decernens ſuſpenſionem?*

R. De totali; ex cap. de ſententia & re judicata in ſexto. Idem cenſendum de ſuſpenſione ab officio ſimpliciter & abſolute; ad officium enim pertinent ea, quæ ſunt Ordinis & juriſdictionis. Objici poſſet regula juris, quod in pœnis benignius ſit interpretandum. Sed huic objectioni jam reſpondimus §. 4.

Dixi, *Ab officio ſimpliciter & abſolute*; quia ſuſpenſio aliquando fertur ab aliquo determinate officio; v. gr. Epiſcopus ſuſpenditur ab officio Pontificali;

ſcali; parochus ab officio parochiali, ſimplex Sacerdos ab officio Sacerdotali. Porro ſic ſuſpenſus poteſt exercere alia officia, quæ non includuntur in officio ipſi prohibito: Epiſcopus in exemplo allato celebrare poteſt more ſimplicium Sacerdotum: ſimiliter & parochus, modo abſtineat a Miſſa parochiali: Sed Epiſcopus ſuſpenſus ab officio Sacerdotali non poteſt exercere Pontificalia, v. g. ordinare, Eccleſiam conſecrare, quia in iis functionibus includitur officium Sacerdotale. Sic Sacerdos ſuſpenſus ab Ordine inferiore, ſuſpenditur ab ordine ſuperiore, quia in functionibus Ordinum ſuperiorum continentur functiones inferiorum, v. g. in celebratione Miſſæ includitur officium Diaconi & Subdiaconi.

Ex his ſequitur, interdictum eſſe pœnam ſuſpenſione graviorem: interdictum enim privat adminiſtratione & perceptione Sacramentorum, celebratione & auditione divinorum Officiorum, & Eccleſiaſtica ſepultura: at ſuſpenſus poteſt recipere Sacramenta, intereſſe divinis Officiis, & cum aliis ea perſolvere, modo iis non præſit, & poſt mortem ſepeliri in loco ſacro.

Dices: Suſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ non poteſt intereſſe divinis Officiis, nec ſepeliri in loco ſacro: Ergo ſuſpenſio eſt pœna interdicto gravior.

Nego conſ. Cenſura enim, qua prohibetur ingreſſus Eccleſiæ, non eſt ſuſpenſio, niſi improprie; ſed eſt verum interdictum.

Q. 4. *Quam pœnam incurrit qui violat ſuſpenſionem?*

R. Suſpenſus ſuſpenſione proprie dicta, ſi exequatur ea, quæ ſunt Ordinis ſacri, ſit irregularis, ut probabitur ubi de irregularitate: ſecus, ſi exerceat tantum ea, quæ ſunt juriſdictionis, ſed peccat mortaliter, niſi levitas materiæ, aut inadvertentia eum excuſet.

Dixi 1. *ſuſpenſione proprie dicta*; ſuſpenſus enim propter defectum, puta vitium corporis, & debilitatem alicujus membri, licet peccet exercendo actum Ordinis prohibitum, non ſit tamen irregularis, quia ejuſ-

ejuſmodi ſuſpenſio non eſt cenſura, utpote quæ non ſit propter delictum; cenſura quippe proprie dicta ferri non poteſt, niſi propter peccatum grave, cui adjuncta ſit contumacia, ut dictum eſt §. 1.

Dixi 2. *Ordinis ſacri*, qua cum actus minorum Ordinum hodie promiſcue exerceantur a Laicis & Clericis ſola tonſura inſignitis, Subdiaconus ſuſpenſus v. g. non incurreret irregularitatem, ſi functiones minorum Ordinum obiret, quia ſecundum hodiernam diſciplinam non creditur ſuſpenſionem cadere niſi in eos, qui ad majores Ordines ſunt promoti. Unde in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, ubi præmittitur abſolutio a cenſuris, omittitur, *a vinculo ſuſpenſionis*, niſi pœnitens ſit Sacerdos vel ſaltem Subdiaconus. Si tamen alicubi functiones minorum Ordinum ad votum Conc. Trid. eſſent reſtitutæ, & Acolythus v. g. alicui Eccleſiæ adſcriptus inſerviret in Acolythatus officio, ſuſpendi poſſet ab ordinibus, in quibus ſi nihilominus miniſtraret, fieret irregularis.

Q. 5. *Suntne validi actus Clerici ſuſpenſi?*

R. 1. Actus Ordinis, qui a juriſdictione non pendent, ſunt validi, quamvis illiciti, ut patet ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere, de Miniſtro hæretico. 2. Si ſuſpenſus ſit toleratus, actus juriſdictionis ſunt validi, ex Conſtitutione *Ad evitanda ſcandala*; ſed ſi ſit nominatim denuntiatus & minime toleratus, ejuſmodi actus ſunt prorſus irriti, defectu poteſtatis, qua caret ſuſpenſus non toleratus.

§. XI.

Quis poſſit ferre cenſuras?

Certum eſt quemlibet poſſe delegari ad ferendas cenſuras, modo ſit Clericus: *Indecorum enim eſt Laicum Vicarium eſſe Epiſcopi, & Sæculares in Eccleſia Judices*, cap. *In nona*, cauſſa 16. quæſt. 7. Et Covarruvias in cap. *Alma*, de ſententia excommunicationis in 6. *Par eſt*, inquit, *quod non poteſt excom-*

mu-

municatio fieri niſi ab eo, qui Clericus ſit. Quæritur ergo hic duntaxat, quis ordinaria auctoritate poſſit ferre cenſuras, & ad eas ferendas alios delegare?

R. Una eſt Theologorum ac Canoniſtarum vox, eos ſolos poſſe ferre cenſuras, qui ex ſtatu ſuo & proprio officio habent juriſdictionem in foro exteriori, quia ligare cenſuris, & ab iis abſolvere, eſt actus juriſdictionis pertinens ad forum exterius.

Q. 1. *Quid intelligitur per forum exterius?*

R. Nomine fori generatim intelligitur locus, ad quem negotiorum cauſſa convenire neceſſe eſt. Hinc forum venale vocamus locum, quo homines ſe conferunt ad vendendum aut emendum: forum judiciale ubi jus dicitur: quanquam forum judiciale vulgo appellatur ipſa poteſtas judicandi, quocumque in loco exerceatur, & eo ſenſu forum hic ſumitur.

Forum judiciale duplex eſt, ſcilicet interius, ſeu conſcientiæ, & exterius: interius, *In quo*, inquit S. Thom. in Suppl. quæſt. 22. art. 1. *Cauſſa agitur inter hominem & Deum*, ut in Sacramento pœnitentiæ: exterius: *In quo cauſſa agitur hominis ad hominem*, ex eodem S. Doctore, ibidem; diciturque forum contentioſum: *quia in eo*, ait idem S. Doctor ad ſecundum, *oportet quod non ſolum Deo, ſed etiam homini ſatisfiat*, ideoque ubi fit diſceptatio inter actorem & reum, proferuntur inſtrumenta, adducuntur teſtes, & omnibus perpenſis Judex alterum abſolvit, alterum ligat.

Forum exterius rurſus duplex eſt, nempe civile, & Eccleſiaſticum: in civili agitur de rebus temporalibus apud Judicem ſæcularem: in Eccleſiaſtico de ſpiritualibus præcipue apud Judicem Eccleſiaſticum. Ex quibus patet poteſtatem ferendi cenſuras reſpicere exterius Eccleſiæ forum, cum per eam ſubditi ad ſe invicem ordinentur: vel enim totaliter a communione aliorum ſeparantur, ut excommunicati, vel ex parte, v. gr. in uſu activo & paſſivo Sacramentorum, ut interdicti; activo vero tantum, ſuſpenſi: *Quia homo*, inquit S. Thomas citato articulo, *per ex-*

com-

communicationem a communione Fidelium ſeparatur; ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, & ideo illi ſoli poſſunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali.

Q. 2. *Quibus competit ordinariæ juriſdictionis poteſtas in foro exteriori, ac conſequenter ferendi cenſuras?*

Reſpondeo Jure divino competit Conc. Œcumenicis & Summo Pontifici in toto orbe Chriſtiano; Epiſcopis in ſua Diœceſi, hi enim poſiti ſunt a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, ac proinde in ea leges condere, & inobedientiam contumacium comprimere pœnis congruis. Jure autem Eccleſiaſtico ejuſmodi poteſtas viget in Metropolitanis reſpectu ſuæ Provinciæ, ſaltem in curſu viſitationis, & Superioribus Religioſorum Ordinum. Utrum autem quivis Superior regularis hac auctoritate gaudeat, an vero ſolus Generalis, aut Provincialis, conſulendæ ſunt eorum Conſtitutiones.

Q. 3. *Diaconi & Presbyteri, præſertim Curati, qui in jure dicuntur minores Prælati, habentne poteſtatem ferendi cenſuras?*

Reſpondeo 1. Non habent jure divino. De Diaconis patet, quia jure divino ordinati ſunt ad miniſterium, non ad imperium. De Presbyteris Curatis probatur, quia ſicut in Republica civili ſolus Princeps gladium portat, nec ejus uſum permittit, niſi primariis Miniſtris, ad quos cauſſæ majores, ut ſanguinis, a Judicibus inferioribus referri debent; ſic in Eccleſia poteſtas ferendi ſententiam excommunicationis, quæ eſt gladius ſpiritalis, cap. *Dilectio*; tit. *de ſententia excommunicationis*; & cap. *Venerabilem*, tit. *qui filii ſunt legitimi*, ex inſtitutione divina non competit, niſi Eccleſiæ Prælatis majoribus, ſcilicet Epiſcopis, qui præſunt toti Diœceſi tanquam Communitati perfectæ, in qua poſſunt ſancire leges, condere ſtatuta, ut diximus Tractatu de Legibus, ac proinde inobedientes coercere ſpiritualibus pœnis; cum Curati vocati ſint ſolam in partem ſolicitudinis, præſintque tanquam Decuriones parti communitatis, nimirum Parochiæ, & quidem juxta for-

formam & leges ab Epiſcopo præceptas. Quod de poteſtate excommunicandi diximus, idem dicendum de poteſtate interdicendi, & ſuſpendendi: supremæ enim eſt poteſtatis Magiſtratus & Miniſtros exauctorare, & ab officio amovere.

Dices: Parochorum juriſdictio eſt inſtitutionis divinæ: atqui eorum juriſdictio non ſolum ſpectat forum interius, ſeu conſcientiæ, ſed regimen exterius Parochiæ: Ergo Parochi habent forum exterius, ac proinde poteſtatem ferendi cenſuras.

Confirmatur. Identidem ſuſpendunt ab officio, aliquando etiam totaliter removent Clericos & Sacerdotes, qui miniſtrant in Eccleſia ſibi commiſſa. Deinde ſingulis diebus Dominicis in Miſſa Parochiali excommunicant Eccleſiaſticorum bonorum raptores ac detentores, injuſtos Clericorum percuſſores, &c.

Diſtinguo minorem: juriſdictio Parochorum ſpectat exterius Parochiæ regimen ſecundum formam ab Epiſcopo præſcriptam, & mandata ab ipſo accepta, Concedo: ſpectat independenter ab ordinatione Epiſcopi, Nego minorem. Itaque Parochi ſunt divinitus inſtituti ad regendam plebem ſibi commiſſam, ſed ſub auctoritate Epiſcopi, & ſecundum leges ab ipſo acceptas, adverſus quas ſi e Parochianis nonnulli contumaciter inſurgant ſpretis Parochi adhortationibus ac monitionibus, conveniri non poſſunt, ut debitam ſubeant pœnam, niſi apud Epiſcopum, ac proinde Parochi non habeat forum exterius, quod dicitur contentioſum.

Ad confirmationem reſpondeo 1. illam Parochi prohibitionem non eſſe cenſuram, ſed revocationem facultatis, quam conceſſerit, miniſtrandi in ſua Eccleſia. Sic Epiſcopus aliquando ob nonnullas criminationes, quas apud ſe patitur Presbyter ab ipſo approbatus ad confeſſiones expediendas, gratiam revocat abſque proceſſu judiciali, quæ revocatio vulgo dicitur interdictum, ſed improprie; nam Presbyter ille, ſicut & Clerici a Parocho expulſi, poſſunt miniſtrare, ille extra Diœceſim, iſti extra Parochiam abſque prævia abſolutione, qua tamen indigerent, ſi aliqua cenſura eſſent

eſſent ligati. 2. Parochi in Miſſis Parochialibus non excommunicant, ſed excommunicatos a jure declarant, qui recenſentur in libro rituali.

R. 2. Diaconi & Parochi jure Eccleſiaſtico & ex conceſſione Epiſcoporum olim, habuerunt poteſtatem ferendi cenſuras.

De Diaconis probatur ex libro 8. Conſtitutionum c. 28. ubi dicitur Diaconus jus habere excommunicandi Clericos ſibi ſubditos. Ejuſmodi poteſtas in ſolis Archidiaconis ſervata eſt, ſed longe amplior, cap. *Veniens*, tit. *de eo, qui furtive ad Ord.* cap. *Romana*, & cap. *Venerabilibus*, tit. *de ſententia excommunicationis*, in ſexto. Eam ex conceſſione Epiſcopi ipſis competere ſcribit Alexander III. cap. *Archidiacono*, tit. *de officio Archidiaconi*: *Archidiacono*, inquit, *non videtur de Eccleſiaſtica inſtitutione licere (niſi auctoritas Epiſcoporum acceſſerit) in aliquos ſententiam promulgare*, nempe excommunicationis, ut interpretatur Gloſſa, & alii Canoniſtæ. Ejuſmodi autem poteſtatem Archidiaconi etiamnum in pluribus Diœceſibus retinent, in aliis vero hocce privilegio ſpoliati ſunt.

De Parochis etiam probatur ex cap. *Nemo Epiſcopus*, cauſſa 2. q. 1. *Nemo Epiſcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem antequam cauſſa probetur*. Et cap. *Cum ab Eccleſiarum*, tit. *de officio Judicis ordinarii*, in quo ſic ſcribit Alexander III. ad Epiſcopum Florentinum: „ Si quando Plebanus ſancti Pancratii in „ Clericos vel Laicos Parochianos ſuos interdicti vel „ excommunicationis ſententiam rationabiliter tule„ rit, ipſam facias inviolabiliter obſervari; & eam „ ſine congrua ſatisfactione, & abſque ejuſdem Ple„ bani conſcientia non relaxes.„ Ejuſmodi auctoritate Parochi ex parte gaudebant ætate Sancti Thomæ; ſic enim habet in Supplem. quæſt. 22. art. 1. „ Illi ſoli poſſunt excommunicare, qui habent ju„ riſdictionem in foro judiciali; & propter hoc ſo„ li Epiſcopi propria auctoritate, & majores Præla„ ti, ſecundum communiorem opinionem, poſſunt „ excommunicare; ſed presbyteri Parochiales non„ niſi

„ niſi ex commiſſione eis facta, vel in certis caſibus;
„ ſicut in furto & rapina, & hujuſmodi, in quibus
„ eſt eis a jure conceſſum: quod excommunicare poſ-
„ ſint. Alii autem dixerunt, quod etiam Sacerdotes
„ Parochiales poſſunt excommunicare; ſed prædicta
„ opinio eſt rationabilior.

Verum extra controverſiam eſt, Parochos nunc carere poteſtate ferendi cenſuras, illudque ex eo accidiſſe videtur, quod Epiſcopi, qui ad tempora uſque ſancti Thomæ cauſſas fori contentioſi per ſeipſos tractare ſolebant, ad illudque onus ferendum Archidiaconis & Parochis utebantur, ad Officiales ſuos deinceps id muneris tranſmiſerint, & ita ſenſim in uno Officiali collegerint quidquid ad forum contentioſum pertinet.

Q. 4. *Quæ forma ſervanda eſt in ferendis cenſuris?*

R. Sententia debet ferri ſcriptis, in quibus cauſſa cenſuræ exprimatur; alioquin Judex Suſpenſus manet ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, intra quem ſi aliquod officium Ordinis annexum exerceat, fit irregularis, ex capite 1. de ſententia excommunicationis in ſexto, quod eſt Concilii Lugdunenſis primi. Circa quod caput tria ſunt obſervanda.

Primum, juxta Gloſſam, excuſatur a culpa & pœna, qui propter juſtam & urgentem cauſſam ſolo verbo excommunicaret aut ſuſpenderet, colligiturque ex iis canonis verbis, *Si quis temerarius violator.*

Secundum, cenſura ſine ſcriptis lata valida eſt; quamvis illicita; quia expreſſe habetur in canone abſolvendum a Superiore Judicis, qui ſine ſcripto fuit excommunicatus: atqui niſi ligatus eſſet, abſolvendus non foret.

Tertium, pœna illa non extenditur ad Epiſcopum ſine ſcripto excommunicantem aut ſuſpendentem, nam ex cap. *Quia periculoſum*, de ſententia excommunicationis in ſexto, in generali ſententia ſuſpenſionis aut interdicti non comprehenduntur Epiſcopi, niſi illorum expreſſa fiat mentio: atqui in laudato canone non fit expreſſa mentio Epiſcopi: Ergo in illo non comprehenditur.

Di-

Dixi, *in generali ſententia ſuſpenſionis aut interdi-cti*: nam in generali ſententia excommunicationis comprehenduntur Epiſcopi, niſi expreſſe excipiantur. Ita Sylveſter, verbo, *Epiſcopus*; Navarrus in Man. cap. 27. num. 261. Avila parte 2. cap. 5. diſp. 3. dubio 1. Et ratio eſt, quia exceptio firmat regulam, quatenus ſcilicet ubi aliqui excipiuntur a lege communi, quicunque in illa exceptione non numerantur, ii cenſendi ſunt lege comprehendi: atqui Epiſcopi a lege generali excipiuntur dumtaxat, ubi ſermo eſt de ſuſpenſione aut interdicto: Ergo non excipiuntur, quando agitur de generali excommunicatione. Hinc excommunicatione canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, comprehenditur Epiſcopus, ſi Clericum injuſte percutiat. Cetera, quæ ſervari debent in ferendis cenſuris, nempe quod debeat adeſſe peccatum grave externum, cui contumacia ſit adjuncta, colligi facile poſſunt ex allata cenſuræ definitione, paragrapho II.

Q. 5. *Poteſtne quis ferre cenſuras in ſeipſum, æqualem, & ſuperiorem?*

R. Non poteſt, niſi indirecte, quia nullus habet juriſdictionem coactivam in foro exteriori, niſi erga ſubditos.

Dixi, *niſi indirecte*, quia interdictum locale indirecte afficit ejus auctorem; enimvero ſicut qui ſubditum excommunicavit, tam ipſe, quam ejus ſuperior, aut æqualis, tenetur vitare ejuſmodi excommunicatum; ita qui locum interdixit, nec ipſe interdicens, nec ejus ſuperior divina Officia in ejuſmodi loco interdicto celebrare poſſunt, niſi prius interdictum ſuſtulerint, quia effectus interdicti & aliarum cenſurarum non ſunt ab homine, ſed a jure communi, cui omnes ſubjiciuntur: atqui jure communi nemo celebrare poteſt in loco interdicto, nec communicare cum excommunicato nominatim denuntiato: ergo ſuperior indirecte ſe ligat per cenſuram interdicti aut excommunicationis a ſe latam.

Plures difficultates hic moveri poſſent. 1. an & quando Superior ſubditum in alieno territorio exiſtentem cen-

cenſuris ligare poſſit: 2. utrum ſubditus incurrat cenſuras latas in ſua Diœceſi, ſi in aliena Epiſcopi mandatum vel ſtatutum, cui annexa ſit cenſura, tranſgrediatur? 3. An peregrinus ſubjiciatur legi Diœceſeos, quidpiam ſub cenſura prohibenti? Sed iſthæc omnia reſolvi debent ex dictis Tractatu de Legibus, cap. 4. ad quod Lectorem remittimus; certum quippe eſt, quod ſi ſtatutum liget in hujuſmodi caſibus, pœna quoque illi annexa conſtringat; ſecus, ſi ſtatutum non obliget.

§. XII.

De abſolutione a cenſuris.

Q. 1. QUis poteſt abſolvere a cenſuris?

R. In foro conſcientiæ ſolus Sacerdos; quia in illo foro nemo præter Sacerdotem poteſt eſſe Judex: in foro exteriori, ſeu contentioſo, *is*, qui cenſuram tulit, vel ejus ſucceſſor, vel delegatus ab ipſo, vel Superior, puta Metropolitanus, in cauſſa appellationis dumtaxat, & curſu viſitationis. Probatur ex c. *Nuper*, de ſententia excommunicationis; & c. *Verbum*, de pœnitentia, diſt. 1. *Dominus par jus & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit.* Illudque verum eſt, etiamſi auctor cenſuræ ſit ſola Clericali tonſura inſignitus, quia abſolvere a Cenſuris non eſt actus Ordinis, ſed juriſdictionis, cujus capax eſt ſimplex Clericus.

Sed obſervandum eſt, abſolutionem a cenſuris datam in foro conſcientiæ, non habere effectum, niſi coram Deo; nec impedire quominus ſic ſolutus, conveniatur coram Judice in foro externo, declaretur excommunicatus, aut ſuſpenſus, ac omnem pœnam ſubeat, quam meretur excommunicatus aut ſuſpenſus.

Q. 2. *Quis Sacerdos poteſt a cenſuris abſolvere in foro conſcientiæ?*

R. 1. In articulo mortis quivis Sacerdos, etiam excommunicatus, ac nominatim denuntiatus a quali-

bet cenſura abſolvere poteſt, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis: *In eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoilibet pænitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt*.

Quæſtionem hic movent Theologi, utrum ſimilem cenſuram incurrat infirmus, qui convaluit, niſi recurrat ad Superiorem, qui cenſuram ſibi reſervavit? Plures affirmant, nituntur que variis canonibus, ac præſertim cap. *Eos qui*, de ſententia excommunicationis in ſexto, in quo ſic habetur: „ Eos, qui a „ ſententia canonis, vel hominis (cum ad illum, a „ quo alias de jure fuerant abſolvendi, nequeunt pro„ pter imminentem mortis articulum, aut aliud im„ pedimentum legitimum habere recurſum) ab alio „ abſolvuntur, ſi, ceſſante poſtea periculo vel im„ pedimento hujuſmodi, ſe illi a quo his ceſſan„ tibus abſolvi debebant, quamcito commode pote„ runt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius „ ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, „ humiliter recepturi & ſatisfacturi, prout juſtitia „ ſuadebit, decernimus (ne ſic cenſuræ illudant „ Eccleſiaſticæ) in eandem ſententiam recidere eo „ ipſo. „ Idem prius decreverat Clemens III. cap. *Ea noſcitur*, extrav. de ſententia excommunicationis. Contra vero alii Theologi negant infirmum, qui periculum mortis evaſit, incidere in ſimilem excommunicationem hoc ipſo, quo contemnit ad Superiorem recurrere: quia ex Concilio Tridentino ſupra laudato nulla eſt reſervatio in articulo mortis; obſervantque cap. *Ea noſcitur*, & aliis quæ laudant patroni oppoſitæ ſententiæ, nihil decerni, niſi quod Confeſſarius præcipere debeat pœnitenti, ut ſublato impedimento, Superiorem adeat, ſub pœna ſimilis cenſuræ incurrendæ, ſi neglexerit; ac proinde pœnitentem excommunicationem non incurrere, ſi Confeſſarius tale præceptum ipſi non impoſuerit. Caput quidem *Eos, qui*, per ſe, & independenter a præcepto Confeſſarii pronuntiat reincidentiam, ut ajunt, ſed præterquam

quod

quod lex illa non eſt in Galliis ubique recepta, ut diximus cap. 7. de Sacram. pœnitent. hic conſulendo: videtur revocata a Conc. Trid. ſaltem quoad articulum mortis, in quo nullam eſſe dicit reſervationem. Dico; *ſaltem quoad articulum mortis*: quia in aliis impedimentis, puta in periculo infamiæ incurrendæ, manet reſervatio, nec niſi indirecte abſolvitur pœnitens a caſibus reſervatis, ac proinde tenetur ſublato impedimento adire Superiorem, ut diximus Tractatu de pœnitentia, ubi de caſibus reſervatis cap. 7.

R. 2. Extra mortis articulum vel cenſura eſt reſervata, vel non. Si non eſt reſervata, quilibet Sacerdos ad excipiendas Confeſſiones approbatus poteſt ab ea abſolvere, ex c. *Nuper* extrav. de ſententia excommunicationis, in quo ſic habet Summus Pontifex: *quia conditor canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*: favetque univerſalis Eccleſiæ praxis; nam ſinguli Confeſſarii audita confeſſione Clericorum majoribus Ordinibus inauguratorum, præmittere ſolent abſolutioni a peccatis, abſolutionem ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.

Nec dicas abſolutionem a cenſuris pertinere ad forum exterius, nec proinde impendi poſſe ab omnibus Confeſſariis, cum omnes non habeant forum exterius; namque eam impendunt non ex proprio officio, ſed ex conceſſione Eccleſiæ.

Quod ſi cenſura ſit reſervata, jure antiquo is ſolus poteſt ab ea abſolvere, qui eam ſibi retinuit, vel ejus ſucceſſor, vel delegatus, vel Superior, ex cap. *Nuper*, & cap. *Sacro*, de ſententia excommunicationis: c. *Ad recipiendum*, de officio Judicis ordinarii.

Dixi, *jure antiquo*, nam jure novo Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. permittit Epiſcopis abſolvere a caſibus & cenſuris Summo Pontifici reſervatis, modo caſus illi ſint occulti, nec ad forum contentioſum deducti, „ Liceat, *inquit*, Epiſcopis in „ irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex deli- „ cto occulto (*non vero ex defectu*) provenientibus, „ excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, &

„ ex-

„ exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſ-
„ penſare; & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam
„ ſedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque
„ ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vica-
„ rium ad id ſpecialiter deputandum, in foro con-
„ ſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalu-
„ tari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro
„ conſcientiæ eis tantum, non eorum Vicariis ſit per-
„ miſſum. „ In Galliis tamen Epiſcopi facultatem ab-
ſolvendi ab hæreſi tribuunt ſuis Vicariis generalibus,
& aliis, ut diximus capite 7. de Pœnitentia, ubi
expendimus quæ peccata hic cenſeantur occulta, præ-
ſertim in Galliis.

Q. 3. *Unde colligitur cenſuram eſſe reſervatam?*

R. Cenſura vel eſt a jure, vel ab homine. Iſta rurſus vel eſt generaliter lata, vel ſpecialiter adverſus ſingularem & determinatam perſonam, v. g. Petrum. Si eſt a jure, vel ab homine per ſententiam generalem, reſervata non eſt, niſi reſervatio exprimatur in canone ſtatuto, & ſententia generaliter lata, duobus exceptis caſibus. Quare verba legis aut ſententiæ diligenter ſunt attendenda; ſi enim auctor ſtatuti aut ſententiæ declaret ſe ſibi retinere cenſuram, inferior non poteſt ab ea abſolvere. Si vero cenſura ſit ab homine per ſententiam ſpecialem adverſus determinatam perſonam, cenſetur reſervata, etiamſi in ſententia non fiat expreſſa mentio reſervationis.

Dixi, *duobus exceptis caſibus.*

Primus; quando per Monitorium excommunicatio lata eſt; quamvis enim generaliter feriat eos, qui pro injuria illata non ſatisfacerent, vel auctores damni non manifeſtarent; tamen ſinguli ſpeciatim ac determinate ob contumaciam actu excommunicantur, & quidem in foro contentioſo, ad inſtantiam conquerentis, qui ad illum ſuam querelam detulit, ſicque ejuſmodi ſententia ſub uno reſpectu generalis dici poteſt, ſub quo ſcilicet omnes in Monitorio denotatos comprehendit: & ſub alio reſpectu particulari, quatenus ſingulos in particulari afficit. Patet exemplo ſententiæ, qua Judex ſæcularis morte damnat qui in

in aliquo crimine, puta furto, participarunt; hæc quippe ſententia, quamvis generaliter enuntietur, propie tamen particularis eſt, prorſuſque differt ab altera ſententia, qua aliquid ſub gravi mulcta prohiberet, puta piſcationem certa anni tempeſtate; iſta enim prohibitio rationem habet legis univerſalis, quam qui violaverit, in foro alterius Judicis conveniri poteſt. Cum ergo ſimile diſcrimen reperiatur inter ſententiam excommunicationis in Monitorio latam, & ſententiam, qua generaliter & per modum ſtatuti Prælatus aliquid prohibuit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſequitur pejorem excommunicationem eſſe reſervatam, utpote latam per ſententiam particularem; poſteriorem vero non eſſe reſervatam, niſi Prælatus eam expreſſis verbis ſibi retinuerit. Ita Eveillonus Tractatu de excommunicatione cap. 32. art. 2.

Secundus caſus ſpectat ſuſpenſionem, cujus abſolutionem Theologi communiter docent eſſe reſervatam, ſive ſit a jure, ſive ab homine per quamlibet *ſententiam* etiam generalem; quia cum abſolutio a cenſuris pertineat ad forum exterius, Confeſſarius eam impertiri nequit, niſi id ipſi ſit a jure conceſſum: atqui *jure* ei non conceditur abſolvere ab excommunicatione, ut patet ex canonibus ſupra laudatis: Ergo neque a ſuſpenſione, neque ab interdicto abſolvere poteſt jure communi. Vide Navarrum Manualis cap. 27. n. 162. Avilam 3. parte diſp. 6. dub. 1. concluſ. 2. Collationem ſextam Diœceſis Agathenſis.

Ergo, inquies, illuſoria eſt iſthæc formula *in omnibus* libris ritualibus præſcripta Confeſſariis, qui excipiunt confeſſiones Clericorum ſacris Ordinibus inſignitorum, *Abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.*

Nego ſequelam; hæc enim abſolutio datur ad cautelam ab omni vinculo tam excommunicationis reſervatæ, quam ſuſpenſionis & interdicti, ſi forte pœnitens aliquam incurrerit, cujus conſcientiam non gerat: atqui hujuſmodi abſolutio ex conceſſione Eccleſiæ non fruſtra datur in hypotheſi quod pœnitens invincibiliter ignoret ſe ligatum eſſe aliqua ex iis cenſuris.

Ad-

Advertes tamen ſuſpenſionem & interdictum quando feruntur ad certum tempus, vel ſub aliqua conditione, v. g. quando Sacerdos ſuſpenditur ab officio, donec per menſem ſpiritualibus exercitiis in Seminario vacaverit, vel interdicitur Eccleſia, quoadusque tectum, v. g. fuerit reſarcitum, ceſſare abſque abſolutione, adveniente termino, aut impleta conditione.

Q. 4. *Epiſcopus exiſtens extra Diœceſim poteſtne ſubditum abſolvere a cenſuris ſibi reſervatis?*

R. Poteſt in foro conſcientiæ, non in foro contentioſo cum ſtrepitu judiciali, quia quæ ſunt juriſdictionis voluntariæ, non requirunt territorium, & ubique exerceri poſſunt: ſecus de iis, quæ ſunt juriſdictionis contentioſæ: atqui abſolvere in foro conſcientiæ, eſt actus juriſdictionis voluntariæ: abſolvere vero in foro externo & cum ſtrepitu judiciali, eſt actus juriſdictionis contentioſæ: Ergo Epiſcopus illum extra Diœceſim exercere nequit, niſi ab Ordinario loci, in quo verſatur territorium, obtinuerit.

Q. 5. *Qui in ſua Diœceſi cenſuram incurrit, poteſtne ab ea abſolvi in alia Diœceſi, in qua diverſatur?*

R. Poteſt in foro conſcientiæ tantum, ſi cenſura ſit a jure, vel ab homine per ſententiam generalem, quemadmodum poteſt ibidem abſolvi a caſibus in ſua Diœceſi reſervatis, modo Confeſſarius habeat a ſuo Ordinario facultatem abſolvendi ab hujuſmodi caſibus & cenſuris, ſi ſint reſervatæ, ut diximus Tract. de Sacram. Pœnit. Secus, ſi cenſura ſit ab homine per ſententiam particularem; tunc enim remittendus eſt ad proprium Epiſcopum, vel ab eo petenda eſt abſolvendi licentia: quia in ejuſmodi caſu valet effatum. *Ejuſdem eſt ſolvere, cujus eſt ligare:* alioquin perturbaretur Eccleſiaſtica diſciplina.

PARS TERTIA.

De Diſpoſitionibus ad Ordines.

MONUIMUS in argumento hujuſce Tractatus requiri ad Ordines rite ſuſcipiendos, 1. Dei vocationem: 2. electionem canonicam, ſic dictam, quia debet fieri ſecundum Eccleſiæ canones, poteſtque dici vocatio exterior & miniſterialis, quatenus ſcilicet Miniſtri Eccleſiæ actu & de facto eligunt & Clero aſcribunt quos Deus ad ſublimem illum ſtatum ab æterno deſtinavit, & in tempore per gratiam ſuam præparavit: 3. vitæ ſanctitatem, in qua comprehenditur cœlibatus, ſeu donum perpetuæ continentiæ, 4. ſcientiam ſaltem ſufficientem: 5. ingenium Clericale, quod a S. Ambroſio dicitur cor Sacerdotale, Gallice, *l'Eſprit Eccleſiaſtique*, 6. immunitatem ab omni impedimento Eccleſiaſtico, quod vulgo appellatur irregularitas: de quibus in hac tertia parte ſigillatim eſt differendum.

CAPUT PRIMUM.

De Vocatione ad Ordines.

Circa vocationem quatuor ſunt inquirenda; 1. quid ſit: 2. an exiſtat: 3. an ſit neceſſaria: 4. quibus ſignis deprehendi poſſit.

§. I.

De notione & exiſtentia vocationis.

Q. 1. *Quotuplici modo ſpectari debet vocatio?*

R. Duplici, 1. in intentione & decretis divinis: 2. in executione & effectibus. Vocatio quippe ſe habet ad Providentiam generice ſumptam, ſicut ſpe-

ſpecies ad genus, ſub quo continetur: atqui Providentia in genere dupliciter ſpectari debet, ut prima parte diximus: 1. in mente divina, quatenus Deus ab æterno rebus ſingulis in tempore producendis ſingulos fines præſtituit, rationeſque ordinavit ac media, quibus unaquæque fini ſuo congrueret, & ad illum ſuaviter dirigeretur: quemadmodum artifex, v. g. Architectus domum, quam ædificare intendit, prius in arte ſua delineat, ſingulas ejus partes concipit ac ordinat: tum accingitur ad opus, illudque exequitur juxta exemplar a ſe præconceptum. „ Dicendum, *inquit* „ *ſanctus Thomas 1. p. qu. 22. art. 1. ad* 2. quod „ ad curam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis, „ quæ dicitur providentia; & diſpoſitio & executio „ ordinis, quæ dicitur gubernatio, quorum primum „ eſt æternum, ſecundum temporale.„ Deus enim omnia in tempore operatur ſecundum æternum conſilium voluntatis ſuæ; quos in tempore vocavit, juſtificavit, & in fine glorificavit, hos ab æterno præſcivit, ac prædeſtinavit. Hinc Theologi prædeſtinationem, quæ eſt altera Providentiæ ſpecies, dividunt in eam, quæ eſt in intentione, & eam quæ eſt in executione.

Iſta duplex vocationis acceptio magnifice elucet in vocatione Davidis ad regnum. Deus ab æterno Davidem elegerat, ut eſſet dux ſuper populum ſuum; & virtute hujuſce decreti præparaverat dotes neceſſarias in tempore conferendas, ſcilicet robur corporis, ſenſum rectum, & cordis latitudinem, ut loquitur Scriptura; quibus idoneus eſſet regendo populo, qui præ multitudine numerari non poterat. Hæc omnia exiſtebant in decretis divinis independenter a cujuſquam creaturæ miniſterio; ſed ut executioni mandarentur, uſus eſt Prophetæ miniſterio; Samuel miſſus eſt ad domum Iſai, ibi quæſivit quem ex ejus filiis Deus elegiſſet; alterum enim ungere nefas: rejecit natu majorem, & alios ſequentes, donec devenirent ad Davidem natu minimum, quia non illos, ſed iſtum Deus elegerat. Præceſſit ergo Dei electio, & æterna deſtina-

natio; ſed ejus executio Samueli in tempore demandata eſt. Idem omnino obſervare eſt in vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ. 1. Deus ipſos elegit in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut ſint ſancti & immaculati in conſpectu ejus per gratiam ſuam ipſis ab æterno præparatam & ſuo tempore conferendam ad ſacra Officia rite obeunda. En vocatio in intentione, & ab æterno in divinis decretis exiſtens independenter a creaturæ meritis; nam „ electio, & dilectio aliter or„ dinatur in nobis, & in Deo, *inquit S. Thom. 1. p.* „ *q. 23. art.* 4. eo quod in nobis voluntas homini„ diligendo non cauſſat bonum, ſed ex bono præexi„ ſtente incitamur ad diligendum & ideo eligimus ali„ quem, quem diligamus: & ſic electio dilectionem „ præcedit in nobis. In Deo autem eſt e converſo; „ nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligen„ do, eſt cauſſa quod illud bonum ab eo præ aliis „ habetur. " 2. Deus in tempore exequitur per miniſterium Paſtorum, & actu ac de facto *ſacris Officiis* addicit quos ab æterno elegit: en vocatio in executione quæ priorem præſupponit, poteſque dici vocatio miniſterialis & exterior. De hac poſteriore vocatione multa jam diximus in Prolegomenis, ubi de miſſione Paſtorum: & quæ ſuperſunt exponenda dicemus capite ſequenti: Agimus hic duntaxat de vocatione in intentione.

Q. 2. *Quomodo definitur vocatio?*

R. Ex mox dictis deſcribi poteſt, actus Providentiæ ſupernaturalis, quo Deus aliquos præ *aliis eligit*, præparatque dotibus congruis ad ſacra miniſteria digne & laudabiliter obeunda.

Dicitur 1. *actus Providentiæ*; quia ſi Providentia divina ad omnia, etiam viliſſima, ſe extendit, nihilque in operibus Dei inordinatum relinquit, ut fides docet, & ratio demonſtrat, cum non curare quod feceris, ſumma ſit inclementia, ut obſervat S. Ambroſius lib. 1. de Officiis cap. 12. multo magis intendit ad ea, quæ pertinent ad Eccleſiam, quam Chriſtus exhibere ſibi voluit glorioſam ſponſam. „ Providentiam „ ce-

„ ceteris creaturis non negamus, *inquit S. Bernardus ſerm. 68. in Cant. num. 2.* curam ſponſa vindicat „ ſibi. Numquid de bobus cura eſt Deo? *Et num. 4.* „ chariſma illa eſt una uni... quid iſta non audeat „ apud tam ambitioſum amatorem? quod non ab illo „ ſperet, qui ſe quæſivit e cælo, vocavit a finibus „ terræ: nec modo quæſivit, ſed acquiſivit? Adde & „ de modo acquiſitionis: in ſanguine acquiſitoris. Nonne de ſtatu & conſummatione Eccleſiæ finis omnium „ pendet? Tolle hanc & fruſtra inferior iſta creatura revelationem filiorum Dei expectat. Tolle „ hanc, & neque Patriarchæ, neque Prophetæ aliqui „ conſummabuntur. Tolle hanc, & ipſa ſanctorum Angelorum pro imperfectione ſui muneris gloria claudicabit, nec Dei civitas de ſui integritate gaudebit. „ Atqui Eccleſiæ gloriæ & ſplendor maxime pendet ex Præpoſitorum ipſius delectu & converſatione. Ergo providentia iis eligendis & præparandis maxime invigilat; ac proinde eorum vocatio eſt præcipuus Providentiæ actus, & ſpecialis cura divini ingenii, ut loquitur Tertullianus.

Dicitur 2. *Providentiæ ſupernaturalis*, quia ſecundum noſtrum concipiendi modum duplex diſtinguitur providentia, alia naturalis, quæ præeſt naturali rerum ordini, creaturaſque inferiores dirigit ad finem naturalem: alia ſupernaturalis, quæ ſpectat finem quarundam creaturarum, ſcilicet rationalium; quem cum propriis viribus attingere nequeant, utpote ſupernaturalem, ad eum providentia illas divina virtute tranſmittit, ſicut ſagittam ad ſignum, inquit S. Thomas, ſalva tamen earum libertate; providentia enim creaturis liberis neceſſitate non imponit: atqui ſtatu Sacerdotalis eſt ſupernaturalis: nec quiſquam poteſt eſſe illi idoneus naturali induſtria, ſtudio, & labore. Ergo vocatio ad hujuſmodi ſtatum, pertinet ad providentiam ſupernaturalem.

Dicitur 3. *Quo Deus aliquos pro aliis eligit:* ut vocatio ad Ordines diſtinguatur a vocatione ad vitam æternam, ad quam omnes ſunt conditi, cum ad ſtatum Clericalem pauci ex hominibus ſint formati &

ordinati. *Numquid omnes Apoſtoli?* ait 1. Cor. 12. qui ex utero matris ſuæ ad ſupremum illius honoris gradum ſegregatus fuerat: *numquid omnis Propheta? numquid omnes Doctores?*

Errant igitur, & quidem turpiter ac longe pernicioſiſſime, qui pro diverſo rei familiaris ſtatu Clericatum aſſumunt ac dimittunt: v. g. frater natu major moritur, minor militiam Clericalem, cui aſcriptus fuerat, deſerit ſive ſponte, ſive parentum conſilio & auctoritate, quaſi non eſſet Dei electio & præparatio: qui error turpiſſimus eſt, utpote qui oriatur vel ex craſſa ignorantia, vel ex defectu fidei, qua conſtat apud omnes Catholicos cuncta ſubeſſe Providentiæ divinæ, Deum rebus ſingulis proprios fines præfixiſſe, nec omnes, ſed aliquos præ ceteris ad ſacra miniſteria elegiſſe; grandeque nefas eſſe ordinem a Deo prædefinitum prætergredi. Præterea ejuſmodi error adjunctum habet grave ſacrilegium, ſcilicet furtum rei ſacratiſſimæ. Quid enim turpius, quam rapere *alienum* invito domino? ſed quid magis ſacrilegum, quam uſurpare auguſtiſſima Religionis miniſteria Deo prohibente? Execrantur homines furtum vaſorum ſacrorum, nec horrent furari Ordinis Sacramentum, quod eſt multo ſacratius? Furantur autem tantum Sacramentum, qui illud Deo non dante invadunt. Pernicioſiſſimus quoque eſt ejuſmodi error; ſicut enim in ſpeculativis qui errat circa prima principia, peſſime diſcurrit, & falſo concludit; ita Clericus, qui vocatione caret, conſequenter privatus auxiliis, ſine quibus ſancte & laudabiliter officio Sacerdotali defungi non poteſt; ſicque in extremam perniciem ruit, & alios ſecum trahit.

Dicitur 4. *præparatque dotibus congruis ad ſacra miniſteria digne ac laudabiliter obeunda;* quia Deus ex ſancto Thoma 1. parte q. 22. artic. 3. *quaſcunque cauſſas aliquibus effectibus præfecit, dedit illis virtutem ad illos effectus producendos*, v. gr. quia ignem condidit ad calefaciendum & comburendum, Solem ad univerſum orbem illuminandum, iis indidit, igni quidem calorem intenſiſſimum, Soli virtutem undique dif-

fun-

fundendi lumen. Quos ergo ab æterno elegit ad munera Sacerdotalia, iis præparavit omnes dotes, ſine quibus apti non eſſent tam auguſtis muneribus; imperitus enim ac imprudentiſſimus eſſet Architectus, qui lapides non coaptaret loco & uſui, ad quem illos deſtinaſſet.

Dices: Judas Iſcariotes vocatus eſt ad Apoſtolatum: atqui Judas caruit dotibus in Apoſtolo requiſitis: ergo vocatio non includit præparationem donorum ad functiones Sacerdotales rite obeundas.

Diſtinguo minorem: caruit ſua culpa, quamvis ei eſſent præparatæ, Concedo: caruit, nec erant ei præparatæ, Nego minorem. Quemadmodum igitur Deus hoc ipſo, quo vult omnes homines ſalvos fieri, iis omnibus præparat gratias, ſine quibus ſalutem conſequi non poſſent: ſed quia conſentire vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt, quamplures gratiam rejiciunt, & ab æterna ſalute excidunt. Sic Judas ad Apoſtolatum vocatus defuit gratiæ, qua Deus ad tantam Dignitatem eum aptare deſtinaverat.

Dicitur 5. *ad ſacra miniſteria digne & laudabiliter obeunda*, quia ſine interiori Dei vocatione poteſt quis miniſterio Paſtorum habere characterem Sacerdotalem; ſed furum more, qui res alienas injuſte invadunt, iiſque utuntur in proprium commodum quandiu latent, ſed ubi detecti fuerint, in ſuam perniciem. Interior itaque Dei vocatio requiritur, ut quis licite & laudabiliter officio Sacerdotali defungatur. Sed de neceſſitate vocationis paragrapho ſequenti.

Q. 3. *Quotuplicis generis ſunt effectus divinæ vocationis?*

R. Triplicis; alii ſunt ordinis naturalis: alii ſupernaturalis, quorum alii ipſum vocatum afficiunt: alii eos ad quorum obſequium deſtinatus eſt.

Deus igitur 1. corpus & ingenium cujuſque in utero matris effingit ad opus, ad quod illum deſtinavit: defectus enim corporis & animi ſunt impedimenta ad Ordines, & ſigna certiſſima, eum, qui aliquem ex iis defectibus patitur, ad Clerum non vocari. 2.

Supernaturalia dona præparat, ut domum perpetuæ continentiæ, & auxilia, ſine quibus vocatus non foret idoneus ſacris miniſteriis. 3. Dociles præbet ſubditos, ut audiant quem ad ipſos mittit: ſicut enim donum linguarum ita Apoſtolis fuit conceſſum, ut quodammodo ad auditores tranſiret, quatenus ſcil. iſti intelligebant Apoſtolum loquentem lingua aliena; ſic gratia vocationis, quæ eſt in Paſtore, efficit ut ſubditi dociles eis ſe præbeant, cum alieno refragari ſoleant, *oves illum ſequuntur*, (ait Chriſtus Joan. 10. de vero Paſtore) *quia ſciunt vocem ejus; alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum*; Admirationem noſtram aliquando indicavimus optimo Paſtori, quod Parochiani alioquin natura feroces illum adeo reverentur, licet præſentia ejus eſſet contemptibilis, ut nemo ex iis adverſus ipſum muſſitare, non dicam auderet; ſed nequidem cogitare, cum iidem ipſi in præcedentem Paſtorem manus violentas injeciſſent. Unde tam ſubita & ſtupenda mutatio, niſi ex gratia divina vocationis, quæ erat in Paſtore? Quare merito intorſeris in eos, qui ſine Dei vocatione officia Sacerdotalia uſurpant: quod legitur 1. Mach. cap. 5. v. 56. de Joſepho & Azaria Principibus militiæ, qui gloriam Machabæorum æmulantes, copias in hoſtem duxerunt, ſed funeſtiſſimo ſucceſſu, nam fugati ſunt ipſi, & e populo cæſi ad duo millia viri. Et quæ cauſſa tam funeſtæ cladis? Aperit Scriptura, *quia non audierunt Judam & fratres ejus exiſtimantes fortiter ſe facturos, ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael*; id eſt non erant ad id munus à Deo deſtinati, vel vocati: non erant ex familia illorum, quorum opera Deus uti voluit in liberando populo ſuo.

Dices; Prophetæ miſſi a Deo, quin ipſemet Chriſtus plures inobedientes & pervicaces ſuſtinuerunt: ergo vocatio Paſtoris gregem docilem non reddit.

Diſtinguo conſeq. non reddit dociles hædos, qui in grege Chriſti permixti ſunt cum ovibus, Concedo, non reddit dociles ipſas oves, Nego conſeq. De ovibus

bus

bus enim ait Chriſtus Joan. 10. v. 27. *oves meæ vocem meam audiunt*. De hædis vero v. 26. *ſed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis*. Et Joan. 8. v. 46. *propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*.

Q. 4. *Exiſtitne divina vocatio?*

R. Exiſtit, & ſequitur neceſſario ex allata ejus definitione; namque vocatio ad Ordinem Sacerdotalem & hierarchicum, eſt præcipuus actus divinæ providentiæ: atqui nullus, niſi Epicureus, negaverit divinam Providentiam, ut conſtat ex dictis prima parte de Attributis divinis: ergo revera exiſtit divina vocatio.

Probatur inſuper ex Scriptura. Deus in veteri lege ex omnibus Tribubus Iſrael ſolam Leviticam elegit ad miniſteria Tabernaculi; & ex Tribu Levi ſolam familiam Aaron, quæ Sacerdotio fungeretur. In nova lege Chriſtus præordinatus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Pſalm. 109. & ipſe Joan. 7. v. 28. *clamabat in Templo docens, a me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me*. Apoſtolos ſimiliter vocavit Marci 3. v. 13. *vocavit ad ſe quos voluit ipſe*: Lucæ 10. v. 1. *deſignavit Dominus & alios 72. & miſit illos*. Act. 1. v. 21. Apoſtoli, cum in locum Judæ alter ſufficiendus eſſet, attendunt ad æternam Dei electionem, *oſtende*, inquiunt, *quem elegeris ex his duobus*, *Unum*, non dicunt, *elige*; ſciebant enim jam eſſe a Deo electum, ſed, *oſtende quem jam elegeris*. De Apoſtolorum quoque & diſcipulorum ſucceſſoribus ex gentibus aſſumendis prædixit Iſaias cap. 66. v. 19. & 21. *mittam ex eis, qui ſalvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, & Lybiam, tenentes ſagittam, in Italiam & Græciam*, &c. *& aſſumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus*. Sed utrum hujuſmodi vocatio ſit neceſſaria, ſpecialis eſt difficultas paragrapho ſequenti elucidanda.

§. II.

Utrum Dei vocatio ſit neceſſaria ad Ordines ſuſcipiendos, eorumque functiones rite obeundas.

R. EST omnino neceſſaria. Probatur 1. ex duobus potiſſimum Scripturæ textibus, qui inter alios benemultos ſunt inſignes.

Primus petitur ex Joan. c. 10. v. 1. & 2. *Amen, amen, dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Veritas hic loquitur, nulla exaggeratio hic fingenda, furatur Sacerdotium, vel officium Paſtorale, qui non vocatus obrepit, & quia Deum latere non poteſt, furti convincetur in ejus judicio: fures autem regnum Dei non poſſidebunt 1. Cor. 6. Quid vero ſit illud oſtium per quod intrare neceſſe eſt, Chriſtus aperit v. 7. *Amen, amen, dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium.* Et v. 9. *per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Caveant igitur Oſtiarii, Paſtores intelligo, ne iis aperiant, quos Princeps mundi ambitione & cupiditate ad pulſandum incitat, quia gregem Chriſti non ita devaſtare poteſt, ac per paſtores non vocatos. Hinc Deus Jeremiæ c. 23. paſtoribus ab ipſo nec vocatis, nec miſſis, imputat omnia mala, quæ Rempublicam invadunt, *non mittebam Prophetas*, inquit, *& ipſi currebant . . . ſi ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo, avertiſſem utique*, Græca, Chaldæa, & Latina regia habent, *avertiſſem eos a via ſua mala . . . propterea ecce ego ad Prophetas, ait Dominus*, hoc eſt, iram meam converto in Prophetas illos, *qui furantur verba mea unuſquiſque a proximo ſuo*, id eſt, verba, quæ poſui in ore eorum, quos miſi, ſurripiunt; ad hos quippe pertinet ea ad plebem renuntiare, meritoque furti arguuntur, qui a Deo minime vocati ex pulpito docent quæ ex Scripturis, & ex libris ſanctorum Patrum collegerunt: quinque audacter *aſſumunt linguas ſuas, & ajunt, dicit Dominus*, id eſt,

qui

qui pro ſuo placito & nutu moderantur, ac dirigunt linguas ſuas, ut populo placentia grataque loquantur. Sed *quid paleis ad triticum, dicit Dominus, nunquid non verba mea quaſi ignis* (illuminans & inflammans) *dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram*, id eſt ſaxea corda?

Secundus textus habetur Hebr. 5. v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, filius meus es tu*. Singula verba ſunt ponderanda, *nec quiſquam ſumit ſibi honorem*, ait Apoſtolus. Propoſitio eſt univerſaliter negans, nullamque patitur exceptionem. Scientia igitur quis emineat, ſanctitate ſplendeat, dignuſque Sacerdotio judicetur; temere tamen illud aſſumeret, quia forte ad illud vocatus non eſt Moyſes omnium mitiſſimus, & Summo Pontificatu digniſſimus, ab illo tamen fuit excluſus. Joſeph Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, ab eximia juſtitia & ſanctitate, eoque titulo ab Apoſtolis dignus Apoſtolatus exiſtimatus, non fuit electus: quin Chriſtus ipſe plenus gratiæ & veritatis, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ erant abſconditi, ſeipſum non clarificavit, id eſt, Dignitatem & gloriam Sacerdotii non ambivit, non uſurpavit, ſed ad eam evectus eſt a Patre.

Prob. 2. ex Patribus.

S. Cyprianus epiſt. 52. de S. Cornelio ſic ſcribit: „ Epiſcopatum ipſum nec poſtulavit, nec voluit, ſed „ quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt „ qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pu„ dore virginalis conſcientiæ, & pro humilitate in„ genitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non ut qui„ dam vim fecit, ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim „ paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus exciperet. *Et* „ *iterum*: Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de „ Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene „ omnium teſtimonio, &c. Tum deinde poſt Epiſco„ patum non exambitum nec extortum, ſed de Dei, „ QUI SACERDOTES FACIT, voluntate ſuſceptum,

„ quan-

„ quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus ? „ quantum robur animi ? qualis firmitas fidei ?

S. Leo ſerm. 2. in anniverſario aſſumptionis ſuæ: „ Eos rectores, *inquit*, Eccleſia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit, ut in populo adoptionis Dei, cujus univerſitas Sacerdotalis atque regalis „ eſt, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, ſed dignatio cæleſtis gratiæ gignat Antiſtitem.

S. Bernardus, vel quivis Auctor tract. de vita & moribus Clericorum cap. 5. „ Videte vocationem veſtram, ait vocatus Apoſtolus. Conſideremus & nos, „ an vocati venerimus. Et vocati a Deo cujus nimirum hæc vocatio eſt. *Et nonnullis interjectis ſic inſectatur eos, qui ſe ingerunt*, quid iſtud temeritatis, „ immo quid inſaniæ eſt, ubi timor Dei, ubi mortis „ memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii ? ſponſa nec cubiculum, nec *cellam* „ ingredi, niſi Rege introducente, præſumit; tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus ? *Trahe me poſt te*, ait illa, *in odorem unguentorum tuorum curremus*. Nunc autem trahit ſua quemque voluptas, & odorem turpis lucri ſectantes, quæſtum „ æſtimant pietatem, quorum certa eſt damnatio.

Et. tract. de converſione ad Cleros cap. 19. „ Tollitis, *inquit*, & non accipitis claves, de quibus Dominus quæritur per Prophetam: *Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos*. Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde veſania tantæ præſumptionis humanæ ? audeatne aliquis veſtrum terreni cujuslibet Reguli, non præcipiente aut etiam „ prohibente eo, occupare miniſteria, præripere Beneficia, negotia diſpenſare ? Nec tu Deum putes, quæ „ in magna domo ſua, a vaſis iræ aptis in interitum „ ſuſtinet, approbare.

Prob. 3. Ratione, quæ multiplex ex vocationis definitione, & ex allatis tum Scripturæ, tum SS. PP. teſtibus evidenter colligitur.

Prima. Qui non vocatus ſe ingerit, graviter lædit ſu-

ſupremam Dei auctoritatem & imperium. Eccleſia enim eſt Domus Dei, familia, & regnum; ad ipſum pertinet diſtribuere officia, dignitates, & honorum gradus prout vult, Eph. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores in conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii.* Enimvero operarius ingrediturne vineam Patris familias, ipſo contradicente, nedum conducente, ut in ea eradicet & plantet? Annon ridiculum ſe præberet, qui boni publici ſtudio ardere ſibi blandiens, principatum militiæ uſurparet, vel ſine Regis auctoritate Rempublicam adminiſtraret, & civibus jura decernere præſumeret? Atqui hæc fabula de pluribus narrat? Non verentur Chriſtum amovere a regimine propriæ familiæ, & ipſi invito obtrudere domeſticos ac miniſtros: caro & ſanguis bona ejus diſpenſat, conſanguinei conſanguineis ſuccedunt, vixque alteri oſtium patet ad Beneficia; niſi forte quis ſit commendatioris doctrinæ & famæ: neque hic per Chriſtum, ſed per fortunam, quam ambitioſe colit, viam ad ea ſibi patefacit. Immunem hanc Dei contumeliam graphice pingit idem Auctor Tract. de vita & moribus Clericorum cap. 5. „ Huic „ parvulo, *inquit*, Eccleſiaſtica jam Beneficia provida „ ſane parentum ſollicitudo parabat. Illum Præpoſitus „ aut Decanus, ut ſibi ſuccederet, pluſquam materno „ educavit affectu, in deliciis nutriens & delictis. Alius „ undique circuit ſedulus explorator, blanditur, obſequitur, ſimulat, & diſſimulat, miſeraque ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit: manibus & pedibus „ repens, ſi quo modo tandem aliquando ſeſe ingere„ re queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domi„ ni, quæ ſola ex omnibus hodie inveniuntur expo„ ſita. Nimirum peregre profectus eſt, ſed in pleni„ lunio forte, ut ſua diſtincte repetat, rediturus „. At omnem Dei timorem expellit cæca & effrænis cupiditas.

Secunda. Qui ad Sacerdotium non vocatur a Deo, is ad illud prorſus eſt ineptus, utpote ad alium uſum & finem ab utero conformatus; Deus quippe omnium

con-

conditor ac pſaltes, unumquodque aptavit loco & uſui; ad quem illud deſtinavit: *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea*, ait Dominus Jer. 18. v. 6. Ergo quemadmodum vas & quodlibet opus artefactum uſum non admittit præter eum, ad quem configuratum eſt, nec thorax v. g. tegere poteſt femora, nec tibialia humeros: ita opera Dei utilia eſſe nequeunt, niſi ad id, propter quod confecta ſunt. Non valet caput ad ambulandum, nec oculus ad audiendum, nec aqua ad ſiccandum, nec quivis homo ad officia præſtanda, propter quæ a natura non eſt inſtitutus: *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 7. *Alius quidem ſic, alius vero ſic*, prout ſcilicet congruit fini, quem intendit ejus conditor. Illud ipſum agnoverunt etiam Ethnici. Tullius enim lib. 1. Offic. ſcripſit eleganter: *Suum igitur quiſque primum noſcat ingenium, acremque ſe & vitiorum & bonorum ſuorum judicem præbeat: ne ſcenici pluſquam nos videantur habere prudentiæ, illi enim non optimas (nota) ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt: qui enim voce freti ſunt, Epigonos, Medeamque, qui geſtu, Menalippum ... ergo hiſtrio videbit in ſcena, quod non videbit ſapiens in vita ſua:* Sed non impune invertitur naturalis ordo ſemel a Deo conſtitutus, *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Job 9. Unde horribiles terræ motus? Unde procellæ, fulgura, & fulmina, niſi ex perturbato elementorum ſitu, & inordinata eorum copulatione? Unde in ſocietate humana perturbatio tanta, tot infortunata connubia, tot caſus adverſi, tot conſilia fruſtrata, tot animi ægritudines, quas plerique in ſua ſorte patiuntur, niſi quia ordinem & modum a Deo præſcriptum egrediuntur? Hunc aptaverat, ut inter Chriſti membra locum pedis obtineret, utpote qui ſit patiens, pacatus, & erga omnes benevolus; ſed locum capitis ambivit, & ut dicitur Prov. 30. *Poſtquam elevatus eſt in ſublime, ſtultus apparuit:* Conſilii inops, puſilli ac demiſſi animi, minuſque Paſtor vocandus, quam idolum. Quæ autem ſors futura eſt illius, qui extra ordinem currit, & ideo in vanum, niſi ut eum ſortiatur locum, ubi

ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? ait Sanctus Bernard. cap. 5. de vita & moribus Clericorum.

Tertia ratio. Ex Dei vocatione tanquam ex radice & fundamento pendet gratiarum ſeries cujuſque ſtatus propria. *Ego ſum oſtium*, ait Dominus Joan. 10. *per me ſi quis introierit, ſalvabitur, ingredietur, & egredietur*, hoc eſt, quocumque ſe verterit, quidquid egerit, ſuccedet pro voto, *& paſcua inveniet*, paſcua ſcilicet divinæ providentiæ, cibi ſpiritalis, ita ut dicere poſſit, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſuæ ibi me collocavit*. Pſalm. 22. Hinc Sanctus Leo ſerm. 1. in die aſſumptionis ſuæ: *Qui mihi honoris eſt auctor, ipſe mihi fiat adminiſtrationis adjutor: & ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit Dignitatem*. Et Sanctus Thomas in Supplemento quæſt. 35. articul. 1. *Dei perfecta ſunt opera, inquit, & ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per quæ executio illius potentiæ poſſit congrue fieri*. Et 1. part. quæſt. 22. art. 3. *quaſcunque cauſſas aliquibus effectibus præfecit; dedit illis virtutem ad illos effectus producendos*. Tolle ergo Dei vocationem, idem eſt ac ſi convellas fundamentum, quo nititur ædificium, obtures fontem, ex quo rivus emanat, & exſcindas radicem, per quam arbor trahit ſuccum & alimentum.

Vim hujuſce argumenti luculenter confirmat exemplum Saulis & Davidis. Reg. 1. Namque Saulem ad regnum deſtinatum Deus primo naturalibus corporis & animi dotibus ornavit; *electus & bonus*, inquit Scriptura cap. 9. *& non erat vir de filiis Iſrael melior illo*. Deinde ubi unctus eſt in Regem c. 10. *immutavit ei Deus cor aliud .... & inſiluit ſuper eum Spiritus Domini*; & ita inſtructus prudenter ac proſpere egit, populumque a ſervitute, qua ab Ammonitis & Philiſtæis premebatur, liberavit. At poſtquam Deus eum propter inobedientiam abjecit, ne eſſet Rex cap. 15. Spiritus Domini directus eſt in Davidem, c. 17. quem in locum Saulis ſuffecerat, præparaverat-

que robore corpore & animi, a Saule vero Spiritus Domini ſimul cum vocatione receſſit, ac deinceps eum exagitare cœpit *ſpiritus nequam a Domino*, ut ibidem dicitur. Conſtat ergo protectionem Dei, & cætera gratiæ auxilia in quolibet hominum ſtatu referenda eſſe, ad vocationem, quæ ſi adſit & audiatur, omnia, etiam adverſa, feliciter ſuccedunt: ſi deſit, peſſum eunt; *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*, Pſalm. 126.

Porro ſi gratia divinæ vocationis adeo neceſſaria eſt ad quodlibet vitæ genus naturalis ordinis, multo magis ad ea, quæ ſupernaturalis ſunt ordinis, ut munera Sacerdotalia, quibus exequendis ut oportet, nemo idoneus eſt, quantiſcunque fulgeat naturæ dotibus, niſi divina virtute evehatur, &; ut ait S. Thomas, tranſmittatur ſupra naturalem rerum ordinem, *ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 3. atqui Deus gratia ſua eum non movet, nec adjuvat, ut perſpicuum eſt, qui aſcendit aliunde tanquam fur & latro. Eſto, accipiat, ne dicam ſurripiat characterem Sacerdotalem; validi ſint ejus actus utpote gratiæ gratis datæ in aliorum ſalutem: polleat inſuper ingenio eximio, emineat natalium ſplendore; inſtructus ſit prudentia ſæculi, & ſcientia politica, qua malas improborum artes fallere poſſit; ſed ſi deſit gratia vocationis, regimen ejus non erit hierarchicum ſeu ſacrum, ſed politicum & ſæculare; Principem ſive Magiſtratum potius aget, quam Sacerdotem, totus ad ea, quæ extra ſunt, effuſus ad ſe redire neſciet, multo minus ad Deum per orationem & contemplationem, qua Paſtor, juxta S. Gregorium, præ ceteris debet eſſe ſuſpenſus. Denique nihil præ ſe feret, quod ad devotionem moveat: nec mirum; radicem non habet, vocationem intelligo, ex qua trahitur gratia Sacerdotalis.

Quare ratio, quæ poſſit quorumcumque impavidorum corda concutere, in hunc modum proponitur. Qui Deo non vocante Sacerdotium temere ſuſcipit, in eo placere nequaquam poterit; nec ſibi blandiri debet ob

ob firmum animum ſtrenue implendi, quæ ſunt Sacerdotis, iis enim operibus in Dei offenſionem incurret, quibus alter legitime vocatus eum ſibi conciliaverit. Ne autem ejuſmodi pronuntiatum quenquam percellat, probatur efficaciter hocce argumento. Nullum opus, quantumcunque ex natura bonum, poteſt eſſe Deo gratum & acceptum, niſi fiat ad ejus nutum ac voluntatem: atqui ſine vocatione munera Sacerdotalia, quamvis opera per ſe bona & laudabilia, exercentur Deo repugnante: nedum volente: ergo non ſunt Deo grata nec accepta.

Major per ſe eſt evidens; prima enim lex famuli, voluntas Domini: optimus ille, qui ad eam totum ſe componit, nec amplius quidquam ab eo exoptandum eſt: peſſimus vero, qui ab ea probe cognita declinat, ut ſub ſpecie majoris boni ingenio ſuo indulgeat; hoc enim eſt imperium detrectare, more ſuo vivere, & quidem in domini contemptum & injuriam, ut omnes facile intelligunt; ac proinde luce clarius eſt, nullum opus quantumcunque ex natura ſua bonum, poſſe Deo gratum eſſe & acceptum, niſi fiat ad ejus nutum ac voluntatem: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus; ideo munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Malach. 1.

Minor non eſt minus evidens, ſcilicet abſque vocatione munera Sacerdotalia, quamvis opera per ſe bona, exerceri Dei repugnante, nedum volente. Quis enim non intelligit Deum velle ut ipſi obſequium præſtemus in eo vitæ genere, ad quod nos vocat, noſque adverſaturos ejus voluntati & ordinationi, ſi aliud eligamus? Cogita famulum, qui nihil eorum exequitur, quæ Dominus ipſi demandavit: ſed vacat aliis operibus perinde atque ſervitutem exuiſſet, ac ſui juris eſſet & poteſtatis: præcepit ei v. gr. Dominus ut in vineam pergeret: & domi alii operibus vacat contra ejus voluntatem. Opera illa ſunt ne Domino accepta? an non ejuſmodi famulus pro mercede pœnam meretur, duplicis peccati in Dominum reus? 1. quia omiſit quod ipſi præceperat, 2. quia ſe iis interpoſuit, quæ aliis fuerant demandata. Atque in ejuſmodi exemplo tanquam in fido ſpeculo conſpicere ſe debent, qui Deo non vocan-

cante Sacerdotium ſurripiunt, & eo titulo ultro ſe immiſcent ſacris miniſteriis. Bona quidem ſunt iſthæc munera, *qui* enim *Epiſcopatum deſiderat*, *bonum opus deſiderat*, inquit Apoſtolus 1. Tim. 3. Sed Deus ea non ſuſcipiet de manibus illorum, quia in iis dupliciter in ipſum delinquunt, omiſſione ſcilicet & tranſgreſſione; omiſſione quidem, quia eo ipſo, quo ad ſtatum Sacerdotalem non vocantur, ad aliud vitæ genus electi ſunt & ordinati, puta ad ſtatum conjugalem, ad mercaturam, aut agriculturam, ut in iis Deo fideliter deſervirent, ordinemque ejus Providentiæ exequerentur vacantes operibus cuique illorum ſtatuum conſentaneis: hæc enim Deus ipſis præſcripſerat, ſed non obtemperant illi, & quaſi a Dei dominatione prorſus liberi, nihil horum, quæ ſibi a Deo ſunt præſtituta, in toto vitæ decurſu exequentur. Tranſgreſſione etiam in Deum peccant, non ſemel & iterum, ſed continuo, quandiu degunt in terris, quatenus nempe aliena officia ſibi vindicant, Domino repugnante, & graviter comminante, *quiſquis externorum acceſſerit*, *morietur*. Num. 1. verſ. 51. quod in malum ſuum experiri voluerunt Core & ejus ſocii, *qui deſcenderunt vivi in infernum*. Numer. 16. v. 32. & ipſe Rex Oſias, qui ob temeritatem percuſſus eſt lepra 2. Paralip. c. 26. v. 19.

Qui ergo ad ſtatum Sacerdotale vocati non ſunt, fruſtra ſibi aſſentantur, quod ſedulo miniſtrent, & tanquam olivæ fructiferæ in domo Dei fructum ferant, ſæpe ſacrificia offerant, verbum Dei prædicent, & Parochiam ex inordinata in ordinem adduxerint, *quia omnis plantatio*, *quam non plantaverit Pater meus cæleſtis*, *eradicabitur*, ait Chriſtus Matth. 15. v. 13. *omnem palmitem in me non ferentem fructum*, *tollet eum*, Joan. 15. v 2. & Matth. 7. v. 22. *multi dicent mihi in illa die* (judicii) *Domine*, *Domine*, *nonne in nomine tuo prophetavimus*, Evangelium tuum exponentes, *& in nomine tuo dæmonia ejecimus*, per Sacramenta præſertim pœnitentiæ, *& in nomine tuo virtutes multas fecimus*, plebem commiſſam recte componentes? *& tunc confitebor illis*, *quia nunquam novi vos*; *diſcedite*

dite a me; operarii iniquitatis. Quid ita? Quia non eſt mihi voluntas in vobis, ideo munus de manibus veſtris non ſuſcipiam, Malach. 1. qui alieno ſeminaſtis, ex eo metere non debetis. In vanum cucurriſtis, utpote extra viam, *labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in urbem pergere*, inquit Sapiens Eccl. 10. v. 15. hoc eſt, fruſtra deſudat ſtultus, qui rectam viam non tenet, ad Jeruſalem cæleſtem nequaquam perveniet. Denique intruſus eſt coram Deo, qui ſine vocatione Sacerdotium ſurripit, Chriſto dicente, Joan. 10. v. 1. qui non intrat per oſtium in ovile, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro: atqui tota intruſi adminiſtratio repudiatur ut inique uſurpata.

Ergo longe periculoſius erratur circa vocationem, quam circa ſingulare aliquod legis præceptum: qui enim legem in aliqua parte ita tranſgreditur, ut vocationem non deſerat, ſimilis eſt viatori, qui rectam viam tenet, in qua etiamſi nonnunquam veſtigio erret, cadat, & ex caſu ſaucietur, propter quem ſubſidere cogitur, quis enim eſt homo, qui aliquando non peccet? brevi tamen exurgit, factoque vulnere cœptum iter proſequitur, gradiendo ad deſtinatum appropinquat, ac tandem pervenit. Qui vero deeſt ſuæ vocationi, declinat de via, in vanum currit, fruſtra gradum accelerat, tot enim errores, quot greſſus, quibus a patria longius recedit, nedum accedat.

Dices; ex hac doctrina ſequitur, eum, qui ſine Dei vocatione ſtatum Sacerdotalem aſſumpſit, vel omni ſpe ſalutis orbari, vel ad ſæcularia vota debere tranſire, ut ſaluti conſulat, quemadmodum docent pſeudoreformati: atqui hæc duo ſunt longe abſurdiſſima; de homine enim non deſperandum eſt, quandiu vivit, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 9. anathemate percuſſit eos, qui dixerint: *poſſe omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum.* Ergo.

Nego majorem, duplex quippe in Deo diſtinguenda eſt voluntas, primaria ſcilicet & ſecundaria. Primaria quidem, quæ ab æterno unumquemque voluit condere

& apta-

& aptare ad certum vitæ genus, & ad eum finem præparavit media congrua. Sed quia ſimul prævidit multos vocationi ſuæ defuturos, ſecundaria voluntate eos deſtinavit ad alios uſus minus ipſis conſentaneos: providentiæ enim divinæ non deſunt modi, Gallice, *reſſources*, quibus in ordinem redigat, qui ab ordine receſſerint, quemadmodum paterfamilias, inquit S. Auguſtinus, vult primaria intentione ut domeſtici certis operibus, & quidem honeſtioribus & accomodatioribus incumbant, ita tamen, ut, ſi quis eorum non paruerit, molam vertat, vilioribus cibis veſcendus, in pœnam: en ſecundaria intentio. Ita plane contingit ſub divina providentia, quam non vincit hominum inobedientia: qui enim ab ordine prius ab ea intento in alium incidit minus commodum, in ea abſolute quidem, ſed non ſine magnis difficultatibus, poterit ſaluti ſuæ conſulere, manebitque in corpore Eccleſiæ veluti membrum in corpore humano ſuis *ſedibus* motum, quod obducto callo ſervire utcumque poteſt, ſed ægre admodum, & cum quadam deformitate. Namque 1. nec a natura, nec a gratia fuit inſtitutus ad munera Sacerdotalia, quæ ſunt ipſi veluti peregrina. Quantam ergo vim ſibi inferat neceſſe eſt, ut iis reddatur idoneus, præſertim cum ad ea non perpendeat, niſi forte libidine acquirendi & dominandi, quam pœnitentiæ lacriymis ante omnia debet extinguere? 2. cum character Sacerdotalis ſit indelebilis, nec poſſit Sacerdos intruſus non eſſe Sacerdos; ſaltem abſtineat ab officiis, ad quæ aptus non eſſet, quæque ſine peccato obire non poſſet, v. g. munus Paſtorale deſerat, ſi ad illud non habeat dotes neceſſarias: quod vero alias functiones a Sacerdotio indivulſas, ut ſacrificium aliquando offerre pro populo, mediatorem & interceſſorem apud Deum agere, gratiam & animum Sacerdotalem ſtudeat promereri orationibus, & laborioſis pœnitentiæ exercitationibus, cum enim Deus hujuſmodi officia exigat a quolibet Sacerdote, petenti ut oportet, gratiam non denegabit, docente Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. c. 13. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere, quod*

non

non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Quod dictum ſit iis, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, quam voverunt, habere donum; ſed ſicut perſeveraturus non eſt, cui ſpeciale perſeverantiæ donum non fuit conceſſum, quamvis in omnium Theologorum ſententia abſolute perſeverare poſſit, habeatque gratias ad id ſufficientes; ita qui ſine Dei vocatione & ſpeciali dono continentiæ ad Sacerdotium promotus eſt, & exinde officio Sacerdotali male functus, licet abſolute ſalvari poſſit, nec in deſperationem conjici debeat; difficile tamen ingredietur viam humilitatis & pœnitentiæ, qua ſola ipſi patet ingreſſus ad vitam: *Quis aliquando vidit Clericum cito pœnitentiam agentem* (inquit Auctor operis imperfecti apud S. Chryſoſtomum hom. 40.) *ſed etſi deprehenſus humiliaverit ſe, non ideo dolet, quia peccavit, ſed quia confunditur, quia perdidit gloriam ſuam*, Rationem affert S. Leo epiſt. 85. alias 87. *quia difficile eſt, ut bona peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*. Et S. Bernardus lib. de converſ. ad Cler. cap. 21. *utinam tamen quiſquis ſic intrat, ſi fieri poſſet, tam fideliter miniſtraret, quam fiducialiter ſe ingeſſit. At difficile fortaſſis & impoſſibile eſt, ut ex amara radice ambitionis ſuavis fructus prodeat caritatis*. Et tract. de vita & morib. Clericorum cap. 9. *In Clero quippe tanquam in cælo regens iniqua, quid niſi de miniſterio judicetur? Cæleſte tenet officium, Angelus Domini exercituum factus eſt, tanquam Angelus aut eligitur aut reprobatur. Inventa quippe in Angelis pravitas & diſtrictius judicetur neceſſe eſt, & inexorabilius quam humana*.

Inſtabis: ſaltem ejuſmodi doctrina omnes avertit a Sacerdotio, eoque ſpectat, ut Eccleſia fraudetur neceſſariis miniſtris: ergo perniciosa videtur.

Diſtinguo antecedens; hæc doctrina omnes, qui a Deo non vocantur, avertit, quantum ex ſe, Concedo; atque utinam ejus gratia Sacerdotium Chriſti, & quæ in Religione ſunt auguſtiſſima, in tuto eſſent ab hujuſmodi furibus; *ſatius enim, maxime in ordinatione Sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere*, inquiunt Patres Concilii Lateranenſis IV. & Sanctus

ctus Thomas in 4. diſtinct. 24. art. 3. quæſtiuncula 4. ad 1. *Deus ita nunquam deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur idonei Miniſtri ſufficientes ad neceſſitatem plebis . . . . . & ſi non poſſint tot Miniſtri inveniri; quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos Miniſtros bonos, quam multos malos.* Et in corpore articuli probat eum, qui ejuſmodi promovet, peccare mortaliter, quia ex S. Leone epiſt. 1. alias 87. ad Africanos Epiſcopos: *Non eſſet hoc conſulere populis, ſed nocere; nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen: integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum.* Hæc doctrina omnes, qui a Deo vocantur, avertit, Nego antecedens: immo vehementer impellit eo ipſo, quo graviſſimis momentis demonſtrat extremum exitium iis impendere, qui Deo ad ſtatum Sacerdotalem vocanti, non obtemperant, ſed pro libidine, aliud vitæ genus in ſæculo ſibi diligunt: quot enim ex iis male periiſſe vidimus? Sancti quidem viri propriæ infirmitatis conſcii gradus Eccleſiaſticos refugerunt, *quandiu* perſpectam non habuere Dei voluntatem, at ubi ipſis innotuit, paruerunt ſtatim, pluresque ex illis docuerunt æqualis eſſe periculi officium Sacerdotalem uſurpare Deo non vocante, & illud detrectare Deo vocante.

S. Athanaſius epiſt. ad Dragontium Monachum, qui Epiſcopatum, ad quem vocabatur, recuſabat, rationibus & exemplis, v. g. pœnæ, illum revincit, ſigillatimque refellit quæ opponebat momenta, ſcilicet vitæ ſolitariæ & contemplationis ſtudium, juramentum, quo ſe obſtrinxerat, nunquam accepturum Dignitates Eccleſiaſticas, agitationes & motus, quibus vix poteſt eſſe vacuus Epiſcopus, & peccandi occaſionem ac pericula, quibus continuo eſt expoſitus.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui onus Paſtorale fugerat, ſuam fugam ſic excuſat or. 1. „ Variis co„ gitationibus laborabam, quid facto opus eſſet ex„ quirens; mediuſque inter duos timores hærens, quo„ rum alter me deprimebat, alter erigebat: ac videte „ quam recte, quamque juſte inter utrumque timorem „ tranſigam, nimirum ut nec minime oblatam præfe„ cturam appetam, nec oblatam repudiem: illud enim

„ teme-

„ temerariorum hominum eſt ; hoc inobedientium ; „ utrumque autem imperitorum, *tum ſubdit periculoſius eſſe contra obedientiæ legem onus impoſitum refugere, quam ex imprudentia acceptare ;* Nam timori „ quidem ſuſcipiendæ præfecturæ, lex quoque obedientiæ fortaſſe opem ferre queat.... At inobedientiæ „ periculo haud ſcio, quiſnam opitulari, aut quænam „ ratio ad fiduciam hortari poſſit ; verendum enim „ eſt, ne de iis, qui fidei noſtræ commiſſi ſunt, hoc „ audiamus, animas eorum de manibus veſtris requiram, & quemadmodum non audiſtis vocem meam, „ ſic erit cum invocaveritis me.

Sanctus Auguſtinus, licet olim ad Sacerdotium raptus, quodammodo invitus, ſcribit tamen epiſt. 48. alias 81. ad Eudoxium, refertürque 16. quæſt. 1. his verbis cap. 30. „ Vos autem fratres cohortamur „ in Domino, ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & „ uſque in finem perſeveretis ; ac ſi quam operam veſtram mater Eccleſia deſideraverit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed „ miti corde obtemperetis Deo, cum manſuetudine portantes eum, qui vos regit.... nec veſtrum otium „ neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis ; cui parturienti ſi „ nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini, non inveniretis. „ Et libr. de fide & operibus cap. 17. de ſervo, qui abſcondit talentum, quod acceperat a Domino Matth. 25. ſic ſcribit : „ Propter „ illos hæc ſimilitudo propoſita eſt, qui nolunt ſuſcipere in Eccleſia diſpenſatoris officium, deſidioſam „ prætendentes excuſationem, nolle ſe rationem reddere de peccatis alienis.

Sanctus Gregorius, quem norunt omnes pro virili obſtitiſſe, ne Pontifex fieret, quandiu vocatio divina ipſi non innotuit, lib. Paſtoralis parte 1. ceteris vehementius agitat eos, qui Deo vocanti ad onus ſacerdotale non obtemperant, humilitatis ſpecie, vel quietis & contemplationis amore, ipſiſque notam ſuperbiæ & deſidiæ inurit ; „ Eorum profecto humilitas, *inquit capite 6.* ſi ceteris quoque utilitatibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera eſt,

„ cum ad reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præ„ cipitur, pertinax non eſt; neque enimvero humilis „ eſt, qui ſuperni nutus arbitrio ut debet præeſſe, „ intelligit, & tamen præeſſe contemnit. Sed divinis „ diſpoſitionibus ſubditus, atque a vitio obſtinationis „ alienus, cum ſibi regiminis culmen imperatur, ſi „ jam donis præventus eſt, quibus & aliis proſit, & „ ex corde debet fugere, & invitus obedire. *Et c. 5. „ expendens illud Chriſti ad Petrum, Joan.* 21. Simon „ Joannis diligis me? paſce oves meas, *ſic ſcribit*: ſi „ ergo dilectionis eſt teſtimonium cura paſtoris, quiſ„ quis virtutibus pollens gregem Dei paſcere renuit, „ Paſtorem ſummum convincitur non amare.

Auctor libri de vita contemplativa cap. 10. docet, contra juſtitiam faceret eos, qui merito ſuæ converſationis, vel eruditionis electi, otioſum ſtudium fructuoſe utilitati regendæ multitudinis anteponunt; & cum poſſint laboranti Eccleſiæ ſubvenire, operoſæ adminiſtrationis laborem fruendæ quietis *contemplatione* refugiunt.

Sanctus Bernardus ſerm. 18. in Cantica: „ Rem „ profecto proximi retines tibi, *inquit*, ſi metu for„ te, aut ſegnitie, aut minus diſcreta humilitate, „ verbum bonum, quod poſſet prodeſſe multis, inu„ tili, immo & damnabili ligas ſilentio, certe male„ dictus quod frumenta abſcondis in populis.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 185. art. 2. „ Sicut ad „ inordinationem voluntatis pertinet, *inquit*, quod „ aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum „ gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinatio„ nem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino con„ tra Superioris injunctionem, prædictum gubernatio„ nis officium finaliter recuſet, propter duo: 1. qui„ dem quia hoc repugnat caritati proximorum, quo„ rum utilitati ſe aliquis debet exponere pro loco & „ tempore. 2. quia hoc repugnat humilitati, per „ quam aliquis Superiorum mandatis ſe ſubjicit. *Et „ in reſponſione ad tertium*, qui votum emittit de non „ ſuſcipiendo Epiſcopatu, ſi per hoc intendat ſe obli„ gare ad hoc, quod nec per obedientiam ſuperioris

„ Præ-

„ Prælati accipiat, illicite vovet. „ Hæc paulo laтius proſequi oportuit, tum quia par eſt periculum uſurpare ſacra miniſteria Deo non vocante, & illa recuſare, ubi explorata eſt divina vocatio: tum quia benemulti more ſuo vivunt, quorum alii quolibet vitæ genus amplectuntur prout occaſio ſe obtulerit, nihilque curant, velitne an nolit Deus; alii ſtudio litterarum impenſius addicti, Prælatis opem eorum expoſcentibus pertinaciter reſiſtunt, nec miſerantur innumeras animas, quæ in æternum pereunt neceſſario auxilio deſtitutæ.

§. III.

De ſignis, quibus deprehendi poſſit an vocetur quis, necne ad munus Sacerdotale?

Q. 1. *Quæ ſunt divinæ vocationis ſigna?*

R. Triplicis ſunt generis: alia ex quibus certo colligitur, quoſdam a Deo non vocari ad ſtatum Sacerdotalem: alia admodum dubia, & ambigua, ex quibus nihil certo definiri poteſt: alia indubitata, quæ certo oſtendunt divinam vocationem: de quibus ſingillatim dicendum.

Signa, quibus conſtat aliquem non eſſe a Deo electum, nec conditum ad munia Sacerdotalia, ſunt ii defectus tum corporis, tum animi, qui ineptum prorſus reddunt ad illa decenter obeunda, præſertim ſi tolli nequeant. De defectibus corporis patet reſponſio. Sunt enim irregularitates & impedimenta ad Ordines, eorumque functiones.

Defectus autem animi duplicis ſunt generis. Alii ſunt congeniti, & vitia naturæ potius dicenda, quam hominis, ut agreſtis indoles, animus ferox, levis ac inſtabilis, mollis & ignavus, ingenium obtuſum & plumbeum, ſcientiis acquirendis nullatenus idoneum. Alii ſunt morales & voluntarii, ut ſocordia, iracundia, vinolentia, & cetera peccata, quamquam iracundia & vinolentia, nonnunquam referenda ſunt

ex parte ad vitia naturæ, vixque penitus abradi queunt.

Certum eſt & indubitatum, hominem, qui naturæ vitiis, aut aliquo ex iis laborat, non eſſe a Deo electum, & conditum ad munia Sacerdotalia, utpote qui iis obeundis manifeſte ſit ineptus, nec unquam aptus evadere poſſit; cum enim ejuſmodi vitia a voluntate non pendeant, ab ipſa tolli nequeunt. Abſit, ut divinæ ſapientiæ ea tribuatur noxa, quæ in viliſſimo artifice legitimam non haberet excuſationem, ſcilicet opus ad eum uſum confeciſſe, cui nullatenus eſt accommodatum. Annon Sacerdos agreſtis & ferocis indolis gregem potius fugabit, quam alliciet; peccatos exagitabit, nedum commotos ſedabit? An labia plumbei ingenii diſſeminabunt ſcientiam, quam non comparavit, nec comparare poteſt? Inſtabilis, & ad omnem auram verſatilis, firmabitne fluctuantes, & hærentes conſilio? Quomodo mollis & ignavus præ ſe feret fortitudinem & conſtantiam in Sacerdote adeo neceſſariam, ut monitiones, perverſa conſilia, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei deſtruat, & in captivitatem redigat omnem intellectum in obſequium Chriſti, ut loquitur Apoſtolus 2. Corinth. 10. *Nec majus præjudicium nullum eſſe poteſt*, inquit Hallierus de ordinationibus 1. part. ſect. 3. capite 2. paragrapho 4. *quod aliquis ad ſacrum animarum principatum a Deo nequaquam vocetur, quam ſi mollis, & adverſus iniquitates indulgentior extiterit, nec ſatis animi habeat ut iniquis petitionibus reſiſtat; unde Ezechielem Dominus Prophetam miſſurus ad populum.* Ecce, *inquit*, dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. *Quid enim intereſt, ſive Sacerdos iniquitatem operetur, ſive operantibus conſentiat, ſive populos pravo exemplo inficiat, ſive eos nimia indulgentia corrumpat?* Nullus ergo ſibi blandiatur, quaſi anteacta ſine crimine vita ſufficiat ad Sacerdotium, ac præſertim ad curam animarum, niſi præterea aptus ſit ad docendum, arguendum, & corripiendum cum omni imperio, ubi opus fuerit, Spiritu

ritu Sancto edicente Eccli. 7. verſ. 6. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ſcandalum ponas in æquitate tua.*

Morales animi defectus (peccata intelligo) indignum quidem reddunt ſacris Ordinibus; ſed quia corrigi poſſunt ac debent, utpote voluntarii, ex iis continuo definiendum non eſt; ſicut ex inſanabilibus naturæ vitiis, eum, qui hujuſmodi defectibus impeditur, a Deo non vocari ad Sacerdotium; ſi aliunde naturæ donis ſit inſtructus, ſcilicet optima indole, acri ingenio, & alias in hocce vitæ genus propenſo. Divina quippe vocatio impeccantiam non tribuit, ut patet vel ex Judæ exemplo, qui procul dubio ad Apoſtolatum ab æterno fuerat electus, & in tempore a Chriſto vocatus. Ergo morales illi defectus in dubitationem ſolum adducunt, num vocatus fuerit, nec ne, ad ſtatum Clericalem, qui illos patitur.

Qui vero dubium illud ſolvet conſcientiæ moderator, divinamque vocationem exploratam faciet juvenibus olim bonæ ſpei, qui poſtquam ardore ætatis ruere in libidines, militiam Clericalem, cui forte nomen jam dederant, faſtidiunt, & ad ſtatum ſæcularem inclinant? Suadebit in primis ſeria pœnitentia expurgandam conſcientiam, & intermiſſa pietatis ſtudia revocanda, priuſquam certiores fieri poſſint de Dei vocatione, quæ in hacce morum pravitate ac perturbatione nec Confeſſario, nec pœnitenti innoteſcere poteſt. Quandiu vinum eſt turbidum, & poma immatura, de eorum bonitate judicium ferri nequit; ſic defæcatus ſit animus oportet, ac liber a pravis cupiditatibus, ut Dei vocatio & genuina naturæ propenſio ſe promant: alioquin ſi conſcientiæ moderator attenderit ad quid voluntas juvenis depravati jam propenſior ſit, & juxta eam conſulat, periculum eſt, ne eum a vocatione avertat, & in viam perditionis impellat, ſicut præmonuit Dominus Ezech. 14. verſ. 4. *homo de domo Iſrael*, inquit, *qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad Prophetam, interro-*

gans per eum me, ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum, ut capiatur domus Iſrael in corde ſuo, quo receſſerunt a me.

Plures pro certo ſigno vocationis ſtatuunt ardens & conſtans deſiderium adipiſcendi Ordines, ſed immerito; quia ſi accuratius diſcutiatur, accendi deprehendetur non a Deo, qui caritas eſt, ſed a cupiditate ipſi adverſa, tum parentum, qui eſſe putant e re familiæ, ut aliquis ex ea ditetur proventibus Eccleſiæ in fratrum ſubſidium, & ſenectutis ſuæ levamen: tum ipſorum Candidatorum, quorum alii fovendæ deſidiæ gratia ſtatum Eccleſiaſticum appetunt, tamquam illuſtrem, omniumque maxime otioſum & facilem; alii rei familiaris anguſtia preſſi, cum fodere parentum exemplo refugiant, victum ex Sacerdotio, qua opera, qua arte & diſſimulatione quærunt, ſummeque infortunatos ſe exiſtimant, ſi propoſitum non aſſequantur. Alii appetitu gloriæ ducuntur ad Sacerdotium; primas cathedras in cœtibus ambiunt, & *honorificatas* ſalutationes in foro; nec ſatis eſt quibuſdam, ut ſecundo honoris gradu miniſtrent, niſi ſedeant cum Eccleſiæ Principibus, ſintque ſub Chriſto humili & paupere illuſtres, qui ſub locuplete & fallace diabolo obſcuri permanſiſſent, ut loquitur S. Hieronymus. Porro Deus, nedum ejuſmodi cupidos & ſuperbos vocet ad miniſterium domus ſuæ, quin per os Davidis illos rejicit: *non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam*. Pſalm. 100. Chriſtus Matthæi 8. legis Doctorem repulit a ſuo comitatu ex eo, quod inde gloriam & opes expectaret: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filium autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Ergo ſacrorum Ordinum appetentia non eſt indubitatum ſignum divinæ vocationis; ſed aliud neceſſario inquirendum. Quodnam vero illud ſit.

R. Signum vocationis moraliter certum præ ſe fert qui naturæ dotibus ſacro miniſterio competentibus eſt inſtructus, liber ab animi defectibus ſupra recenſitis vacuus ab omni gloriæ cupiditate, & terreno affectu, propenſus in Eccleſiaſticam diſciplinam, & pro-

cu-

curandæ gloriæ Dei ſalutis proximi ſtudioſus. Sicut enim ex configuratione vaſis certo colligitur ad quem uſum artifex illud finxerit; ita prudenter conjectare licet, eum a Deo fuiſſe electum & conditum ad ſacra miniſteria, quem iis aptavit, & ad ea ipſius animum vertit, & quodammodo curvavit. Cum enim ex dictis character Sacerdotalis ſit gratia gratis data, & ad aliorum ſalutem ordinata, ſingulare indicium eſt, quempiam ad ſacros Ordines eſſe a Deo comparatum, qui omnes in ejus amorem rapere optaret, qui ejus offenſa plus afficitur, quam ſua; peccatum in aliis dolet, ſicut in ſeipſo, delinquentes, ſpreto timore mundano, opportune commonet, & ex affectu obſervat quod præcipitur in epiſtola Judæ Apoſtoli v. 22. & 23. *hos quidem arguite judicatos, illos vero ſalvate, & de igne rapientes; aliis autem miſeremini in timore odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*; id eſt ſordidatam vitiis converſationem. Niſi ejuſmodi ſtudium cernatur in ſacrorum Ordinum Candidatis, certum ſignum ſuæ vocationis non exhibent; unde enim cognoſcetur quempiam natum ad militiam ſæcularem aut quamvis artem profitendam, niſi quia delectatur exercitationibus militaribus, & aliis accomodatis arti, quam profiteri cupit? Quæ vero exercitationes Sacerdotum propriæ, niſi debellare vitia, pietate erigere, gloriam Dei promovere, & ſaluti proximi conſulere? Quid vero alumnus Seminarii, in quo tanquam in Academia exercetur in armis ſpiritalibus, utilius & accommodatius ad hunc finem præſtare poteſt, quam ſi ſocios verbis & exemplis ad pietatem accendat, & cum Præfecto conſpiret, ut evadant vaſa apta ad omne opus bonum, cum inde pendeat optatum totius Diœceſis regimen? Non ergo ſibi blandiatur, ob animum quietum, & dicto obedientem, quia ſi timore mundano, & hominum reſpectu conſtringitur, ſi aliorum vitia non curat, diſſimulat, fovet, eorumque famam lacerat, qui ſodales a peccato deterrere, & ad ſaniorem mentem reducere non conatur, nullum præ ſe fert indicium divinæ vocationis ad officia Hierarchica.

Q. 2. *Licetne Clerico cultus divini & ſalutis proximi ſtudioſo expetere dignitates Eccleſiaſticas, quibus caritati, qua flagrat erga Deum & proximum, faciat ſatis?*

Reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 1. *tria* diſtinguenda in Dignitatibus Eccleſiaſticis, & Ordinibus Hierarchicis, puta Epiſcopatu. Primum, *& quidem principale & finale*, eſt officium, quod ad Dei cultum & proximi utilitatem impenditur: juxta illud Joan. 21. *paſce oves meas*. Secundum, celſitudo gradus, qui principatum infert in ſubditos, ut habetur Matthæi 25. *fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*. Tertium quod ſe habet ad duo priora tanquam conſectarium quoddam, ſcil. reverentia Epiſcopo, aut cuivis Prælato debita cum proportione ad ejus Dignitatem, & reditus annuatim ipſi aſſignati, de quibus Apoſtolus 2. Tim. 5. *qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*. De ſignis autem ſic ſtatuit S. Doctor.

1. Officium Epiſcopale, & aliud quodlibet *Hierarchicum* ſecundum ſe ſpectatum licet appetere voluntate conditionata: „ quia, *inquit*, appetere proximis „ prodeſſe, eſt ſecundum ſe laudabile & virtuoſum. „ *Et infra*, poteſt abſque præſumptione quilibet ap„ petere talia opera facere, ſi eum contingeret in tali „ officio eſſe; vel etiam ſe eſſe dignum ad talia ope„ ra exequenda, ita quod opus bonum cadat ſub de„ ſiderio, non autem Primatus Dignitatis. Unde „ Chryſoſtomus (*ſeu Auctor operis imperfecti hom.* 35.) „ dicit ſuper Matthæum, „ opus quidem deſiderare bonum, bonum eſt. Primatum autem honoris concupiſcere, vanitas eſt; Primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe fugit: Et S. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum: „ Si quis, *ait*, Epiſcopatum „ deſiderat, bonum opus deſiderat: opus, non digni„ tatem; laborem, non delicias: opus, per quod hu„ militate decreſcat, non intumeſcat faſtigio. *Et* „ *in cap. 3. Sophoniæ expendens eundem textum Apo*„ *ſtoli*, qui Epiſcopatum deſiderat, *&c.* Videte, *in*„ *quit*, quod dixerit, bonum opus deſiderat, non di„ gnitatem; ſi autem deſpecto opere ſolam aſpexerit

di-

dignitatem, cito corruit turris in Siloe: & excelſæ cedri fulmine feriuntur, & erecta cervix frangitur.

Dixi, *conditionata voluntate*, nempe, ſi idoneus ſit, & utilitas Eccleſiæ poſtulet; quod enim ab imperitis Paſtorale officium abſoluto & efficaci deſiderio ſine crimine expeti non poſſit, patet, quia ſicut opus virtutis ſecundum ſe laudabile eſt exercere velle; ita temerarium eſt hujuſmodi operis ſibi obligationem accerſere velle, cui implendo vires non ſuppetunt. Unde S. Gregorius 1. parte Paſtoralis cap. 8. in illud Apoſtoli, *qui Epiſcopatum deſiderat*, ſic ſcribit: *Apoſtolus laudans deſiderium boni operis in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum ſubjungit;* oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, *quaſi dicat; Laudo quod quæritis, ſed diſcite quod quæratis*,

2. Angelicus Doctor definiit, nefas eſſe appetere ipſam principatus celſitudinem, multo magis honorem & emolumenta, quæ ſunt ejus conſectaria. „ Ap„ petere Epiſcopatum (*idem dicendum de quovis gradu* „ *Hierarchico*) ratione ejuſmodi circumſtantium bono„ rum manifeſtum eſt quod eſt illicitum, & pertinet „ ad cupiditatem vel ambitionem. *Et infra*, quia „ Epiſcopalis actus habet annexam gradus celſitudi„ nem, præſumptuoſum videtur, quod aliquis præeſ„ ſe appetat ad hoc quod ſubditis præſit, niſi ma„ nifeſta neceſſitate imminente. „ Atque in confir„ mationem ſuæ ſententiæ laudat S. Chryſoſtomum, Auguſtinum, Gregorium, quibus addere liceat S. Ambroſium.

S. Chryſoſtomus hom. 66. in Matth. expendens illud Chriſti Matth. 20. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum*, ſic habet, *per hoc oſtendit, quod gentile eſt Primatus cupere, & ſic gentium comparatione eorum animam æſtuantem convertit.*

Sanctus Ambroſius lib. 4. in Lucam: „ Hoc ipſo, „ *inquit*, pernicioſior eſt ambitio, quod blanda quæ„ dam eſt conciliatricula Dignitatum, & ſæpe quos „ nulla vitia deflectunt, quos nulla potuit movere „ luxuria, nulla avaritia ſubruere, facit ambitio crimi„ noſos; habet enim forenſem gratiam, domeſticum

„ periculorum, & ut dominetur aliis, prius ſervit: „ curvatur obſequio, ut honore donetur: & dum vult „ eſſe ſublimior, fit remiſſior, cum in ipſa poteſta- „ te quod præcellit, alienum ſit.

Sanctus Auguſtinus libr. de Civitat. cap. 19. ſic ſcribit: „ Ex tribus vitæ generibus, otioſo, actuo- „ ſo, & ex utroque compoſito, quamvis ſalva fide „ quiſque poſſit in quolibet eorum vitam ducere, & „ ad ſempiterna præmia pervenire; intereſt tamen quid „ amore teneat veritatis, quid officio caritatis impen- „ dat. Nec ſic quiſque debet eſſe otioſus, ut in eodem „ otio utilitatem non cogitet proximi: nec ſic actuo- „ ſus, ut contemplationem non requirat Dei... in „ actione vero non amandus eſt honor in hac vita „ ſive potentia, quoniam omnia vana ſub ſole; ſed opus „ ipſum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, „ ſi recte atque utiliter fit, id eſt, ut valeat ad eam „ ſalutem ſubditorum, quæ ſecundum Deum eſt... „ Propter quod ait Apoſtolus: *qui Epiſcopatum deſi-* „ *derat, bonum opus deſiderat*... ut intelligat (*præpo-* „ *ſitus*) non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, „ non prodeſſe. Itaque a ſtudio cognoſcendæ veritatis „ nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium, „ locus vero ſuperior, ſine quo regi populus non po- „ teſt, & ſi ita teneatur atque adminiſtretur ut decet, „ tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſan- „ ctum quærit caritas veritatis: negotium juſtum ſuſ- „ cipit neceſſitas caritatis. Quam ſarcinam ſi nullus „ imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt „ veritati; ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt pro- „ pter caritatis neceſſitatem. Sed nec ſic omni modo „ veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur „ illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas.

Sanctus Gregorius prima parte Paſtoralis c. 8. „ Sa- „ crum officium, *inquit*; non ſolum non diligit om- „ nino, ſed neſcit, qui ad culmen regiminis anhelans „ in occulta meditatione cogitationis, cæterorum ſub- „ jectiones paſcitur, laude propria lætatur, ad hono- „ rem cor elevat, rerum affluentium abundantia exul- „ tat. Mundi ergo lucrum quæritur ſub ejus honoris

„ ſpe-

„ ſpecie, quo mundi deſtrui lucra debuerant; cumque „ mens humilitatis culmen arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus immutat. „ Ne quis autem abutatur hiſce verbis Apoſtoli, *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, ſcribit id dictum fuiſſe ab Apoſtolo, quando dubium non erat quemque per Epiſcopatum ad ſupplicia graviora pervenire, parati ſibi non ſublimem thronum, ſed aculeos & cruces; non honores, ſed contumelias, non divitias nec delicias, ſed indigentiam, labores, perſecutiones, *unde*, inquit S. Thomas cit. *non de facili inveniebatur, qui hoc onus aſſumeret*.

Q. 3. *Quale eſt peccatum ad Sacerdotium duci appetitu honoris & commodorum temporalium?*

Reſpondet Hallierus 1. p. ſect. 3. cap. 2. art. 2. §. 2. 1. grave non videri peccatum, ſi quis neceſſariis dotibus inſtructus principaliter intendat gloriam Dei & ſalutem proximi; ſecundario vero & minus præcipue concupiſcat celſitudinem, honorem, & emolumenta temporalia, quia hujuſce deſiderii inordinatio non deſtruit caritatem, ſive erga Deum, ſive erga proximum, cum ipſi primum locum permittat. Qui ob omni peccato erit immunis, ſi pravos hujuſmodi vanæ gloriæ & cupiditatis motus, qui tunc ebullire ſolent, caute comprimat. 2. valde periculoſum eſſe conſentire ejuſmodi motibus; tum quia ex S. Gregorio prima parte Paſtoralis c. 9. ſæpe mens ipſa ſibi mentitur, & fingit ſe temporalia principaliter non appetere, quæ tamen ita appetit: „ Plerumque, *inquit* „ *S. Doctor*, hi qui ſubire magiſterium Paſtorale cupiunt, nonnulla quoque opera bono animo proponuntur, & quamvis hoc electionis intentione appetant, operaturos tamen ſe magna pertractant: ſicque, ut aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat; „ nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit „ ſe de bono opere amare quod non amat: de mundi autem gloria non amare quod amat: „ tum quia niſi cohibeatur illud dominandi & acquirendi deſiderium, tanquam parva ſcintilla contempta magnum in-

Incendium excitabis data occaſione, quæ Paſtoribus non deeſt, cum ſubditi iis identidem reverentiam denegent; & alia debita, unde jurgia, ſimultates & odia certiſſime exardeſcunt, ſi Paſtor avidus ſit honoris vel pecuniæ. 3. exitiale eſſe ſcelus appetere Ordines & ſacrum principatum principaliter propter honorem & emolumenta temporalia, quia in eo deſiderio dominantur ambitio & cupiditas, præferuntur terrena cæleſtibus, & Sacerdotium, quo nihil majus dari potuit hominibus, ſit medium ac inſtrumentum pompæ ſæcularis in magnam Dei injuriam, graveque damnum Reipublicæ Chriſtianæ.

Enimvero honor & emolumenta temporalia annexa ſunt Sacerdotio ut media conſentanea, quibus decenter adminiſtretur ad Dei gloriam & Fidelium ſalutem: atqui media, ſicut non appetuntur propter finem, ita aſſumuntur vel rejiciuntur prout juvant vel impediunt: vir frugi v. g., abſtinet ab alimentis etiam delicatioribus, quæ expertus eſt nocere valetudini, prudens Medicus ceſſat adhibere remedia, licet per ſe efficacia, quando nimia ægroti infirmitas ea non admittit: Ergo temporales Sacerdotii prærogativæ eatenus dumtaxat curandæ ſunt vel contemnendæ, quatenus proſunt, vel obſunt cultui divino & ſaluti animarum, ad quæ tamquam ad finem tendunt character Sacerdotalis, & cetera ei adjuncta. *Non quæro datum*, inquiebat Apoſtolus Philip. 4. *ſed fructum abundantem in ratione veſtra.*: Et 2. Cor. 12. *nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis; ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendor ipſe pro animabus veſtris.* Contra vero qui Sacerdotii prærogativas principaliter intendit, celſitudo, honor, & reditus annui ſunt illi finis, character vero & functiones Sacerdotales medium: illa propter ſe appetit, iſta quærit ut inſtrumenta: illis delectatur, iſtis utitur prout neceſſaria ſunt ad priora comparanda: offert, cantat, quoties inde lucrum vel honorem ſpectat, nec alias: ex ſubditis illos ſuo præſidio tegit, qui ipſi aſſentatur, & in ejus cultu ſe præbent aſſiduos, multis licet peccatis in Deum ſint obnoxii,

quaſi

quaſi aliud non agnoſcat legis præceptum, quam Paſtori reverentiam exhibere; fervet ejus zelus pro ſola dignitate tuenda, & juribus vindicandis, cum is ſit omnis fructus, quem ex Sacerdotio ſibi propoſuit. Quod autem ex ejus minis, exactionibus, & litibus, quibus ſubditos exagitat, oriantur ſcandala, multiplicentur peccata, ad eum non pertinet; *Jura mea*, inquit, *proſequor; ſi pereunt, eorum culpa eſt*. Sed quis corruentes retineat, & errantes requirat, niſi Paſtor? Ad quid ipſa dignitas, & jura Sacerdotalia, niſi ad ſalutem ſubditorum? An apud Deum judicem excuſationem habebit Paſtor, quod ſua ſolicite curaverit, honorem charactéri debitum vindicaverit, cum multarum animarum damnatione, quarum ſaluti omnia poſtponere debuit?

Q. 4. *Privatus poteſtne per ſeipſum ex allatis ſignis certo colligere ſuam vocationem?*

R. 1. Aliquando poteſt & debet judicare ſe non eſſe vocatum ad ſacros Ordines, quando nimirum impeditur inſanabilibus ſive corporis, ſive animi defectibus, qui tam patenter illum ineptum declarant, ut conſilium ab aliis quærere videatur, qui lucentem vellent veritatem, faveantque ejus cupiditati, quatenus poſſit ſibi blandiri, quod non ſua ſponte, ſed ex aliorum conſilio ad ſacram ordinationem acceſſerit.

R. 2. Nemo, exceptis caſibus extraordinariis, ſuo proprio judicio niſi temere definiet, ſe eſſe a Deo vocatum ad ſacros Ordines & miniſteria Hierarchica.

Prob. 1. ex Scriptura Act. 9. v. 6. Deus Saulo roganti non declarat quid vellet ipſum facere, ſed ad Ananiam mittit: *Et ibi dicetur tibi*, inquit, *quid te oporteat facere*. Et cap. 10. v. 5. dicitur Cornelio Centurioni: *Acerſi Simonem .... hic dicet tibi quid te oporteat facere*. Ergo ſicut fides ex auditu, ita & notitia vocationis.

Probatur 2. auctoritate & exemplo Sanctorum Patrum. Auctoritate quidem. Duo enim docent Sancti Patres. Primum, fugiendas Eccleſiæ Dignitates, ſi nullus eas imponit. Secundum, obtemperandum

dum quando imponuntur, *quam ſarcinam*, inquit S. Auguſtinus lib. ſup. cit. de Civ. Dei cap. 19. *Si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati; ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter caritatis neceſſitatem*. Et S. Gregorius prima parte Paſtoralis cap. 6. *Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat*. S. quoque Iſidorus lib. 3. Sentent. cap. 34. *Ad diſpenſationem Eccleſiaſtici Ordinis, ſi ex Dei voluntate pervenerit, nolens quidem, ſed humilis gubernandam ſuſcipiat*. Ergo Dei vocatio ſecundum conſuetum Providentiæ ordinem non innoteſcit etiam dignioribus, niſi per miniſterium hominum; alioquin illud ſequeretur abſurdum, nempe illicitum eſſe fugere ſarcinam regiminis, etiamſi non imponatur; nefas enim eſt reſiſtere Deo manifeſte vocanti, ut probat Jonæ exemplum, & idem SS. Patres conſtanter docent.

Exemplo etiam SS. PP. ſuam doctrinam confirmarunt. Quis enim neſciat S. Syneſium, Gregorium Nazianzenum, Auguſtinum, Gregorium Magnum, & alios viros ſcientia & ſanctitate inſignes reluctatos, donec per Paſtores vocationem ſuam exploratam habuerint? porro ſi Deus per ſeipſum immediate vocationem non manifeſtat iis, quos ſingulari gratia proſequitur; multo minus ejuſmodi donum aliis concedere credendum eſt.

Prob. 3. Ratione; tum quia de ſe mens ſæpe ſibi mentitur, inquiebat ſupra S. Gregorius, & putat ſe habere bona, quæ revera non habet; tum quia Sacerdotium perfectionem præexigit: atqui ex S. Thoma 2. 2. q. 185. art. 1. ad 2. præſumptuoſum eſt, quod aliquis perfectum ſe reputet: Ergo ad explorandam ſuam vocationem, conſilium ab aliis quærere neceſſe eſt.

Dixi, *exceptis caſibus extraordinariis*, quia Prophetæ & nonnulli alii ſtupendis ſignis a Deo immediate didicerunt vocari ſe ad opus injunctum; ſed miracula in exemplum trahi non debent.

Q. 5. *Cujus eſt explorare indicia vocationis eorum, qui promovendi ſunt ad Ordines, & ad onus Paſtorale?*

R. 1.

R. 1. Epiſcopi, quia, ex Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de ref. *Nullus debet ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis*; atqui Clericus ſine Dei vocatione erit Eccleſiæ onerosus, nedum utilis: Ergo Epiſcopus ante omnia debet explorare ordinandorum vocationem, proptereaque olim Clerici ſub oculis Epiſcopi inſtituebantur in Epiſcopio ſeu domo Epiſcopali, ut conſtat ex S. Auguſtino, & aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sed quia Epiſcopi pluribus negotiis detenti huicce examini per ſeipſos vacare nequeunt,

R. 2. Vices Epiſcopi ſupplet vir pius, prudens, & in rebus Eccleſiaſticis apprime verſatus, cujus conſiliis & uſu poterit candidatus exploratam habere ſuam vocationem, modo ipſi abſcondita cordis ſui ſincere denudet, ſinus & receſſus conſcientiæ expendat, hac quippe via moderator conſcientiæ percipiet ejus indolem, ingenium, animi propenſionem, divinas motiones, & virtutum incrementa, exindeque indubitanter pronuntiabit ipſum divinitus præordinatum ad ſacra miniſteria: quin & auctor eidem eſſe poterit ut Epiſcopo ſe offerat, Beneficium requirat in vim graduum, aut alio quovis licito & honeſto modo; atque hac agendi ratione non deflectet a regula præſcripta, cum nihil agat niſi ex obedientia, & quodammodo coactus timore reſiſtendi divinæ voluntati ſibi manifeſtatæ.

COROLLARIUM.

EX iis, quæ hactenus diſputata ſunt, animo perpendat Lector, quanta Clerici felicitas, qui perſpectam habet ſuam vocationem; vocatus enim ad ſacra miniſteria, ſine dubio ad illa eſt aptus, conformatus & propenſus, in iis quoque delectabiliter verſatur; non enim laboratur, ubi amatur; aut ſi laboratur, ipſe labor amatur, inquit S. Auguſtinus. Fulcitur divino auxilio, ut quæ tractat, proſpere eveniant: *Quia*, ut ſupra docebat S. Thom. *cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per*

quæ

quæ executio illius potentiæ poſſit congrue fieri. Vocatio igitur eſt fundamentum diſciplinæ hierarchicæ, quo præſtructo feliciter erigitur ædificium perfectionis Sacerdotalis: eſt & radix, ex qua vocatus, ſi ei inhæreat, trahit ſuccum gratiæ, & ſpiritum principalem, qui ſe diffundit in omnes partes, veluti in ramos ſacri miniſterii, ſingulis tribuens vitam, incrementum, & perfectionem. Sicut mons non movetur adverſis; fundatus enim eſt ſupra firmam petram, quin cum Apoſtolo Rom. 5. gloriatur in tribulationibus, moraliter certus ſe in iis non temere aut propria ſponte, ſed Deo auctore eſſe poſitum: inde animos ſumit, quo opus a Domino injunctum, ipſique gratum operetur, nec ſibi liceat alio transferre ſuum ſtudium, etiam prætextu majoris boni: *Væ mihi, ſi non evangelizavero*, inquiebat Apoſtolus 1. Cor. 9. *Neceſſitas enim mihi incumbit*, ex divina ſcilicet vocatione. Denique firma ſpe recreatur ſe accepturum largam mercedem, quam paterfamilias iis promiſit, qui ſtrenue laboraverunt in ejus vinea. Porro quis felicem non æſtimet ejuſmodi Sacerdotem, præſertim ſi conferatur cum altero, qui divina vocatione non prælucente immiſcuit ſe ſacris miniſteriis? Is quippe ineptus eſt huic vitæ generi, utpote qui ad illud non ſit a Deo conditus, nec promotus; hinc animus ejus ad aliud propendet, ardua ſunt illi munia Sacerdotalia, ex iis, quæ poteſt, prætermittit vel ſocordia, vel prudentia carnis, & timore mundano; cetera ægre ac perfunctorie exequitur, adverſis facile dejicitur, & multa, quæ vocatis facilia ac delectabilia ſunt, ipſi videntur impoſſibilia, quia Deus non novis obreptos, multo minus in tutelam ſuam recipit, quin eorum miniſteria repudiat utpote illicite & ipſo repugnante uſurpata, propter quæ non præmium, ſed ſupplicium manet.

CA-

CAPUT II.

De Electione Miniſtrorum Eccleſiæ.

AGimus hic de divina vocatione in executione ſpectata, quæ dici poteſt vocatio exterior & miniſterialis, per illam quippe hominum miniſterio is ex ordine Laicorum aſſumitur & divinis officiis mancipatur, quem Deus ab æterno ad ejuſmodi munus elegit.

Tria autem in electione ſpectanda ſunt. 1. poſtulatio, ut quis præ aliis aſſumatur ad munus Sacerdotale; 2. ſuffragia & conſenſus in illum, qui poſtulatur: 3. conſecratio, qua quis actu & de facto conſtituitur Miniſter Eccleſiæ. De conſecratione Miniſtrorum Eccleſiæ ſatis ſuperque diximus prima parte cap. 3. ubi adverſus Novatores aſſeruimus Ordinationem eſſe Sacramentum novæ legis: & cap. 8. ubi probavimus ſolum Epiſcopum eſſe Ordinationis Miniſtrum. Circa poſtulationem nulla fere difficultas; certum enim eſt eum, qui poſtulatur, debere rejici, ſi ſit indignus, & alium ejus loco eſſe eligendum. Præcipua controverſia eſt de ſuffragiis, in quibus proprie conſiſtit electio, circa quam quæritur 1. utrum ſit neceſſaria: 2. a quibus fieri debeat, & quinam jus habeant ſuffragii. Itaque

Q. 1. *Eſtne neceſſaria electio Miniſtrorum Eccleſiæ?*

Negarunt Wiclefus & Joannes Hus hocce falſo ratiocinio ducti, quod ſoli prædeſtinati poſſint eſſe Paſtores Eccleſiæ: atqui prædeſtinati ſunt ſoli Deo noti: Ergo ſolus Deus poteſt eligere Paſtores Eccleſiæ. Contra quem abſurdum errorem

R. Cum omnibus Catholicis. Præter internam Dei electionem neceſſaria eſt exterior, quocunque tandem modo fiat.

Probatur 1. ex Concilio Conſtantienſi, in quo ſeſſ. 8. duæ ſequentes Wiclefi propoſitiones proſcriptæ ſunt, 1." Si Papa ſit præſcitus, & malus, non habet

" pote-

„ poteſtatem ſuper Fideles. 2. Electio Papæ a Cardi-
„ nalibus per diabolum eſt introducta. *Et ſeſſ.* 15.
„ *rejicitur vigeſimus ſecundus articulus Joannis Hus, in*
„ *quo ſic habet*: Papa, vel Prælatus malus & præſci-
„ tus, eſt æquivoce Paſtor. *Et vigeſimus ſextus*, non
„ eo ipſo, quo electores, vel major pars eorum con-
„ ſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum in per-
„ ſonam aliquam, eo ipſo perſona eſt legitime electa.

Probatur 2. ex perpetua Eccleſiæ Traditione, cujus teſtimonia proferentur in reſponſione ad ſequentem quæſtionem.

Probatur 3. ratione; tum quia vel ex ipſo Judæ exemplo patet falſum eſſe a Deo non eligi, niſi prædeſtinatos, tum quia niſi Paſtores declarentur aliquo ſigno exteriori, æque nobis eſſent ignoti, ac prædeſtinati: ſignum autem exterius vel eſt miraculum, vel electio; non miraculum, cum rara ſint miracula, & ſupra naturalem rerum ordinem, promotio vero Sacerdotum frequens ac quotidiana, nec ſoleat Deus miraculis declarare quinam ex poſtulatis ad munus Sacerdotale, ſit reprobatus aut prædeſtinatus: Ergo per ſolam electionem legitimam innoteſcit, quos Deus vocaverit ad munus Sacerdotale.

Dices: Sortibus manifeſtatur interior Dei vocatio: S. Mathias Act. 1. hac via declaratus eſt Apoſtolus, quia, ut habetur Prov. 16. *Sortes mittuntur in ſinu, a Domino autem temperantur*: Ergo.

Nego antec. quia cum in uſu ſortium omnia, cæco caſu & quaſi jacta ales eveniant, digni & indigni indiſcriminatim aſſumerentur in Sacerdotes ac Paſtores. Unde merito c. *Eccleſia*, tit. *de ſortilegiis*, prohibetur uſus ſortium in electionibus. Nec obſtat exemplum S. Mathiæ: *namque*, ut refertur ex Venerabili Beda cauſſa 16. qu. 2. cap. 4. *non exemplo Mathiæ, vel quod Jonas Propheta ſorte deprehenſus ſit, indifferenter ſortibus eſt credendum, cum privilegia ſingulorum, ut Hieronymus ait, communem legem facere non poſſunt*, hoc eſt, etſi divina virtus aliquando per miraculum præfuerit ſortibus, ne exirent præter æquitatem & rectam rationem, ſuperſtitioſum tamen eſt & peccatum,

quod

quod vulgo dicitur a Theologis tentatio Dei; data qualibet occaſione ejuſmodi miraculum expectare ex uſu ſortium, cum nullibi Deus id promiſerit; nam laudato capite 16. Proverbiorum, Salomon hoc unum docet, nimirum omnia ſubeſſe generali providentiæ, ita ut quæ nobis ſunt fortuita, ea Deus præviderit, ordinaverit, ac moderetur. Sed inde non ſequitur Deum ſpeciali providentia impedire concurſum cauſſarum ſecundarum, ſecundum quem ſors ſæpe deerat. Quare recta ratio exigit, ne res magni momenti, ut electiones Miniſtrorum, ſorti permittamus, quando ſcit, & prudenter tractari poſſunt: quod ſi ex præficiendis humano judicio diſcerni nequeat, quis ſit præferendus, cum pares videantur ſanctitate & doctrina, ut Matthias & Barſabas, licitus erit ſortium uſus; tum quia nullum eſt periculum, quoquomodo ſors exeat; tum quia non tentatur Deus, cum id ab eo requiritur, quod humano judicio declarari non poteſt. Hinc hæreditas ſorte inter fratres licite dividitur.

Q. 2. *A quibus eligendi ſunt Paſtores, & ceteri Eccleſiæ Miniſtri?*

R. Varia fuit diſciplina circa Miniſtrorum Eccleſiæ electiones; nam ad duodecimum uſque ſæculum in electionibus, præſertim Epiſcoporum, ut plurimum expectabantur voces ac ſuffragia Cleri & plebis: a duodecimo autem ſæculo mutata eſt diſciplina. Conſtat reſponſio ſequentibus teſtimoniis.

Sanctus Cyprianus cum ſuis collegis ſic ſcribit epiſtola 68. ad Eccleſiam Aſturicam in Hiſpania, „ Plebs „ obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, „ a peccatore Præpoſito ſeparare ſe debet . . . cum „ ipſa maxime habet poteſtate vel eligendi dignos „ Sacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum „ videmus de divina auctoritate deſcendere, ut Sa„ cerdos plebe præſente, ſub omnium oculis diliga„ tur, & dignus atque idoneus publico judicio, ac „ teſtimonio comprobetur. „ Atqui in eam rem S. Martyr profert Scripturæ teſtimonia; nam Numerorum 2. Deus jubet Eleazarum coram omni Synagoga conſtitui Sacerdotem: & Act. 1. Petrus convocat multi-

tudinem ad electionem ſancti Mathiæ in locum Judæ. Et cap. 6. ſeptem Diaconi electi ſunt communi Fidelium ſuffragio. „ Propter quod, *pergit S. Doctor*, diligenter de Traditione divina, & Apoſtolica obſervatione, ſervandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque & fere provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpoſitus ordinatus Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente. „

Concilium Carthaginenſe quartum can. 1. *Cum conſenſu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciæ Epiſcoporum . . . ordinetur Epiſcopus.*

Sanctus Leo teſtatur eundem morem ſua ætate, hoc eſt, ſæculo quinto, in Eccleſia viguiſſe; ſic enim ſcribit epiſt. 84. *Omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate diſcuſſa, ex Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur.*

Hincmarus epiſt: ad Carolum Calvum tom. 2. Conciliorum Galliæ; *ſed & Laici nobiles*, inquit, *ac cives adeſſe debebunt, quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.*

Concilium Remenſe anno 981. ſic habet: „ Nos Epiſcopi Remorum Diœceſeos favore & conniventia utriuſque Principis noſtri Domini Hugonis Auguſti, & excellentiſſimi Regis Roberti, aſſenſu quoque eorum, qui Dei ſunt in Clero & populo, eligimus nobis Archiepiſcopum Abbatem Gerbertum.

Paſchalis II. ſæculo duodecimo ep. 24. *Electus*, inquit, *a Clero & populo, non conſecratur niſi a Rege inveſtiatur.*

Dixi in reſponſione, ad electiones Miniſtrorum Eccleſiæ uſque ad duodecimum ſæculum expectatum fuiſſe conſenſum Cleri & plebis, ut plurimum. Quia 1. Sanctus Cyprianus laudata epiſtola innuit hancce electionis formam alicubi non fuiſſe obſervatam, *quod apud nos quoque*, inquit, *& fere Provincias univerſas tenetur*. 2. violentiæ & tumultus, quæ identidem electiones turbabant, mutationis occaſionem præbuerunt. Hinc Concilium Laodicænum can. 13.

Non

Non eſt permittendum turbis, inquit, *electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi*. Et Sanct. Martinus in Concilio Romano can. 1. idem ſtatuit: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur; ſed in judicio Epiſcoporum ſit, ut ipſi eum probent*.

Sanctus Gregorius Auguſtinum elegit Anglorum Epiſcopum: ipſe vero Auguſtinus alios ſolus elegit, ex Joanne Diacono in vita Sancti Gregorii.

Concilium Toletanum duodecimum an. 681. Regibus Hiſpaniæ jus conceſſit eligendi Epiſcopos: ſic enim habet can. 6. „ Placuit omnibus Pontificibus „ Hiſpaniæ, ut ſalvo privilegio uniuſcujuſque Pro„ vinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici „ quoſcunque regalis poteſtas elegerit, & jam dicti „ Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, „ in quibuslibet Provinciis in præcedentium ſedibus „ præficere Præſules.

Verum cum plures magis gratia Principum, quam meritis Dignitates Eccleſiæ ambirent, Concilium Nicænum ſecundum hujuſce ambitus vias intercludere cupiens, ſic ſtatuit can. 3. *Omnis electio Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, a Principibus facta, irrita maneat ſecundum Regulam*, nempe canonem 31. Apoſtolorum, in quo idem prohibetur, ſicut & can. 28. Concilii octavi generalis.

A duodecimo ſæculo nova electionis forma præſcripta eſt anno 1215. in Concilio Lateranenſi quarto, cap. „ Quia propter, *tit.* de electionibus: Quia pro„ pter diverſas electionum formas, *inquiunt Patres*; „ quas quidam invenire conantur, & multa impedi„ menta proveniunt, & magna pericula imminent Ec„ cleſiis viduatis, ſtatuimus, ut cum electio fuerit „ celebranda, præſentibus omnibus, qui debent & vo„ lunt, & poſſunt commode intereſſe, aſſumantur tres „ de Collegio fide digni, qui ſecrete & ſigillatim vo„ ta cunctorum diligenter exquirant ... vel ſaltem eligen„ di poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vi„ ce omnium Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore; ali„ ter electio facta non valeat, niſi forte communiter eſſet

„ ab

„ ab omnibus quaſi per inſpirationem abſque vitio „ celebrata. „ Hic excluſis Laicis aſſeritur Epiſcopi electio ſoli Clericorum Collegio, ſeu Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, qui via ſcrutinii procedere debent; alioquin electio irrita declaratur, niſi Canonici in aliquam perſonam ſtatim quaſi per inſpirationem conveniant, ob ſingularia ejus merita, quo in caſu electio viva voce fieri poteſt.

Anno 1448. Nicolaum V. inter & Fridericum III. Imperatorem inita ſunt Concordata pro natione Germanica, in quibus electiones Epiſcoporum conſervantur Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, ita tamen ut electorum confirmatio & proviſiones pertineant ad ſummum Pontificem, adjectis nonnullis conditionibus & exceptionibus, quas referre non eſt noſtri inſtituti.

Leo quoque X. ann. 1516. iniit Bononiæ cum Franciſco I. Francorum Rege Concordata, poſtmodum confirmata in Concilio Lateranenſi quinto, ubi abrogantur electiones Epiſcoporum Galliæ, juſque eos nominandi Regi tribuitur; ea tamen conditione, ut Bullæ & Proviſiones darentur a Pontifice Romano, penes quem eſſet poteſtas eos repudiandi, qui carerent debitis dotibus, & niſi Rex Chriſtianiſſimus alium in repudiati locum nominaret intra ſpatium trium menſium, nominandi facultas ad Papam devolveretur.

Q. 3. *Electio Miniſtrorum Eccleſiæ pertinetne jure divino ad Clerum & plebem?*

Affirmant Pſeudoreformati; ſic enim ſcribit Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 3. „ Habemus, *inquit*, eſſe „ hanc legitimam ex verbo Dei Miniſtri vocationem, „ ubi ex populi conſenſu & approbatione creantur, „ qui viri fuerint idonei. Præeſſe autem electioni debere alios Paſtores, ne quid vel per levitatem vel „ per mala ſtudia, vel per tumultum a multitudine „ peccetur. „ Similia habet Lutherus de poteſtate Papæ, contra quem errorem

R. De fide eſt, jure divino non requiri conſenſum populi ad electionem ſeu ad ordinationem Miniſtrorum

rum Eccleſiæ ; ita enim definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 7. „ Si quis dixerit ..... Ordines „ ab ipſis (*Epiſcopis*) collatos ſine populi , vel po- „ teſtatis ſæcularis conſenſu aut vocatione , irritos „ eſſe ; anathema ſit . *Et can.* 8. Si quis dixerit , „ Epiſcopos , qui auctoritate Romani Pontificis aſſu- „ muntur , non eſſe legitimos & veros Epiſcopos , „ ſeu figmentum humanum , anathema ſit . „

Probatur 1. argumento ad hominem , ut ajunt . Adverſarii docent verbum divinum in Sola Scriptura contineri ; atqui nullum Scripturæ textum proferre poſſunt , in quo præcipiatur convocare populum ad electionem Miniſtrorum Eccleſiæ : Ergo .

Habemus ex Scriptura , inquiunt , Apoſtolos convocaſſe multitudinem ad electionem ſancti Mathiæ Act. 1. & ſeptem Diaconorum Act. 6.

Contra 1. in iis textibus nullum invenitur præceptum ; ſed exemplum dumtaxat ; quod Eccleſia imitata eſt , quandiu potuit ſine incommodo , ut conſtat ex dictis in præcedenti reſponſione . 2. Nec populus , nec Apoſtoli ipſi elegerunt S. Mathiam , ſed Deus ſolus : *oſtende* , inquiunt , *quem elegeris ex his duobus unum*. Electionem vero ſeptem Diaconorum ab Apoſtolis commiſſam fuiſſe fideli populo declarat ſacer textus : *Conſiderate ergo* , *Fratres* , inquiunt Apoſtoli , *viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem* . Unde Sanctus Chryſoſtomus hom. 3. in Acta : *Quid? annon , licebat ipſi Petro eligere? Licebat , & quidem maxime , verum id non fecit , ne cui videretur gratificari* .

Inſtant : atqui ex S. Cypriano , in hujuſmodi textibus continetur divinum præceptum : *Videmus* , inquit cit. 68. epiſt. *de divina auctoritate deſcendere , ut Sacerdos , plebe præſente , ſub omnium oculis deligatur* : Ergo .

Nego ſubſumptum , quia deſcendere ex auctoritate divina idem non eſt , ac deſcendere ex præcepto divino ; conſilia quippe Evangelica divinam habent auctoritatem , non præceptum . Quod autem ſanctus Cyprianus per auctoritatem divinam nihil aliud hic intelligat , quam divinum exemplum , patet 1. quia

eo

eo loci in confirmationem ſuæ ſententiæ profert electionem Eleazari, quæ quidem celebrata eſt congregata multitudine, ſed ſine ejus ſuffragiis, ut conſtat ex capite 20. Numerorum. 2. quia S. Martyr in eadem epiſtola monet conſenſum plebis non ubique requiri in electionibus. Forte ob oculos habebat quod ſcribit Sanctus Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium; nempe Epiſcopum Alexandriæ electum fuiſſe a Presbyteris uſque ad Heraclam & Dionyſium, qui S. Cypriano fuerunt coætanei: Ergo non exiſtimavit Sanctus Cyprianus jure divino Miniſtros Eccleſiæ eligendos eſſe a populo; quæ enim ſunt juris divini, ea ubique ac ſemper obſervavit Eccleſia.

Probatur 2. ex Traditione; namque 1. certiſſimum eſt Apoſtolos & eorum diſcipulos non requiſiiſſe conſenſum Magiſtratuum & plebis, quoties eligendi & conſecrandi eſſent Eccleſiæ Miniſtri; cum tunc temporis Principes, Magiſtratus, & populi Chriſtianam Religionem nondum amplexi fuiſſent: iis ergo inſciis præficiebantur Paſtores, a quibus Religionis myſteria edocerentur; ſic S. Athanaſius, ex Rufino libri 10. Hiſtoriæ capite 9. Frumentium creavit Indorum Epiſcopum, ipſis Indis ea de re nihil ſcientibus, neque cogitantibus. 2. Conſtat ex præcedenti reſponſione variam fuiſſe diſciplinam circa Miniſtrorum electiones: aliquando vota Laicorum ad eas fuiſſe audita, vel etiam expetita: aliquando neglecta, propter turbulentiſſimas commotiones, ut ſcribit ſanctus Auguſtinus epiſt. 213. alias 110. & epiſt. 226. alias 225. quæ motiones in deſignando Epiſcopo Mediolanenſi eo proruperunt, ex Rufino lib. 11. Hiſtoriæ cap. 11. ut ubi multorum pararent exitium; & in electione ſancti Damaſi ſummi Pontificis 137. homines in templo necati fuerint, ex eodem Rufino lib. 11. Hiſtoriæ cap. 11. atqui quod eſt Traditionis divinæ, ſemper & ubique ab omnibus obſervatum eſt: Ergo.

C A P U T III.

An, & quæ ſcientia & ſanctitas requirantur in iis qui ſacris Ordinibus initiantur?

R. 1. **E**Xtra controverſiam ſcientia eſt omnino neceſſaria in initiandis, cum ſermo divinus ignaros a Sacerdotio abſolute excludat, Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi:* & Matth. 23. *Væ vobis, duces cæci.* Concordat Jus Canonicum, C. *Illitteratos*, quod eſt Gelaſii Papæ, Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ; refertur que diſt. 36. his verbis: *Illitteratos, aut aliqua corporis parte vitiatos vel imminutos nullos præſumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia litteris carens ſacris, non poteſt eſſe aptus Officii; & vitioſum nihil Deo prorſus offerri legalia præcepta ſanxerunt.* Et C. ultimo, de temp. ordin.

Suſpenditur ad annum Epiſcopus a collatione tonſuræ, qui illitterato eam contulerit. Qua autem ſcientia inſtructi eſſe debeant, accurate expoſuimus 2. parte cap. 8. ubi plura habentur ſcitu utiliſſima ac neceſſaria, quibus nonnulla addenda de Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, qui ex inſtituto ſuo Epiſcopi adjutores ſunt, & loco præeminent toti Clero Diœceſano, ita ſcientia & moribus prælucere debent, de iis quippe ſic ſtatuit Concilium Lateranenſe quartum c. 10. & 11. „ Præcipimus, tam in Cathedralibus, „ quam in Conventualibus Eccleſiis, viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadjutores & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, „ verum etiam in audiendis confeſſionibus & pœnitentiis injungendis, ac ceteris quæ ad ſalutem pertinent animarum. „ Et Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reform. hortatur, ut „ Dignitates omnes, „ & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſiis & Collegiatis inſignibus conferantur „ tantum Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel ſaltem jure Canonico. „

Denique ſancta Synodus vult ut Canonici Eccleſiarum Cathedralium *ea morum integritate polleant, ut merito Eccleſiæ Senatus dici poſſit.*

R. 2. Certum quoque eſt ſanctitate ornatos eſſe debere, qui ſuſcepturi ſunt ſacros Ordines, quia Ordinatio eſt Sacramentum vivorum, quod præſupponit gratiam ſanctificantem in ſuſcipiente, alioquin gravis ſacrilegii reum ſe conſtitueret. Ne autem quis credat ſatis eſſe, ſi antequam ad ordinationem accedat, confeſſionem etiam generalem præmiſerit, in qua beneficio Sacramentalis abſolutionis eluerit libidinum ac peccatorum ſordes, quibus adoleſcentiam uſque ad ordinationis tempus fœde inquinavit.

R. 3. Requiritur ut Sacris ordinibus initiandus vel a Baptiſmo innocenter vixerit, vel peccati maculas deinceps contractas longa pœnitentia eluerit, qua ſolutus, ab omnibus vitioſis habitibus, & in caſtitate ceteriſque virtutibus radicatus extra morale relabendi periculum cenſeatur.

Probatur 1. ex Scriptura: Apoſtolus *ſcribens* ad Titum c. 1. ſic præſcribit quos ſeligere debeat Presbyteros & Epiſcopos: *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt,* &c. *oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem.* In quem locum merito advertit S. Auguſt. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 14. Apoſtolum non dixiſſe, presbyterum aut Epiſcopum debere eſſe ſine peccato; quia *nullus in Eccleſia recte poſſet ordinari Miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus... nullum peccatum habentes, ubi ait,* nullum crimen habentes: *multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine: ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim.* Nec dicas eum ad mentem Apoſtoli eſſe ſine crimine, qui immediate ante ordinationem omnia peccata lethalia, quibus contaminata erat ejus vita, in ſacramentali confeſſione depoſuit; namque 1. hoc ſenſu dici poſſet eſſe ſine peccato veniali, ſi ſimiliter venialia etiam omnia depoſuit. 2. Apoſtolus 1. Timoth. 3. exponit quid ſit eſſe ſine crimine: *oportet ergo,* inquit, *Epiſcopum irreprehenſibi-*

lem

ſem eſſe, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, quæ ipſi exprobrari poſſunt, ſi iis obnoxius fuiſſet ante ordinationem & præmiſſam confeſſionem; cum tamen velit Apoſtolus initiandum tutum eſſe debere ab omni opprobrio: *Oportet*, inquit, *& teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli*; hoc eſt, ne hominum probris & contumeliis pateat, ira & odio adverſus exprobrantes, vel ſaltem puſillanimitate corripiatur, quibus laqueis multos cœpit diabolus. De Diaconis pergit Apoſtolus: *Diaconos ſimiliter pudicos...., habentes myſterium fidei in conſcientia pura, & hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.*

Quod autem ad ejuſmodi probationem ſatis non ſit Candidatum in ſeceſſu per aliquot dies piis operibus vacaſſe, addit Apoſtolus, *non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli*; id eſt, non recens converſum, non in virtute rudem ac novitium, ne pereat inſtar Luciferi, qui Neophytus in cælo ſuperbiit, ideoque damnatus eſt, inquit S. Chryſoſtomus: nam ex libro de vita & moribus Clericorum c. 9. inter opera S. Bernardi, *in Clero tamquam in cælo gerens iniqua, tamquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur*, juxta illud Iſaiæ 26. *miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam facere, in terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.*

Probatur 2. ex univerſalis Eccleſiæ diſciplina, in qua hæc tria obſervamus. Primum, Neophytos ſeu nuper baptizatos, quamvis ab omni reatu peccati ſolutos, a ſacris ordinibus ſemper removit, & etiamnunc removet, utpote adhuc parvulos in Chriſto, & in virtute nondum ſatis exercitatos. Secundum, poſt Baptiſmum lapſos in aliquod flagitium etiam occultum, a Clero in perpetuum repulit. Tertium, ubi de ſua ſeveriori diſcipl'na remiſit, & lapſis poſt Baptiſmum ſanctuarii fores aperuit, nullum tamen ex iis ingredi permiſit, niſi eraſis prius vitioſis habitibus, & plurimo innocentiæ reparatæ dato ſpecimine.

De Neophytis extat canon vigeſimus Concilii Sardicenſis anno 347. in quo ſic habetur : „ Conveniens „ non eſt, nec ratio, vel diſciplina patitur, ut teme- „ re vel leviter ordinetur aut Epiſcopus, aut Presby- „ ter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt . . . ſed hi, „ quorum per longum tempus examinata ſit vita, & „ merita fuerint comprobata : *quod Sanctus Gregorius* „ *illuſtrat egregia comparatione lib.* 7. *Epiſt.* 110. „ *ad Syagrium ; referturque cap.* Sicut Neophytus, „ *diſtinct.* 48. *his verbis ;* Scimus, quod ædificati „ parietes non prius lignorum pondus accipiunt, niſi „ a novitatis ſuæ humore ſiccentur, ne, ſi ante pon- „ dera, quam ſolidentur, accipiant, cunctam ſimul „ fabricam ad terram deponant. „ Sed de Neophytis plura ubi de irregularitate paragrapho 4. Porro ſi de ſacro fonte mox renatus, quamvis novus homo in Chriſto effectus, nondum idoneus eſt ſacris Ordinibus; multo minus qui nuper in Sacramento Pœnitentiæ eſt reconciliatus, cum inde exeat tamquam ex medicina, ſanatus quidem, ſed nondum obductis peccatorum cicatricibus, & adhuc infirmus multa curatione indigens.

De lapſis poſt Baptiſmum ſtatuit Concilium Eliberitanum can. 30. „ Subdiaconum eum ordinari non „ debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit mœchatus: „ eo quod poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem „ gradum non ſit promovendus : ſi autem aliqui „ ſunt in præteritum ordinati, amoveantur. *Et Concilium Nicænum primum generale can.* 10. Quicun- „ que, *inquit*, de lapſis ad Ordinem Cleri promoti „ ſunt per ignorantiam, vel per Ordinantium diſſimu- „ lationem, hoc Eccleſiaſticæ non præjudicat regulæ ; „ cogniti namque deponuntur.

Sanctus Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Titum ſic ſcribit : „ Primum itaque ſine crimine jubetur eſſe „ Epiſcopus, quod puto alio verbo ad Timotheum, „ irreprehenſibilem nominatum : non quod eo tantum „ tempore, quo ordinandus eſt, ſine ullo ſit crimine, „ & præteritas maculas nova converſatione diluerit : „ ſed quod ex eo tempore, quo in Chriſtum renatus

„ eſt,

„ eſt, nulla peccati conſcientia remordeatur. Quomo„do enim poteſt præſes Eccleſiæ auferre malum de „medio ejus, qui in delicto ſimili corruerit, aut „qua libertate corripere peccantem poteſt, cum taci„tus ſibi ipſe reſpondeat, eadem admiſiſſe, quæ cor„ripit? „ Refertur diſt. 25. cap. *Primum*.

Siricius ſummus Pontifex epiſt. 1. de Pœnitentibus ſic habet: „ quamvis omnium peccatorum contagione „ mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramen„torum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint „ vaſa vitiorum.

Concilium Carthaginenſe quartum Can. 68. *Ex pœnitentibus*, inquit, *quamvis ſit bonus, Clericus non ordinetur*.

Rabanus Epiſcopus Moguntinus nono ſæculo epiſt. ad Heribaldum, quæ refertur cap. *de his*, diſtin. 50. diſtinxit inter peccata publica, & occulta; cenſuitque illa excludere ab Ordinibus, non vero iſta, poſtquam jejuniis & aliis bonis operibus expiata fuerint, „ qui de prædictis peccatis, *inquit*, abſcondite a ſe „ admiſſis per occultam confeſſionem coram oculis Dei „ præſente etiam Sacerdote, qui eis indicturus eſt „ pœnitentiam, confitentur, & ſemetipſos graviter „ deliquiſſe queruntur, ſi ſe per jejunia, & eleemo„ſynas, vigiliaſque, & ſacras orationes purgare cer„taverint, his etiam gradu ſervato ſpes veniæ de „ miſericordia Dei promittenda eſt.

Petrus Damiani undecimo ſæculo in libro, cui titulus, *Gomorrbianus*, inſurgit adverſus quoſdam Paſtores, quod decernerent Clericum deponendum quidem propter crimen ſodomiæ, non vero propter peccatum pollutionis. Cumque librum ſuum ſubtuliſſet examinandum Leoni nono, ſic reſpondet ſummus Pontifex: „ Proſpecta æquitatis cenſura ab omnibus immaculatæ „ Eccleſiæ gradibus tam ſacrorum Canonum, quam no„ſtro judicio depelluntur; ſed humanius agentes, eos, „ qui vel propriis manibus, vel invicem inter ſe ege„runt ſemen, & non longo uſu, nec cum pluribus, ſi „ voluptatem refrænaverint, & digna pœnitudine pro„broſa commiſſa luerint, admitti ad eoſdem gradus,

 „ in

„ in quibus in ſcelere manentes, non permanentes
„ fuerant, divinæ miſerationi conſili volumus, atque
„ etiam jubemus, ablata aliis ſpe recuperationis ſui
„ Ordinis; qui vel per longa tempora ſecum, ſive
„ cum aliis, vel cum pluribus, brevi licet tempore.

Urbanus II. eodem ſæculo in epiſtola ad Conſtantienſem Epiſcopum ſic ſcribit: „ De Presbyteris, Diaconis, „ Subdiaconis, qui poſt acceptum Ordinem in aliquo „ crimine lapſi fuerint, ſive palam, ſive clam, conſtat „ quidem canonum cenſura ab Eccleſiaſticis eos officiis „ inhiberi. Tuæ tamen providentiæ diſcretionique com„ mittimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ „ nota non fuerint aſperſi, neceſſitate Eccleſiæ urgen„ te, & ipſorum ſancta converſatione promerente, in „ ſuis gradibus recuperari debeant. Hoc autem ſecun„ dum indigentiam dico, non ſecundum imperium.

Gratianus duodecimo ſæculo relatis oppoſitis Patrum ſententiis circa quæſtionem, an conſcius alicujus criminis, ſive publici ſive occulti, rejiciendus ab Ordinibus, concludit juxta diſciplinam, quæ ſua ætate invaleſcebat: „ quorum crimina, *inquit diſt.* 50. *ad ca*„ *put* 32. manifeſta ſunt, ante vel poſt ordinationem „ a ſacris Ordinibus dejiciendi ſunt: quorum autem „ peccata occulta ſunt & ſatisfactione ſecreta ſecun„ dum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Or„ dinibus remanere poſſunt. „ Alteram viam conciliandi oppoſitos Conciliorum ac Patrum textus prius inierat poſt allatum caput vigeſimum octavum. *Domino ſancto*, in hunc ſcilicet modum: „ quicunque pro „ criminibus ſuis digne Deo pœnitentiam obtulerint, „ auctoritate Gregorii, & Auguſtini & Hieronymi, „ & Iſidori gradum priſtinæ dignitatis recipere poſ„ ſunt. Qui autem non odio criminis, ſed timore vi„ litatis (*hoc eſt ne viles & deſpecti habeantur*) vel „ ambitione honoris falſas Deo pœnitentias offerunt „ (*quod ſæpius contingit*) in priſtini honoris gradum „ reparari minime poterunt.

Ab undecimo igitur ſæculo Eccleſia indulgentius egit cum lapſis poſt Baptiſmum, & quibus aditum ad Clerum hactenus occluſerat, iis (modo occulti eſſent) de-

deinceps recluſit. Sed nunquid ſola confeſſione Sac ra mentalia ab iis præmiſſa? Audiendi ſunt Sanctus Bernardus, qui duodecimo, & Sanctus Thomas, qui decimo tertio ſæculo ſcripſerunt. Itaque

S. Bernardus rogatus a Brunone viro clariſſimo, apprime erudito (ex Othone Friſigenſi) & in Epiſcopum Colonienſem electo, num ejuſmodi electioni acquieſceret, cum hactenus vitam ad Evangelii normam non inſtituiſſet, ſic reſpondet epiſt. 8. „ Horreo, fa„ teor, ſic enim tibi, ut mihi loqui debeo quod ſen„ tio: horreo, inquam, conſiderans unde, quo voce„ ris, præſertim cum nullum intercurrerit pœniten„ tiæ tempus, per quod utcumque hujuſmodi pericu„ loſiſſimus tranſitus fiat. Et quidem rectus ordo re„ quirit, ut prius propriam, deinde alienas curare „ ſtudeas conſcientias: primus quippe pietatis gradus „ eſt de quo ſcriptum eſt; *Miſerere animæ tuæ placens* „ *Deo* (*Eccli.* 30.) ex hoc autem ad miſerandum „ proximo recto jam tramite caritas ordinata pro„ cedit; quippe quem ad ſui quiſque menſuram ama„ re præcipitur; quod ſi in hunc modum, quo te „ hactenus amaſti, & tibi committendo amatus es, „ malo ego quidem tibi non committi, quam ſic di„ ligi, ſi autem prius te diligere didiciſſes, & me „ forſitan ſcires amare. Sed quid, ſi ſuam Deus ac„ celeret tibi gratiam.; & multiplicet miſericordiam, „ & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior velox „ clementia, quam diuturna clementia?... hoc ſa„ lutis compendium ſanctus ille latro conſecutus eſt; „ ſed aliud eſt celerem adipiſci veniam peccatorum, „ aliud & de ipſis celeribus ad infulas provehi digni„ tatum... Videte tamen Matthæum de telonio ad „ Apoſtolatus culmen aſſumptum, ſed hoc me rurſum „ conturbat, quod non prius audierit cum ceteris „ Coapoſtolis ſuis. *Ite in orbem univerſum, prædicate* „ *Evangelium omni creaturæ*, quam egeris pœnitentiam „ multo labore ſequendo Dominum quocumque iret, „ permanens cum eo in tentationibus ſuis. Sed etſi, „ occurrat de Ambroſio... ſi de Saulo... non tam „ exemplum, quam miraculum, &c.

S. Thomas in Supplemento q. 36. art. 1. in initiandis eam requirit morum integritatem quam Veteres; ſic enim habet in reſponſione ad tertium: „Aliæ quæ medicinæ ſunt, quæ exigunt robur naturæ, „ alias cum periculo mortis aſſumuntur, & aliæ „ ſunt, quæ debilibus dari poſſunt: ita enim in ſpiritualibus quædam Sacramenta ſunt ordinata ad remedium peccati; & talia peccatoribus pœnitentibus „ ſunt exhibenda, ſicut Baptiſmus & Pœnitentia; „ alia vero, quæ perfectionem conferunt, requirunt „ hominem per gratiam confortatum. „ Quomodo vero debeat eſſe in gratia confortatus, exponit in corpore articuli, ex auctore Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, his verbis: „ In divino omni (*Ordine*) non eſt audendum aliis ducem fieri, niſi ſecundum omnem habitum ſuum factus ſit Deiformiſſimus, & Deo ſimillimus. „ Et art. 3. ad 3. docet ſatis non eſſe ut Prælatus neſciat in ordinando aliquid ineſſe contrarium ſanctitati; „ ſed etiam, *inquit*, exigitur amplius, ut ſecundum menſuram Ordinis, vel officii „ injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur „ certitudo de qualitate promovendorum. „ Quæ ſane certitudo haberi nequit ex confeſſione ſacramentali, ſed ex vita laudabiliter anteacta.

Nec moratur Angelicum Doctorem, quod a pleriſque ſolet objici, nimirum Eccleſiæ defuturos Miniſtros, ſi ea requiratur in initiandis perfectio, quæ a ſanctis Patribus deſcribitur, quia *Deus*, inquit in reſponſione ad primum: „ nunquam ita deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur idonei Miniſtri „ ſufficientes ad neceſſitatem plebis, ſi indigni promoverentur, & indigni repellerentur. Si non poſſent tot Miniſtri inveniri, quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos Miniſtros bonos, quam „ multos malos.

Dixi in reſponſione, ut *extra morale relabendi periculum cenſeatur*, quia etſi militia ſit vita hominis ſuper terram, ut habetur Job 7. omniſque juſtus, quemlibet ſanctitatis gradum attigerit, in aliquo ſemper verſetur peccandi periculo, dicente Apoſtolo, *qui ſe exi-*

exiſtimat ſtare, videat ne cadat, 1. Corint. 10. Et iterum, *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*, Philipp. 2. Attamen qui bono uſu, virtutis habitum comparavit, & appetitum ſub imperio rationis continuit: qui dudum expertus eſt munitum ſe continentiæ dono, & caritate flagrat, leviſſima quæque peccata pro virili evacuans, multam perſeverandi fiduciam concipit, & aliis injicit, *prædicet*, inquit Sanctus Bernardus ſerm. 18. in Cant. *ſignificet, innovet ſigna, immutet mirabilia; non eſt quo ſe immiſceat vanitas, ubi totum occupat caritas*. Contra vero quis non prævidet horrendos caſus, futura tum in ſanctuario ſacrilegia, tum in populo Dei ſcandala, ubi hodiernas aut heſternus pœnitens & annoſus peccator, libidinum ſanie tabeque adhuc fluentibus perpetuam continentiam profitetur, fortiorum munus aggreditur languidus, & cum in valetudinario ſub manu periti Medici curandus eſſet, gravem aerem ſpirat, tentationum procellis, quibus ſacer Ordo præ ceteris impetitur, temere ſe exponit, & aliorum male olentia ac tenera virtutis peſtifera vulnera curare præſumit? Quomodo tam in lubrico ſtaret infirmus? Quin in mente S. Bernardi lib. de converſ. ad Cler. c. 19. mirum ſi non caderet, & ſacratiſſimum Ordinem non dehoneſtaret: „ Non miramur, Fratres, quicumque „ præſentem Eccleſiæ ſtatum miſeremur, non miramur „ de radice colubri regulum orientem, non miramur, „ ſi vindemiat vineam Domini, qui inſtitutam a Do- „ mino prætergreditur viam, „ legem enim per Apoſtolum ſuum promulgavit: „ probentur primum, „ & ſic miniſtrent, 1. *Tim.* 3. *Et iterum cap.* 5. ma- „ nus cito nemini impoſueris, neque communicaveris „ peccatis alienis: *quæ verba S. Chryſoſtomus hom.* 16. „ *in* 1. *Tim. exponens, ait*: Quid eſt illud, *cito*: non „ ex prima probatione, nec ſecunda, nec tertia; ſed ubi „ conſideratio diuturna præceſſit, exactiſſimaque diſ- „ cuſſio, tunc imponito manus: neque enim ea res „ periculo caret; eorum, quæ ille peccaverit, tu quo- „ que pœnam dabis, qui initium dediſti etiam præ- „ cedentium delictorum. *Et S. Leo Epiſt.* 1. *alias* 87.

„ *ad Africanos* 2. „ Quid eſt, *inquit*, cito manus „ imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt „ communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qualis eſt ille, qui non meruit ordinari? „ *Et cap.* 1. ideoque æquum eſt, ut cum immeritus „ & indignus ordinatus Dignitate male ſuſcepta privetur; immerentem quoque ordinans, qui ejuſdem „ cum priori videtur conditionis & notæ, de Dignitate ſua, quam in favorem indigni male impendit, „ graduque periclitetur. *Refertur.* 1. *q.* 2. *cap.* Si qui „ Epiſcopi. „ Simile judicium in ordinantem indignos „ jam tulerat Cæleſtinus epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ; referturque C. *Tantis.* diſt. 81.

Excuſantur plerumque ordinantes, utpote qui non intueantur corda, nec videant, niſi ſpecioſa quæ foris appareant. Sed quomodo iram Dei effugient Confeſſarii, quibus Ordinum candidati pridie vel ipſo die ordinationis conſcientias occultis criminibus contaminatas exponunt, iiſque nihilominus viam ad ordinationem per abſolutionem ſternunt, quam eo conſtantius denegare deberet, quo illi inſtantius opponunt incommoda temporalia, puta infamiam, ſummam paupertiem, parentum exprobrationes, Beneficii obtenti periculum, niſi impræſentiarum ordinentur, cum vel inde ſe magis indignos prodant Ordine, ac conſequenter abſolutione? Ordine quidem, ad quem, Deo prohibente, & reclamante conſcientia, irrepere contendunt ſola ducti cupiditate, ſcilicet ut victum ex Sacerdotio quæritent, ut cæleſtia ac ſacratiſſima quæque ipſis inſerviant tanquam inſtrumenta ad terrena conquirenda, vel retinenda, vilius habentes Sacerdotium, quam famam, & alia commoda temporalia. Quis autem ſacrilegam ejuſmodi intentionem leve peccatum pronuntiabit, aut eos, qui in ipſo actu pœnitentiæ ſic in Dominum delinquunt, vere pœnitere affirmabit? Atqui abſolutionis ſacramentalis beneficium ſine gravi peccato iis non conceditur, qui pœnitentiam offerunt manifeſte falſam. Ergo qui poſt male actam vitam

di-

dignos pœnitentiæ fructus non oſtendunt, & nihilominus ſolo metu temporalis incommodi abſolutionem efflagitant, ut ſtatim ad ſacros Ordines irruant, indignos ſe produnt tum Ordine, tum abſolutione, *qui timore vilitatis, vel ambitione honoris falſas Deo pœnitentias offerunt*, inquiebat ſupra Gratianus, *in priſtini honoris gradum recuperari minime poterunt*.

Sed occurrit difficultas, propter quam ex diverſis Provinciis identidem conſilium quæritur in ſacra noſtra Facultate, nimirum; quod temporis ſpatium requiratur ad idoneam eorum probationem, qui poſt Baptiſmum in occulta præſertim carnis crimina prolapſi ſunt, priuſquam ad ſacros Ordines legitime promoveantur?

1. Noſtra & Collegarum noſtrorum fuit iſthæc reſponſio, lapſis omnibus idem non poſſe prædefiniri tempus, propter varias tum criminum, tum perſonarum, tum ipſiuſmet pœnitentiæ circumſtantias. Alii quippe lapſi ſunt ante ordinationem, cum eſſent adhuc Laici: alii poſt aliquem Ordinem ſuſceptum, rurſuſque omnes illi vel ſemel vel frequenter Baptiſmum aut Ordinem macularunt, alii denique vel acri cordis dolore perculſi, laborioſis pœnitentiæ exercitationibus ſtrenue incumbunt, carnemque cum vitiis ejus & concupiſcentiis crucifigunt; vel ſegniter hiſce officiis defunguntur; quid liceat aut non liceat, nullatenus vero quid ſibi expediat, ſcrupuloſe expendunt, arbitrati ſatis ſibi eſſe, ſi ab illicitis abſtineant.

2. Qui ſemel aut raro admodum prolapſi ſunt, & eos pœnitentiæ fructus, quos jamjam expoſuimus, proferunt magnam ſpem injicientes futuros ſe Eccleſiæ utiles, non indigent probatione tamen longa, pœnitentia quippe minus ex temporis diuturnitate æſtimanda eſt, quam ex cordis dolore, & multiplici bonorum operum fructu.

3. Qui pravos mores imbuerunt, ſive ex longa peccandi aſſuetudine, ſive ex natura prona in libidines, ita ut repagula a Confeſſario eorum cupidinibus oppoſita interdum perſtringant, ad urbes refugii, nempe conjugium confugere ſuadebit Confeſſarius, auctore

ctore ſancto Bernardo lib. de converſione ad Clericos cap. 19. ,, Utinam, *inquit*, magis turtim inchoaturi ,, ſedentes computarent, ne forte ſumptus non ha-,, berent ad perficiendum: utinam qui continere non ,, valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cæli-,, batui nomina dare vererentur. Sumptuoſa ſiquidem ,, turris eſt, & verbum grande, quod non omnes ca-,, pere poſſunt. Eſſet autem ſine dubio melius nube-,, re, quam uri, & ſalvari in humili gradu fidelis ,, populi, quam in Clerici ſublimitate & deterius vi-,, vere, & diſtrictius judicari. Multi enim non qui-,, dem omnes, ſed tamen multi . . . . libertatem, ,, in qua vocati ſunt, in occaſionem carnis dediſſe ,, videntur, abſtinentes remedio nuptiali, & in omne ,, flagitium defluentes. Parcite, obſecro, Fratres, ,, parcite animabus veſtris: parcite ſanguini, qui ef-,, fuſus eſt: horrendum cavete periculum: ignem, qui ,, paratus eſt, declinate.

Idem eſto judicium de iis, qui non tam ex habitu peccant, quam ex innata ingenii levitate, ad omnem auram mobiles, eorumque mores induunt, ſive bonos, ſive malos, quorum conſuetudine utuntur: in Seminario verbi gratia per annum ſe continuerunt, lucentes non ſuo, ſed ſodalium lumine; & ad ſuo reverſi prima occaſione data in malum corruunt. Qui enim *ita* a natura ſunt inſtituti, nullum ſingularis doni continentiæ, ac ſtabilis propoſiti ſpecimen date poſſunt; nec proinde ad Ordines admitti debent. Quod ſi malo fato jam inveniantur initiati ſacro Subdiaconatus aut Diaconatus Ordine, ipſis auctor erit Confeſſarius, ut in Monaſterium tanquam ad unicum ſalutis portum, ſe recipiant: hoc enim pœnitentiæ genus Concilium Toletanum quartum c. 29. & alia præſcribunt Clericis, qui propter flagitia a ſacris miniſteriis repellebantur; æquum quippe eſt, ut qui ſe ipſos regere nequeunt, diſciplinæ fræno coerceantur.

Dicent fortaſſis illud vitæ genus non debere aſſumi ſine Dei vocatione, quam ſibi deeſſe index eſt adverſus animus ab ejuſmodi inſtituto. At nonne divina vocatio æque, ne dicam magis, neceſſaria eſt ad Sacerdota-

dotale officium, ad quod tamen ipſos non vocari indubitata ſigna demonſtrant? Præterea Deus vult omnes ad Pœnitentiam converti, nolens aliquos perire, 2. Petri cap. 3. v. 9. ad Sacerdotium vero non omnes vocat, ſed ex omnibus pauciſſimos eligit: atqui vera pœnitentia non agitur, niſi crimen deferatur: non deſerent autem propter innatam infirmitatem, niſi a ſæculo recedant: ergo quod firmis eſt liberum & meri conſilii, ipſis utpote infirmis evaſit remedium neceſſarium. Denique non Spiritus Dei, ſed cupiditas & duritia cordis animum a diſciplina regulari torqueat ad Dignitates Eccleſiaſticas; ſi enim punguntur pœnitentiæ aculeis, ut oportet, indignos ſe ſacris Ordinibus pronuntiabunt, nec acquieſcent ſe ad eos promoveri, ſed ſeceſſum ſponte petent recogitaturi annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ.

4. Qui præclara naturæ munera in injuſtitia detinuerunt, ac inſuper Baptiſmum, forte etiam ſacrum Ordinem, ſæpius contaminarunt, Deo exoſi, prævaricationem prævaricationi addentes, magna & longa indigent Confeſſarii cura. Namque 1. placandi eſt Deus lacrymis, Jejuniis, & aliis pœnitentiæ exercitationibus: 2. evellendi vitioſi habitus: 3. inferendæ ac fovendæ virtutes, donec altis defixæ radicibus nulla vi labefactari queant, induanturque bonorum operum fructibus: 4. mundandum cor ab omni terreno affectu, ut pœnitens (ſi ad ſacrum Ordinem promoveatur) non ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti ſolummodo quærat.

His Conditionibus Urbanus II. ſupra laudatus facultatem concedit Epiſcopo diſpenſandi cum ejuſmodi lapſis. Cum autem juxta hodiernam diſciplinam iſta facultas ad Confeſſarios delata ſit, nec recurratur ad Epiſcopum pro criminibus occultis, Confeſſarius, ut ſit fidelis diſpenſator, præ oculis habeat verba Summi Pontificis tamquam ſibi dicta, & ideo hic repetenda: *Tuæ providentiæ diſcretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamia notis non fuerunt aſperſi, neceſſitate Eccleſiæ urgente*, & ipſorum ſancta converſatione promerente, *in ſuis gradibus recipe-*

CAPUT IV.

De cælibatu ſtatui Clericorum annexo.

DE voto generatim ſpectato diſſeruimus Tractatu de Religione tom. 4. ubi adverſus Pſeudo reformatos demonſtravimus votum eſſe actum honeſtum ac laudabilem. Hic circa legem perpetuæ continentiæ ſtatui Clericorum annexam ſpeciatim inquirendum: 1. an ſit contraria juri naturali, vel divino: 2. an ſit a Chriſto ſancita: 3. an ſemper in Eccleſia viguerit: 4. an ad omnes Clericos, etiam inferiores, ſe extendat: 5. an expediat, ſitque Miniſtris Eccleſiæ conſentanea. Itaque

Q. 1. *Lex perpetuæ continentiæ eſtne contraria juri naturali aut divino?*

Affirmavit Wicleffus, referente Thoma Valdenſi tom. 2. de Sacram. cap. 128. & 129. & tom. 3. de Sacramentalibus cap. 66. & 67. Eum ſecuti ſunt Lutherus l. de abroganda Miſſa, & ejus aſſeclæ, ac præſertim Magdeburgenſes centuria 11. cap. 7. ubi dicunt hanc eſſe hæreſim maxime peſtiferam omnium, quæ unquam Chriſtianum regnum perturbarunt: Calvinus quoque lib. 4. Inſt. cap. 12. §. 23. Hujuſce erroris fundamenta jecerat Jovinianus 4. ſæculo, qui docuit virginitatem non præſtare matrimonio; unde quædam Sanctimoniales nupſerunt, ut refert S. Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 82. Adverſus autem ejuſmodi errorem

R. Cum omnibus Catholicis: Lex perpetuæ continentiæ non adverſatur juri naturali, aut divino.

Prob. 1. ex Scriptura 1. Cor. 7. ait Apoſtolus v. 7. *Volo enim vos omnes eſſe ſicut meipſum*, hoc eſt cœlibem, v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. Et v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis;* atqui Apoſtolus conſilium non dedit adverſus jus naturale aut divinum:

ergo

ergo virginitas ſeu cœlibatus non adverſatur juri naturali & divino his verbis expreſſo, ut contendunt Adverſarii, *Creſcite & multiplicamini*. Gen. 1. Hæc quippe verba enunciata ſunt propter genus humanum univerſim ſpectatum, quod generatione erat propagandum, vimque habent præcepti dumtaxat, ubi ſine conjugio genus humanum deficeret, ut in mundi exordio, & tempore diluvium proxime ſequente, alioquin Beata Virgo, S. Joſeph, S. Joannes Baptiſta, ac plures alii, quin & ipſe Chriſtus Dominus adverſus ejuſmodi præceptum deliquiſſent.

Nec dicas, Apoſtolum laudato capite nullam de cœlibatu legem condere, ſed conſilium ſolummodo dare, utpote qui nullum hac de re præceptum a Domino accepiſſet. Neque enim Eccleſia cogit quemquam ad amplectendum ſtatum, cui cœlibatus annexus ſit. Sed ſicut idem Apoſtolus 1. Tim. 5. v. 12. ſcribit mulieres aſtringi continentiæ voto, quod libere emiſerunt, eaſque eſſe damnationi obnoxias, ſi illud violaverint; ita Eccleſia eos, qui libere ſtatum Clericalem amplexi, perpetuam continentiam profitentur, cogit in propoſito manere, nuptiaſque ipſis interdicit. Unde non aliter Miniſtros ſuos ad ſervandam continentiam aſtringit, quam herus, qui conjugatos in familiam ſuam non admittit, vultque domeſticos ſuos omnes eſſe cœlibes.

Prob. 2. ex Traditione Eccleſiæ, quæ hucuſque a tempore Apoſtolorum Miniſtros, ſaltem majores, non admiſit, niſi perpetuam continentiam profiterentur, ut ex ſequentibus reſponſionibus patebit: atqui Eccleſia eſt fidelis cuſtos divinorum mandatorum, nec poteſt quidquam iis contrarium inſtituere: Ergo.

Dices: Apoſtolus cit. cap. 7. 1. ad Cor. v. 2. præcipit ut *propter fornicationem ... unuſquiſque ſuam uxorem habeat*. Et 1. Timoth. 3. Vult eligi Epiſcopum ſeu Presbyterum unius uxoris virum, ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate: ergo lex cœlibatus pugnat contra legem divinam.

Nego conſequentiam, quam Lutherus & alii Novatores

tores immerito eruunt ex antecedente, namque 1. Apoſtolus 1. Cor. 7. alloquitur, interprete S. Hieronymo, conjugatos, quos vult in vocatione ſua permanere, nec fraudare ſe invicem, niſi forte ex conſenſu, ut vacent orationi. Sed detur, quod de innuptis agat, certum eſt nuptias ipſis non præcipere, ſed ſolum permittere: alias ſibi ipſi repugnaret, utpote qui v. 8. & ſequentibus, cœlibem vitam conſulat 2. epiſtolæ 1. ad Tim. cap. 3. mens Apoſtoli non eſt, ut a Sacerdotio rejiciantur cœlibes, aut qui duxerunt uxores ſteriles, ſed ſolum bigami. Audiatur S. Chryſoſtomus prologo in primam epiſtolam ad Timotheum, in quo ſic habet, *quod ſi dixerat*: filios habentem ſubditos, & unius uxoris virum; „ non idcirco ait, quaſi ne„ ceſſarium ſit & uxorem habere, & filios. Ceterum „ ſi quando contingerit ex ſæculi hominibus aliquem „ ad ejuſmodi Ordinem provehi, talem eſſe præcipit, „ qui & domui præeſſe, & filiis, & omnibus reliquis „ ſciret, nam qui, cum ſæcularis eſſet, in eis inu„ tilis repertus, quæ ad hanc rem familiarem neceſ„ rio pertinent, quo pacto illi cura Eccleſiæ, regi„ menque permittitur?

Inſtabis: conſtat ex cap. 9. primæ ad Corinthios, omnes Apoſtolos fuiſſe conjugatos, uxoreſque ſuas exemplo Moyſis ſecum circumduxiſſe, *Numquid*, inquit Apoſtolus, *non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut ceteri Apoſtoli?* Ergo.

Nego antecedens, per mulierem enim ſororem Tertullianus lib. de monogamia capite 8. S. Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum, & alii interpretes in hunc locum, intelligunt mulieres religioſas, quæ ſequebantur Apoſtolos, iiſque miniſtrabant, ſicut & Chriſto Domino, dum in terris ageret. Enimvero una eſt Sanctorum Patrum ſententia, Apoſtolos a Chriſto vocatos dimiſiſſe uxores, ſi prius habuerant, colligiturque ex Matthæi 19. ubi Chriſtus Petro pro ſe & condiſcipulis interroganti, quæ foret eorum merces, qui omnibus dimiſſis eum fuerant ſecuti, reſpondet: *Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim . . . & omnis, qui reliquerit domum . . . . . aut uxorem,*

aut

aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipies.

Dixi, *ſi uxores prius habuerant*, communis enim eſt ſententia, omnes Apoſtolos, præter Beatum Petrum (quem habuiſſe ſocrum refert Matthæus capite 9.) vocatos fuiſſe cœlibes. Nec veriſimile eſt, quod ſcribit Sanct. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, S. Paulum ante vocationem nuptias contraxiſſe; cum S. Lucas Act. 7. v. 55. narret eum fuiſſe adoleſcentem, quando paſſus eſt Stephanus, & anno proxime ſequenti a Chriſto vocatus fuerit. Sed quidquid ſit, idem Sanctus Clemens citato loco aſſerit, non poſt vocationem non adhæſiſſe uxori; quemadmodum ipſemet Apoſtolus teſtatur 1. Cor. 7. ubi optat Corinthios ſuo exemplo cœlibem vitam ducere: *volo autem*, inquit, *omnes vos eſſe ſicut meipſum*.

Inſtabis iterum: Hæbr. 13. v. 4. præcipit Apoſtolus, ut nuptiæ in omnibus ſive Laicis, ſive Clericis, honorentur: ait enim, *honorabile connubium in omnibus*; ergo Eccleſia Romana contra præceptum Apoſtoli damnat Clericorum ac Monachorum nuptias.

Nego anteced., & conſequentiam: Apoſtolus enim eo loci per vocem: *omnibus*, non denotat perſonas, ſed res ipſas, adeo ut ſenſus ſit, ſecundum S. Chryſoſtomum & alios Interpretes, in omni re conjugali ſervetur honeſtas & decentia, nec thorus conjugalis ulla macula contaminetur, quia *fornicatores*, ut ſubjicit Apoſtolus, & *adulteros judicabit Deus*.

Q. 2. *Cœlibatus eſtne jure Divino annexus ſtatui Clericorum?*

Affirmant nonnulli e Catholicis, ut Turrianus, ſed contra communem Theologorum ſententiam, juxta quam

R. Cœlibatus jure divino non eſt annexus Clericorum ſtatui, ſed ſolum jure Apoſtolico, ſeu Eccleſiaſtico.

Prima pars, quæ eſt de jure divino, probatur 1. argumento negativo, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione jus illud colligitur. 2. poſitive, quia quæ ſunt juris divini, ea ſunt fixa & immutabilia; nec

nec iis Eccleſia unquam derogat : atqui Eccleſia ali-quando immutavit cœlibatus diſciplinam : Ergo.

Minor probatur.

Concilium Ancyranum anno 314. can. 9. permittit Diaconis, qui continere noluerint, uxores ducere. Verba ejus ſunt ; „ Diaconi quicumque ordinantur, ſi „ in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt vel-„ le ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſ-„ ſunt ; hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſte-„ rio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licen-„ tiam dederit. Quicunque ſane tacuerint, & ſuſce-„ perint manus impoſitionem, profeſſi continentiam, „ & poſtea nuptiis obligati ſunt, a miniſterio ceſſare „ debeant. „

Socrates lib. 1. Hiſtoriæ cap. 11. & Sozomenus lib. 1. cap. 23. referunt, Paphnutium in Concilio Ni-cæno primo generali obſtitiſſe Patribus, qui novam legem cœlibatus Diaconis, Presbyteris, & Epiſcopis imponere volebant ; obtinuiſſeque, ut juxta veterem Eccleſiæ Traditionem, poſt ordinationem uxores non ducerent ; ſed liberum eis eſſet iis uti, quas ante le-gitime duxerant. Baronius quidem, Bellarminus, Ar-cudius, & nonnulli Recentiores hancce hiſtoriam rejiciunt uti fictitiam : alii contra ut veram admittunt. Ut ut ſit, certum videtur ſaltem ætate Socratis & Sozo-meni, hoc eſt, quinto ineunte ſæculo, perſuaſum non fuiſſe cœlibatus legem eſſe divinam.

S. Dionyſius, qui Corinthiorum Eccleſiam regebat ſecundo ſæculo, monet Pynitum Epiſcopum, ne gra-ve onus caſtitatis fratrum cervicibus tanquam neceſſa-rium imponat ; ſed ejus, quæ ineſt hominibus, infir-mitatis rationem habeat. Ejus epiſtolam refert Euſe-bius lib. 4. Hiſtoriæ cap. 26.

S. Epiphanius hæreſi 59. ſic habet : „ Qui adhuc „ in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tam-„ etſi unius uxoris vir, nequaquam tamen ad Dia-„ coni, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi Ordi-„ nem Eccleſia ſuſcipit, ſed eum dumtaxat, qui ab „ unius uxoris conſuetudine ſe ſe continuerit, aut ea „ ſit orbatus : quod in illis locis præcipue fit, ubi

„ Eccle-

„ Eccleſiaſtici canones accurate ſervantur. At dices „ mihi, in quibuſdam locis adhuc liberos gignere „ Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos: at „ hoc non eſt juxta canonem, ſed juxta hominum „ mentem, quæ per tempus elanguit, vel ob nimiam „ populi multitudinem. „ Ergo juxta ſanctum Doctorem lex cœlibatus non ubique obtinebat ipſius ætate, hoc eſt, quarto ſæculo, nec reprehendit tanquam abuſum & corruptelam, quod ſacri Miniſtri filios procrearent; ſed hac ratione excuſat, quod ad nimiam populi multitudinem regendam cœlibes Miniſtri ſat magno numero facile non reperirentur. Synodus Quiniſexta, in qua adfuerunt ducenti & amplius Epiſcopi Orientales anno 692. can. 13. uſum nuptiarum interdicit Epiſcopis; ſed permittit Presbyteris, & Diaconis, ita tamen ut ſi poſt ordinationem uxores eorum decedant, novum matrimonium contrahere nequeant. Huic canoni Græci deinceps adhæſere, licet deroget Concilio Ancyrano ſupra laudato, & veteri eorum diſciplinæ, ut amplius patebit ex dicendis in confirmationem ſecundæ partis noſtræ reſponſionis. Eccleſia tamen Latina non exiſtimavit hodiernum Græcorum uſum repugnare legi Divinæ, cum eos in ſuam communionem ſemel & iterum admiſerit, nempe in Concilio Lugdunenſi ſecundo, & Florentino, nulla lite mota circa cœlibatus legem. Ergo extra controverſiam eſſe debet, cœlibatum jure divino non eſſe annexum ſtatui Clericorum.

Dices: Apoſtolus Tit. 1. præcipit, ut Epiſcopus aut Presbyter non eligatur, niſi ſit continens: ergo.

Diſtinguo antecedens, præcipit novam legem ſanciens uti paſtor Eccleſiæ, Concedo; præcipit tanquam Chriſti præco, & divinam legem promulgans, Nego antecedens. Apoſtoli itaque fuerunt tum præcones Verbi Dei, docentes quæ Chriſtus ipſis mandaverat: tum legislatores, ea ſtatuendo, quæ conferrent ad optimum Eccleſiæ regimen. *Cetera*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 11. *cum venero, diſponam*. Porro quæ prædicarunt Apoſtoli tanquam a Chriſto ſibi tradita, ea ſunt juris divini, & immutabilia: quæ autem a ſe inſti-

tuta

tuta tradiderunt, ſunt juris humani ac Eccleſiaſtici; & quamvis ab Eccleſia religioſius ſerventur, quam ſequentium Paſtorum inſtituta, abſolute tamen mutari poſſunt. Cum ergo Eccleſia ſæpius diſpenſaverit circa legem cœlibatus, toleratque eam non ſervari a Presbyteris Græcis, ſequitur hujuſmodi diſciplinam non eſſe a Chriſto inſtitutam, ſed ab ipſomet Apoſtolo.

Secunda pars, nempe legem perpetuæ continentiæ jure Apoſtolico ſeu Eccleſiaſtico ſtatui Clericorum eſſe annexam, probatur, quia quod ſemper obſervatur fuit in Eccleſia, nec ab ullo Concilio legitur inſtitutum, id cenſetur Apoſtolicæ Traditionis: atqui lex perpetuæ continentiæ ſemper fuit ſtatui Clericorum annexa, nec legitur in aliquo Concilio inſtituta: ergo eſt Apoſtolicæ Traditionis.

Major eſt Sancti Auguſtini, & ab omnibus admittitur.

Minor probatur.

Ac 1. quidem quod cœlibatus diſciplina ſit ab Apoſtolis inſtituta, teſtantur Sancti Pauli Epiſtolæ. Nam citato cap. 1. ad Tim. ait: *Oportet..... Epiſcopum ſine crimine eſſe ..... ſanctum: continentem*: atqui eſſe continentem idem eſt, ac ſine uxore vivere, 1. Cor. 7. *Si non ſe continent, nubant*. 2. Timoth. 2. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu: nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit*, id eſt, ut totus illi vacet ac placeat, cui ſe militem addixit: atqui ex eodem Apoſtolo 1. Corinth. 7. verſ. 33. *qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi; quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*. Ergo a tempore Apoſtolorum Miniſtri Eccleſiæ abſtinuerunt a nuptiis.

2. Quod ejuſmodi diſciplina deinceps fuerit obſervata, tum in Eccleſia Græca, ſaltem ad octavum ſæculum; tum in Latina ad noſtram uſque ætatem, plura ſuppetunt teſtimonia.

Pro Eccleſia Græca teſtes ſunt.

Canon 27. Apoſtolorum, qui permittit ſolis Clericis inferioribus uti uxoribus ante ordinationem acceptis.

Ori-

Origenes auctor ſecundi & tertii ſæculi, homilia 23. in lib. Num. ſic habet: „ Certum eſt, quia impeditur ſacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus „ neceſſitatibus ſerviunt: unde videtur mihi, quod illius ſolius eſt offerre ſacrificium, qui indeſinenti „ & perpetuæ ſe devoverit caſtitati. „

Euſebius lib. 1. Demonſtrationis Evangelicæ cap. 9. *Veruntamen*, inquit, *eos qui ſacrati ſint, atque in Dei miniſterio cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos a commercio uxoris decet*.

Jam appellavimus Concilium Ancyranum, S. Epiphanium, & S. Chryſoſtomum.

Sanctus Hieronymus, qui inter Græcos diu verſatus eſt, lib. adverſus Vigilantium ſic ſcribit: „ Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & Sedis „ Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, „ aut continentes; aut ſi uxores habuerint, mariti „ eſſe deſiſtunt? „

Pro Eccleſia Latina teſtimonium reddunt,

Concilium Eliberitanum ann. 305. can. 33. in quo ſic ſtatuitur: „ Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, „ Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis abſtinere ſe a „ conjugibus, & non generare filios. „

Patres Concilii Carthaginenſis ſecundi anno 390. can. 2. aſſerunt cœlibatus diſciplinam ab Apoſtolis eſſe traditam, & in Eccleſia ſemper obſervatam: „ omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, „ vel quia Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes „ etiam ab uxoribus abſtineant, ut quod Apoſtoli do- „ cuerunt, & obſervavit antiquitas, nos quoque cu- „ ſtodiamus. „ En locupletiſſimum teſtimonium, nec aliud quærere neceſſe eſt, ut nobis conſtet legem cœlibatus, de qua ſermo eſt, ab Apoſtolis manaſſe ad omnes Eccleſias, eoſque hallucinari, qui hujuſce diſciplinæ auctorem faciunt Siricium ſummum Pontificem, in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem, data anno 395. in qua perſtringit Sacerdotes, qui ex uxoribus ante ordinationem ductis filios ſuſcipiebant: aitque voluiſſe Chriſtum, ut Eccleſia ſua caſtitatis ſplendore radiaret: *Quarum ſanctionum*, inquit, *Sacerdotes omnes*

atque Levitas inſolubili lege aſtringimus, ut a die ordinationis noſtræ ſobrietati & pudicitiæ & corda noſtra mancipemus & corpora. Non igitur novam legem condit Summus Pontifex; ſed antiquam, quam ad Chriſtum refert, vindicat. Indulget tamen Sacerdotibus, qui legis ignorantiam prætexebant, conceditque ut in ſuo gradu maneant, ſed in futurum proſpiciens ſic pergit: *quia exempla præſentia cavere nos præmonent in futurum, ſi quilibet Epiſcopus, Presbyter, atque Diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam ſibi omnis indulgentiæ per nos auditum intelligat obſervatum: quia ferro neceſſe eſt exſcindantur vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam.*

Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum, & 3. ad Exuperium Toloſanum, decretum Siricii iiſdem fere vobis repetit ac confirmat.

Sanctus Leo epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſic ſcribit: *nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares, & innupti.* Et epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem, permittit Lectoribus uxores ducere, & filios procreare: de majoribus vero Clericis ſic habet: *Cum ad prædictos* (Ordinis) *pervenerint gradus; cæpit eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali fiat ſpirituale conjugium; oportet eos nec dimittere uxores & quaſi non habeant ſic habere, quo & ſalva ſit caritas conjugiorum, & ceſſent opera nuptiarum.* Hic non jubet Sanct. Pontifex ut qui ex Miniſtris ſacris uxores habent, eas e domo ſua ejiciant; ſed vult ut eas tanquam ſorores retineant, quo ſalva ſit caritas conjugiorum, & ceſſent opera nuptiarum. Eo ſenſu Cardinalis Humbertus libro contra Nicetam interpretatus eſt canonem ſenſum Apoſtolorum; prohibentem, ne Epiſcopus aut Presbyter uxorem propriam obtentu Religionis abjiciat; debet enim eam alere, & ei in omnibus providere. Sic de Epiſcopo conjugato ſtatuit Concilium Turonenſe ſecundum can. 8. Verum ad vitandum incontinentiæ vel ſaltem ſuſpicionis periculum,

lum, Synodus Quiniſexta can. 48. præcepit, ut Epiſcopi uxor in Monaſterio degeret, ibique viri ſui providentia frueretur. Quam diſciplinam Eccleſia Latina a pluribus ſæculis obſervat.

Mitto Concilia quamplurima, quæ deinceps celebrata ſunt in Italia, Gallia, Hiſpania, & Germania, in quibus lex perpetuæ continentiæ indivulſa aſſeritur a ſtatu Clericorum.

Fruſtra congerunt Novatores exempla Sacerdotum, qui variis in locis & diverſis temporibus uxores ante ordinationem ductas retinuerunt aliquando etiam probantibus Conciliis, & filios ſuſceperunt: ex dictis enim conſtat eas retinuiſſe ut ſorores, ut ſalva eſſet caritas conjugiorum. Quod ſi plures ulterius progreſſi legem continentiæ violaverint, male inde colligitur nullam extitiſſe. An quia plures Catholici legem jejunii Quadrageſimalis non obſervant, negare liceret ejuſmodi jejunii legem?

Q. 3. *Lex continentiæ extenditurne ad omnes Clericos?*

R. 1. Varia fuit Eccleſiæ diſciplina circa Subdiaconos. Concilium enim Eliberitanum ſupra laudatum, Turonenſe ſecundum anno 461. & Agathenſe an. 506. præcipiunt Subdiaconos manere cælibes. Sanctus Leo primus ex Summis Pontificibus Subdiaconis continentiæ jugum impoſuit epiſtola ſupra laudata, nam *Siricius* & Innocentius I. locis ſupra citatis ſubdiaconos non appellant. Sanctus Gregorius ſexto exeunte ſæculo, legem, qua prædeceſſor ejus Pelagius II. Subdiaconos Siciliæ ab uxoribus ſeparaverat; duriorem exiſtimans, lib. 1. epiſtol. 24. ſic eam temperaverit, ut nullus deinceps ad Subdiaconatum promoveretur, niſi perpetuam continentiam profeſſus, ſed indulſit, ut qui conjugio copulati fuerant, cum uxoribus remanerent, & filios procrearent. Verum decretum S. Gregorii non videtur fuiſſe adeo firmum, nam Concilium Romanum ſub Gregorio II. anno 721. & aliud ſub Zacharia an. 742. & compilatio ejuſdem Summi Pontificis, quam ad Gallos miſit anno 744. Subdiaconos non aſtringunt lege continentiæ, quæ tandem unde-

cimo

cimo ſæculo ubique obtinuit in Eccleſia Latina reſpectu Subdiaconorum poſt Decretum Urbani II. in Concilio Claromontano.

R. 2. Non una etiam fuit Eccleſiæ diſciplina circa inferiores Clericos; de iis enim ſic habet Concilium Carthaginenſe V. anno 398. can. 3. „ Placuit... ceteros... Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum „ uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere. *Concilium Chalcedonenſe generale anno* 451. *can.* „ 15. quoniam, *inquit*, ex nonnullis Provinciis conceſſum eſt Lectoribus & Cantoribus uxores ducere, „ decrevit ſancta Synodus, non licere cuiquam ex his „ accipere ſectæ alterius uxorem. „ Concilium tamen Eliberitanum, Carthaginenſe tertium anno 397. & Benedictus VIII. In Concilio Ticinenſi anno 1020. omnes Clericos, etiam inferiores, eadem continentiæ lege aſtringunt: „ Si Sacerdotes legis Moſaicæ, *inquit* „ *Benedictus*, ad tempus abſtinebant, qui ad tempus „ templo deſerviebant, cur Epiſcopis, Presbyteris, „ Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus qui ſunt in „ Clero, jugiter non eſt abſtinendum, quibus juge & „ verum eſt ſacrificium? „ Juxta autem hodiernam Eccleſiæ diſciplinam, quæ ab Alexandro III. invecta eſt duodecimo ſæculo, omnes Clerici minores, qui matrimonium contrahunt, removentur ab Officio, privantur Beneficio, ſi quod habuerant, & inhabiles ſunt ad aliud obtinendum. Sic enim habet laudatus Pontifex, cap. „ Sane, *tit.* de Clericis conjugatis. Provideas attentius, ne deinceps Clericus conjugatus ad Eccleſiaſtica Beneficia, vel ſacros Ordines aut adminiſtrationes Eccleſiaſticas admittatur. *Et cap.* Quod a te; „ *de minoribus Clericis, eodem titulo*, id volumus te „ tenere, quod cum ſimul voluptatibus & carnalibus „ deſideriis, ac divinis & Eccleſiaſticis obſequiis vacare non valeant, ob immunditiam ſuam Eccleſiaſticis Sacramentis indigni tractandis, Eccleſiaſticis „ procul dubio Beneficiis ſunt privandi. „ Idem decretum confirmavit Innocentius III. c. *Diverſis*, eodem titulo.

Clerici tamen conjugati non carent privilegio fo-

ri., ex Bonifacio VIII. cap. *Clerici*, tit. *de Clericis conjugatis*, in. 6. modo tonſuram & habitum Clericalem deferant. Decreto Bonifacii adhæſit Concil. Tridentinum, illudque confirmavit ſeſſ. 23. c. 6. de reform. „ In Clericis conjugatis, *inquit*, ſervetur Con„ ſtitutio Bonifacii VIII. modo alicujus Eccleſiæ ſer„ vitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati eidem Ec„ cleſiæ ſerviant, vel miniſtrent, & Clericali habitu „ & tonſura utantur. „ Miniſterium autem illud non eſt circa altare, a quo removentur etiam Subdiaconi & Diaconi conjugati; ſed circa templi cuſtodiam, ejus ſupellectilem, vel etiam Pſalmodiam, ad quam Concilium Bituricenſe anno 1031. remittit Subdiaconos conjugatos: *Supradicti*, inquit, *in choro tantum intrent ad legendum & cantandum: ad altaris vero miniſterium nullatenus accedant*. Verum obſervat Fevretus tractatu de abuſu, Decretum Bonifacii & Concilii Tridentini in Galliis non eſſe receptum.

Q. 4. *Clerici majores contrahuntne valide matrimonium?*

R. A ſæculo undecimo non contrahunt valide.

Probatur ex Concilio generali Lateranenſi primo ſub Calixto II. anno 1123. quod ſic ſtatuit can. 21. „ Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Mona„ chis, concubinas habere, ſeu matrimonia contrahe„ re, penitus interdicimus, contractaque matrimonia „ ab hujuſmodi perſonis disjungi.

Decretum illud confirmarunt 1. Eugenius III. in Concilio Remenſi anno 1148. can. 7. Alexander III. In Concilio generali Lateranenſi tertio can. 6. anno 1176. & in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. can. 9. adverſus Lutheranos & Calviniſtas: „ Si quis dixerit, „ *inquit*, Clericos, in ſacris Ordinibus conſtitutos... „ poſſe matrimonium contrahere, contractumque vali„ dum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica.... ana„ thema ſit. „

Dixi *a ſæculo undecimo*: quia anterioribus ſæculis majores Clerici incontinentes ſolummodo rejiciebantur ab Officio, quemadmodum nunc Clerici minores; nec ullus extat canon, quo eorum matrimonia

poſt

poſt ordinationem contracta declarentur irrita & diſſolvenda tamquam merus concubinatus. Quin Concilium Neocæſarienſe expreſſe diſtinguit inter fornicationem & adulterium, & nuptias ſic contractas: „ Presbyter, *inquit cap.* 1. ſi uxorem acceperit, ab Ordine deponatur, ſi vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi. „

Q. 6. *Lex continentiæ fuit ne conſentanee impoſita ſacris Miniſtris?*

R. Affirmative; quia conſentaneum eſt ea prohibere Eccleſiæ Miniſtris, quæ impediunt ſacra illorum munera: atqui tale eſt conjugium: Ergo.

Major eſt certa, nec ab ipſis Novatoribus negari poteſt.

Minor probatur; quia ad officium Miniſtrorum Eccleſiæ quatuor pertinent. 1. ſacrificium offerre, & altari miniſtrare. 2. orationi ac contemplationi vacare. 3. Fideles a vitiis purgare & ad pietatem informare. 4. curam pauperum gerere: atqui omnibus hiſce functionibus maximo impedimento ſunt nuptiæ.

Ac 1. quidem opera nuptiarum impediunt munditiam ac puritatem in iis requiſitam, qui accedunt ad altare: quamvis enim per ſe licita ſint, exerceri tamen nequeunt ſine pollutione quadam, & turpitudine, quæ mentem inquinat. Achimelech 1. Reg. cap. 21. noluit dare panes propoſitionis comedendos Davidi & ejus militibus, niſi prius certior factus fuiſſet eos ab uxoribus aliquandiu abſtinuiſſe. Ex quo deducit S. Hieronymus in cap. 1. ad Titum, perpetuam requiri in Sacerdotibus continentiam, qui corpus Chriſti, quod illis panibus ſignificabatur, quotidie conficiunt, edunt, aliiſque tradunt. Ex lib. 1. Paralip. cap. 24. & Luc. 1. colligitur ſacerdotes veteris Teſtamenti per vices ſuas miniſtrare ſolitos, a domo & uxore abfuiſſe toto eo tempore, quo miniſtrabant in Tabernaculo. Unde Innocentius I. epiſt. 3. ad Exuperium concludit in hæc verba: „ quanto magis „ hi Sacerdotes & Levitæ (*novæ legis*) pudicitiam „ ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel

„ Sacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, „ nec prætereat dies, qua vel a ſacrificiis divinis, vel „ a baptiſmatis officio vacent.

2. Opera carnis aciem mentis hebetant, animam perturbant, depriment, & quodammodo carnalem reddunt; cum tamen oratio, quæ jugis debet eſſe in ſacris Miniſtris, requirat animum purgatum, tranquillum, erectum & ab infimis ſuſpenſum: ac propterea Apoſtolus 1. Cor. 7. hortatur Fideles conjugatos, ut ex conſenſu ad tempus ſe ſeparent ad vacandum orationi. Quod argumentum urget idem Innocentius citata epiſtola: „ Si beatus Paulus, *inquit*, ad Corin„ thios ſcribit dicens, *abſtinete vos ad tempus, ut va„ cetis orationi* (& hoc utique Laicis præcipit) multo „ magis Sacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi „ juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujuſmodi „ conſortio abſtinere.

3. Qui vinculo conjugali conſtringitur, nec idoneus eſt nec liber ſatis ad curam aliorum gerendam, ſolicitus quippe eſt, inquit Apoſtolus 1. Cor. 7. quomodo placeat uxori, cogitat quæ mundi ſunt, & neceſſario implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut familiam ſuam conſtabiliat, filios in congruo ſtatu collocet. His diſtentus & occupatus quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? An Paſtor theſaurizabit filiis ſpiritualibus, qui ex S. Ambroſio lib. 1. Officiorum cap. 7. præferendi ſunt carnalibus? Annon ſua potius, quam Chriſti lucra quæret? Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de reformatione, interdicit omnibus Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos augere ſtudeant; „ Cum, *inquit*; & „ Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiæ, „ QUÆ DEI SUNT, conſanguineis donent.,. immo „ quam maxime poteſt, eos ſancta Synodus monet, „ ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, „ propinquoſque carnis affectum, UNDE MULTORUM MALORUM IN ECCLESIAM SEMINARIUM „ EXTAT, penitus deponant. „ Atqui humanus ille affectus in uxorem & filios, præterquamquod non videtur poſſe deponi, longe ardentior eſt & impotentior;

tior; cum ejuſmodi perſonæ ſpectentur ut una caro, ac proinde graviora ex eo orirentur mala, & quodammodo ineluctabilia, puta inexplicabilis lucri cupido ad comparanda, quæ neceſſaria ſunt non ſolum ad victum & cultum filiorum, ſed etiam ad congruam eorum fortunam. Cum enim Beneficium iis in hæreditatem relinquere non poſſet, neceſſarium ipſi videretur, partem, quæ ex bonis Eccleſiæ pauperibus competit, in rem familiarem abſumere, & ita deſerere curam pauperum, quæ tamen eſt quartum Paſtoris officium.

Ergo virginitas ſeu perpetua continentia otioſa non eſt in Miniſtris Eccleſiæ, neque ſterilis, ſed operoſa & fœcunda virtutibus, niſi forte ſint ex illis virginibus, quas Scriptura merito fatuas appellat, quod earum lampades, hoc eſt, virginitas, oleo miſericordiæ, & caritatis igne caruerint. Quid enim dementius, juxta ſanctum Chryſoſtomum homilia 79. in Matth. quam poſt acerrimas pro caſtitate pugnas, poſt trophæa, quæ de naturæ rabie ſtatuerunt, in levioribus ſuccumbere, mammonæ ſervire, ambitione trahi, gulæ illecebris capi? *Qui ſine uxore eſt*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 7. *ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo:* puram animam corpori ſemper inſidentem quaſi oleum aquæ, habere ſatagit, nihil carnalium vitiorum, nihil ex voluptate turbidum puriſſimo decori animæ admiſcens, ex ſancto Baſilio de virgin. devitat conviviorum celebritates, ut guſtum ſervet virginem; fugit ſalutationes, ubi teritur tempus, modeſtia ſolvitur, dum affectatur urbanitas, & in multiloquio copioſum ſubrepit peccatum, ait S. Ambroſius de virgin. Pudet in platea ſtare ac videri otioſum, confabulari ad officinam artificis, Chriſto dicente, *Ubi ſum ego, illic & Miniſter meus erit*; Joann. 12. Atqui (Ambroſius ibid.) non eſt Chriſtus circumforaneus; Chriſtus enim operator eſt, in foro inane otium: Chriſtus totus eſt in iis, quæ Patris ejus ſunt: Ergo & illic Miniſter ejus ſit neceſſe eſt.

Objiciunt Pſeudoreformati: lex illa eſt iniqua,

quæ pluribus eſt ruinæ occaſio: atqui lex cœlibatus eſt pluribus ruinæ occaſio: Ergo.

Minorem probant ex epiſtola S. Uldarici Epiſcopi Auguſtani anno 903. ad Nicolaum ſummum Pontificem, in qua narrat S. Gregorium, qui uxores Sacerdotibus ademerat, in ſua piſcina ſex millia capitum infantium ſuffocatorum reperiiſſe, quam cædem cum intelligeret ſanctus Pontifex ex occultis Clericorum fornicationibus natam eſſe, continuo revocavit decretum, & peccatum ſuum dignis pœnitentiæ fructibus purgavit. Hanc hiſtoriam Magdeburgenſes centuria 6. cap. 7. & 10. maxime urgent adverſus legem cælibatus.

Diſtinguo maj. ſi ſit occaſio per ſe, Concedo: ſi ſit per accidens, Nego majorem; nam ex Apoſtolo ad Rom. 7. occaſione legis veteris, quæ fuit ſancta & divina, peccatum, quod erat mortuum, revixit, & operatum eſt omnem concupiſcentiam. *Peccatum*, inquit, *occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit;* prædia, ut obſervat S. Auguſtinus, muris ac foſſis non inique circumdantur, quamvis prædones ejuſmodi repagula tranſiliendo crura vel etiam cervices ſibi perfringant.

Diſtinguo ſimiliter minorem: eſt ruinæ occaſio pluribus per accidens: iiſque præſertim, qui temere & ſine continentiæ dono ad Ordines obrepunt tamquam fures, Concedo: per ſe, Nego minorem. Vide plura tractatu de Religione cap. 5. §. 4.

Ad confirmationem: adverſarios pudere debere anilem fabulam objicere, quæ ab imperitis cum omnimoda falſi ſpecie conficta eſt.

Namque 1. ejuſmodi hiſtoria neque in operibus ſancti Udalrici legitur, neque ab ullo antiquo Scriptore refertur. 2. ad quem Nicolaum ſcripta eſt epiſtola, de qua eſt ſermo? an ad Nicolaum I. aut ad Nicolaum II. atqui Nicolaus I. jam dudum obierat, nempe anno 867. ex Onuphrio lib. de Romanis Pontificibus: Nicolaus vero II. creatus eſt Papa anno 1069. hoc eſt, centum circiter annis poſt obitum S. Udalrici. Hinc Magdeburgenſes coguntur fingere abſque ulla auctoritate Udalricum II. 3. Falſum eſt, legem

cœli-

cœlibatus latam fuiſſe a ſancto Gregorio; quin conſtat ex dictis temperaſſe rigorem Pelagii II. reſpectu Subdiaconorum Siciliæ. 4. unde habent adverſarii non Laicos, ſed Clericos genuiſſe ſex millia infantum a promulgata lege ſancti Gregorii 5. Cum lex ſancti Gregorii ſpectaret ſolummodo Subdiaconos Siciliæ, juxta hiſtoriam, ſoli Subdiaconi Siciliæ ſupponuntur fuiſſe patres tot infantum. 6. quomodo tot capita occulte deferri potuerunt ex Sicilia in piſcinam ſancti Gregorii? an ex aere ſicut imber deciderunt? 7. Qui tulit legem iniquam, falſam agit pœnitentiam, niſi eam revocet: atqui neque ex ſcriptis S. Gregorii, neque ex ullo Scriptore Eccleſiaſtico adverſarii probare poſſunt S. Gregorium revocaſſe legem cœlibatus; quin ſupra probavimus religioſius poſt ipſum fuiſſe obſervatam quoad Subdiaconos: Ergo imperite admodum conficta eſt illa fabula.

CAPUT VI.

De ingenio Sacerdotali.

Q. 1. QUid intelligitur nomine ingenii Sacerdotalis, *Gallice*, eſprit Eccleſiaſtique, ou Clerical?

R. Intelligitur vis divinitus inſita, qua quis incitatur ad functiones Eccleſiaſticas, utpote ſibi gratas ac jucundas. Dico, *functiones*, non vero Dignitates; ad has quippe ambitio & cupiditas plerumque movent, non autem ad earum functiones, niſi forte honos & emolumentum temporale inde expectetur. At ingenium Sacerdotale ad ipſaſmet functiones incitat, & ad eas expeditum ſolertemque efficit: ſicut enim in animantibus deprehendimus certum naturæ ductum, quo aguntur ſingula ad fines ſuos, & ad opera ſuæ ſpeciei conſentanea; ita in hominibus cernuntur diverſæ ingenii dotes, quibus aptati ſunt, & quodammodo nati, alii litteris, alii militiæ, alii me-

mechanicis artibus, alii Sacerdotalibus functionibus.

Q. 2. *Ingenium Sacerdotale eſtne abſolute neceſſarium promovendis ad gradus Eccleſiaſticos?*

R. Affirmative.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ tum veteris, tum novi Teſtamenti.

Ac 1. quidem in veteri Teſtamento habemus luculentum teſtimonium N. 11. v. 16. & 17. ubi Dominus dixit ad Moyſen: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſunt*: ſenes, inquam ego, non tam ætate, quam prudentia & moribus, ut habetur Exodi 18. v. 21. his verbis: *Provide autem de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam*. De iis autem viris tot virtutibus ornatis, ſic pergit Deus ad Moyſen cit. cap. 11. *duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi*. Hic offerunt Deo viri ab omni plebe teſtimonium habentes, quod ornati ſint ſcientia, ſapientia, ac pietate, & nihilominus nondum idonei ſunt etiam judicio Dei, qui præficiantur populo. Quid igitur amplius requiritur? ſpiritus principalis, ut dicitur Pſalm. 50. *Spiritu principali confirma me*, hoc eſt, ſpiritu regali & imperatorio corrobora me. Diceres ſeptuaginta illos viros tot dotibus inſtructos, tanquam limum in manibus Dei organis aptatum, qui tum demum evaſit homo, cum Deus inſpiravit ſpiraculum vitæ, Geneſ. 2. Scientia quippe, ſapientia, vitæ probitas, & animus ab omni avaritia alienus, erant in illis ſenibus diſpoſitiones, ac veluti organa neceſſario quidem præſuppoſita ad regimen rite exercendum: ſed Magiſtratum non efficiebant, donec ſpiritus principalis acceſſiſſet, *auferam*, inquit, *de ſpiritu tuo tradamque eis*: ſicut ab una ſcandela abſque ejus detrimento lumen accipitur ad aliam accendendam, ut diſcant Clerici ad munia ſua digne obeunda præter ſcientiam & ſanctitatem, neceſſarium inſuper ſpiritum Sacerdotalem, qui ſit in eis idem,

ac in ſuo Prælato, quamvis in diverſa menſura.

2. Neceſſitas ingenii Sacerdotalis magis elucet in novo teſtamento; videmus enim Joan. 20. Chriſtum Apoſtolis eo ipſo Spiritum ſuum communicaſſe, quo eos conſtituit novæ legis Miniſtros: *Sicut miſit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit ei: Accipite Spiritum ſanctum.* Operæ pretium eſt attendere agendi rationem, & ordinem a Chriſto ſervatum. Miſſus fuerat, ut ſalvaretur mundus per ipſum, Joan. 3. in eundem finem mittit Apoſtolos. Grande opus, ad quod per triennium & amplius eos tanquam in ſuo Seminario inſtituerat, quæcunque audierat a Patre, nota eis fecerat, Joan. 15. a ſordibus prioris vitæ eos mundaverat, *ibid.* ſeu eximia illa dona judicavit fuiſſe informanda ſpiritu Sacerdotali ac principali: quare in eos veluti in materiam præparatam, & debitis organis inſtructam inſufflavit dicens, *accipite Spiritum ſanctum*: ut ſicut primus homo ſpiraculo Dei factus eſt in animam viventem, poſteris futurum vitæ principium; ita Apoſtoli Spiritu Chriſti afflati fierent in Spiritum ſanctificantem; ſanctificantem, inquam, non ſolum ipſos, ſed etiam ceteros, ad quos mittebantur. Ex quibus perſpicuum eſt ſatis non eſſe Clericis, quod in Seminario a vitioſis habitibus expurgati fuerint, laudabilibus habitibus imbuti, didicerintque ea omnia, quæ ad munia Sacerdotalia pertinent, niſi inſuper ingenio Sacerdotali incitentur.

Probatur 2. ratione, quia res vere non ſunt quod videntur, ſi deſit proprius ſpiritus: cur enim ſtatua aut imago picta non eſt homo, quem effingit, niſi quia non informatur ſpiritu hominis? Eſto perfecte exprimat exteriorem hominis faciem, lineamenta, colorem, ſitum, habitum; homo tamen non eſt, quia caret ſpiritu, quo conſtituitur homo. Quod ſi ad ſupernaturalia & moralia transferatur oratio, quis in religione Chriſtiana verus eſt Chriſtianus? Audiendus eſt Apoſtolus Rom. 8. v. 14. *Quicunque*, inquit, *Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Hi, inquam ego, & non alii,

ait enim citato capite v. 9. *Si quis Spiritus Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Habent licèt exteriorem Chriſtiani formam, ſeu figuram, cæremonias religioſe obſervet, cum aliis adſit divinis Officiis, Sacramenta percipiat, niſi Spiritu Dei ducatur, non eſt filius Dei; qui non habet Spiritum Chriſti, hic non eſt ejus. Denique nullas ars, nullave conditio, quæ non ducatur ſuo ſpeciali ſpiritu, ſuo ingenio, quo deficiente, omnia peſſum ruunt. Suum eſt Mathematicis ingenium, aliud militibus, aliud mercatoribus, ſine quo temere quis profiteretur ullam ex iis artibus, utpote qui forte ad eas prorſus ineptus; multa fortaſſis moveret, ſed parum, vel etiam nihil promoveret. Quæ cùm ità ſint, quis in dubium revocabit ſpeciale eſſe Ordinis Sacerdotalis ingenium, idque ita neceſſarium, ut ſine eo verus Sacerdos non ſit, Sacerdotis ſimulacrum; quamvis ſpeciem Sacerdotis, puta habitum Clericalem, tonſuram, *exteriorem quandam* modeſtiam præ ſe ferat? Ergo ſacris Ordinibus initiandus præter competentem ſcientiam, & merum integritatem, quibus ornatus ſupponitur, diligentius perpendere debet, num ingenio Sacerdotali incitetur; alioquin characterem quidem Sacerdotalem recipiet; ſed fruſtra, quia actu ejus carebit, & ita eo modo non erit verus Sacerdos, quo ſupra dicebat *Apoſtolus* Laicum charactere baptiſmali inſignitum, vere non eſſe Chriſtianus, niſi habeat Spiritum Chriſti.

Q. 3. *In quo præciſe conſiſtit ingenium Sacerdotale?*

Alii aliter illud ita definiunt, ut ejus conſectaria potius attingant, quam naturam & eſſentiam, ex qua fluunt ejus proprietates, quarum præcipuæ ſunt, plurimi facere ſacrum Ordinem, ejus inſignia, puta habitum, tonſuram præferre omnibus ſæculi ornamentis, delectari ſacris Officiis, in iiſque lubenter verſari, quæ tamen non ſunt niſi conſectaria ingenii Sacerdotalis. Quare omiſſis aliorum ſententiis.

R. Ingenium Sacerdotale præciſe conſiſtit in ardenti ſtudio promovendi gloriam Dei, & ſalutem proximi.

Probatur 1. quia ingenium cujuſque artis & conditionis eſt flagrans ſtudium conſequendi finem, ad quem

ass.

ars illa vel conditio eſt inſtituta. Sic ingenium mercatoris eſt flagrans ſtudium & animi contentio, ut ejus taberna emptorum frequentia celebretur, magnum faciat quæſtum: militis, ut præclara edat facinora, atque ex prælio victor exiſtat.

Atqui finis ſtatus Sacerdotalis eſt, ut nomen Dei ſanctificetur; ut Clericos quos poteſt in ejus notitiam, amorem & obſequium inducat, in quibus ſalus proximi proprie conſiſtit. *Sicut miſit me Pater*, ait Chriſtus ad diſcipulos Jo. 20. *& ego mitto vos*. Ad quid vero miſſus eſt? ut manifeſtaret nomen Patris hominibus, & ſanctificaret eos in veritate Joan. 17. Hoc totum ejus opus, hoc unum ſitiebat, hoc ardenti ſtudio incitatus, quæſivit cum ſui defatigatione ovem, quæ perierat, pro ejus ſalute contumelias & crucem ſuſtinuit confuſione contempta, atque in eundem finem diſcipulos miſit Vicarios ſui amoris erga ſponſam Eccleſiam, conſtituit, & proprii ſpiritu participes fecit. *inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum*, Joan. 20. ut ſcilicet eodem Spiritu, quo ipſe, lucra ſectarentur animarum, *Dei adjutores ſumus*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 3. *pro Chriſto legatione fungimur*. 2. Cor. 5. *adimpleo, quæ deſunt paſſionum Chriſti*, Col. 1. Quid vero deeſſe poteſt redemptioni tam copioſæ? actualis hominum converſio, ſancta eorum converſatio, & in bonis operibus perſeverantia uſque in finem. Eo tendit character Sacerdotalis; eſt enim gratias gratis data: non accipientis, ſed aliorum ſalutem ſpectans.

Ergo ingenium Sacerdotale præciſe & eſſentialiter conſiſtit in ardenti ſtudio promovendi gloriam Dei & ſalutem proximi. In hunc finem inauguratur Sacerdos; illuc tota ejus intentio collineet neceſſe eſt. Propterea, ne aliarum rerum cura animum ejus avocet, ab omnibus Reipublicæ oneribus eximitur, ipſi laborant agricolæ, putant & fodiunt vinitores, ſudant artifices, adeo ut, niſi acri ſtudio ſalutis eorum ardeat, gravis ſit toti Reipublicæ, & omnium mortalium inaniſſimus.

Ergo in eo differt ingenium Sacerdotis ab ingenio Chriſtiani Laici, quod Laicus ſibi attendat; Sacerdos

vero æque de aliorum ac de ſua ſalute timeat: ille bonis operibus merita ſibi comparet, ut dignus habeatur regno cælorum: Iſte exemplo Chriſti pro aliis etiam ſanctificet ſeipſum, ut eos ad vitam æternam ſecum perducat, quia quippe mater aulam convivii ægre intraret ea conditione, ut filius ſibi cariſſimus foris ad januam remaneret. Magnum ſolatium eſt Laico culpa vacare, & mundum eſſe a ſanguine eorum, qui pereunt: aut Sacerdos aliena peccata deflet ut ſua: „ diſcedent a me qui conſolantur & dicunt, *inquiebat S. Bernardus*, quod oratio mea in ſinu meo revertetur, eum is, pro quo emiſſa eſt, non convertitur. Non, inquam, recipio conſolationem, ubi video fratris deſolationem. „ Denique Laicus cavet, ne in Dei offenſionem incurrat: Sacerdos vero etiam uritur, cum videt legem Dei ab aliis indigne proculcari. Sic Apoſtolus Act. 17. dolorem continere non potuit videns idololatriæ deditam Athenienſem civitatem. Statuerat Jeremias non loqui in nomine Domini, eo quod nihil proficeret, quia verbum Dei ipſi verteretur in opprobrium; ſed in ſententia permanere non potuit: *factum eſt in corde meo*, inquit cap. 20. *quaſi ignis æſtuans, clauſuſque in oſſibus meis: & defeci ferre non ſuſtinens;* ſicque foras erupit, ſpretis contumeliis & vinculis, quæ ipſum manebant, quia ex Apoſtolo 2. Tim. 2. in iis *verbum Dei non eſt alligatum*, in quibus viget ingenium Sacerdotale, quod eſſentialiter conſiſtit in ardenti ſtudio conſequendi finem, ad quem ſtatus Sacerdotalis inſtitutus eſt, ad promovendam ſcilicet gloriam Dei, & ſalutem proximi.

Probatur 2. natura & eſſentia cujuslibet rei in omnium Philoſophorum ac Theologorum ſententia, eſt quid primum in illa re, & origo, ex qua fluunt omnes ejus proprietates: ſic animal rationale eſt hominis eſſentia, quia nihil prius in homine concipitur, & inde neceſſario ſequuntur omnia, quæ ſunt hominis propria: atqui ardens ſtudium promovendæ gloriæ Dei & ſalutis proximi, in quo reponimus ingenium Sacerdotale, eſt quid primum in ſtatu Clericali: & radix ceterorum, quæ in Sacerdote requiruntur: Ergo minoris ſunt duæ partes.

Prima, quod ardens ejuſmodi ſtudium ſit quid primum in ſtatu Clericali, patet ex ratione præcedenti, nempe finis eſt primum movens, prima omnium cauſſa, quæ ceteras excitat & ponit in actu, ſoletque definiri *in cujus gratia omnia fiunt*. Sic v. gr. lucrum captandum, aut victoria reportanda movet mercatorem aut militem ad omnia præſtanda, illum, ut permagnam pecuniam conficiat; iſtum, ut victoria potiatur: Ergo, cum ex dictis finis ſtatus Clericalis ſit promovere gloriam Dei & ſalutem proximi, perſpicuum eſt hujuſce finis intentionem ſeu efficax deſiderium eſſe quid primum ex requiſitis in Sacerdote.

Secunda pars, ſcilicet ex ejuſmodi ardentiſſimo deſiderio tanquam ex fonte uberrimo feliciter emanare, quæ ſunt optimi Sacerdotis propria, probatione non indiget, ſed nuda duntaxat expoſitione. Quid enim? ſi id curat in primis Sacerdos, ut ſingula in domo Dei pie ſancteque adminiſtrentur: ut ſacra rite & cum decenti religioſoque cultu ad Fidelium accendendam pietatem peragantur, id ſane curat idcirco, quia coli maxime Deum atque honorari in primis vehementiſſime peroptat. Jam vero ſi nec labori, nec rei familiari parcit, ſed totus eſt, ut eos, qui ſibi commiſſi ſunt, bene inſtituat, a vitiis omnibus deterreat, & ad omne virtutum genus prudenter & forti animo informet, nonne illud inde accidit, quod una Dei gloria & proximi ſalute procuranda moveatur? Et quoniam beatos omnes æternum eſſe cupit; ideo gaudet magnopere, cum videt ſuos ad pietatem concitari, & Sacramenta Eccleſiæ tanquam præſtantiſſima animorum remedia ſæpius ab ipſo repetere: dolet vero ex animo, ſi quos e ſuis deprehendit languidos, & ſuæ ſalutis immemores ad omne bonum turpiter hebeſcere. Verbo dicam, qui Paſtor ardentiſſimo divinæ gloriæ deſiderio inflammabitur, eum continuo virtutes omnes, quæ digniſſimi Sacerdotis propriæ, neceſſario comitabuntur.

Atque ita cum Chriſtus Petrum Eccleſiæ caput inſtituit, amorem unum ab illo flagitavit, *Diligis me plus his?* Joan. 21. Non poſtulavit, utrum is eſſet, qui tanti muneris onus & labores infinitos ſtrenue ſuſtineret,

neret, qui omnia, rem ſuam, ſeipſum in ſalutem aliorum libenter profunderet; ſciebat enim hæc omnia, etſi ardua maxime ac difficilia, in vero amore contineri. *Caritas Chriſti urget nos*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 5. *ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt*. Et ut paterno incitabatur affectu erga eos, quos in Chriſto genuerat, pergit cap. 12. *Non quæro veſtra, ſed vos; non enim debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis: Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.*

Quanta autem vis ſit hujuſce amoris, quis vel in ipſis animantibus quotidie non experitur? Quanta & quam vere materna caritate gallina v. g. pullos nutrit & educat ſuos! ſui prorſus oblita, videtur non ſibi, ſed ſuis vivere, quamvis admodum timida, objicit ſe periculo, ut periculum a pullis arceat; quamvis natura vorax, defraudat ipſa ſe eſca, qua ſuos ſaginet; non deflectit ab illis oculos, cavet ne longius aberrent: refovet frigentes; pene immoritur ſtudio comparandi ipſis commodiora: Qua tandem ratione divina Providentia movet ejuſmodi animal ad res tam arduas, ac fere ſupra naturam poſitas tanta ſolicitudine præſtandas? Id ex ipſo affectu & amore materno, quem viſceribus indidit, proficiſcitur; ex quo enim extinctus amor ille eſt, pullos Gallina deſerit, nec eos ultra pati poteſt, ſi moleſti ſint, immo repellit a ſe longius ac male mulctat interdum. Eodem ſane modo, eadem providentia in iis quæ ſupra naturam ſunt, ſolet agere; cum non ambitur, nec cupiditas, ſed ipſa ſola Sacerdotem Paſtoremve efficit, illum & divinæ gloriæ, proximi ſalutis vehementiſſimo inflammas deſiderio, quo incenſus ea patitur & perficit, quæ ſolemus non ſine ſtupore in bonis Paſtoribus admirari, quæque iis videntur impoſſibilia, in quibus ardor ille non ineſt. Hinc patet Sacerdotis atque Eccleſiaſtici viri vim omnem, & virtutem in illo, de quo loquimur, ardore penitus eſſe poſitam.

Q. 4. *Quæ in initiando requiruntur diſpoſitiones: ut ingenium Sacerdotale in ſua inauguratione accipiat, acceptumque deinceps conſervet?*

R. Qua-

Q. Quatuor omnino requiruntur, nimirum Dei vocatio, ſanctitas, intentio pura, & oratio aſſidua.

Ac primo quidem Dei vocatio; ex ea quippe pendet tota gratiarum ſeries cuique ſtatui propria: *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*, 1. Cor. 7. Quemadmodum ergo vocatus ad Sacerdotium non debet expectare a Domino ingenium militare, ita e converſo vocatur ad militiam, aut ad aliud officium ſæculare, fruſtra ſperaverit ingenium Sacerdotale. Conſule quæ in hanc rem fuſe diſputavimus ſupra, ubi de vocatione.

2. Vitæ ſanctitas ac morum integritas præeat neceſſe eſt; qui enim ſibi nequam, cui bonus erit? una eſt Philoſophorum ſententia; cum non fore optimum Magiſtrum, qui vir bonus non fuerit: nec poſſe alios regere, qui ſeipſum adhuc regere neſcit. Denique ingenium Sacerdotale ex dictis eſt caritatis omniumque virtutum exuberans in alios diffuſio, ac quædam redundantia. Plenum ergo eſſe oportet, qui ſic effundit; neque enim concha prius effundit, quam impleatur; nec fons manat in rivum, nec in lacum extenditur, donec ſuis ſatietur aquis. Hinc eſt illud Davidis Pſ. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum*; infundi nimirum prius volens, & ſic effundere; nec ſolum infundi prius, ſed & impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oſcitaret de inanitate: Verba ſunt S. Bern. Serm. 18. in Cant.

3. Sit quoque in initiando intentio pura, hoc eſt, animus liber ab omni terreno affectu, vacuus ab omni gloriæ cupiditate, & omnis avaritiæ expers; alioquin fervorem ſpiritus, in quo reponimus ingenium Sacerdotale, nunquam concipiet, nec concipere poterit. Quis enim ignorat frigus cupiditatis & ardorem caritatis eſſe duo contraria, quæ ſe invicem vel expellunt, ſi ſint in intenſo gradu, vel remittunt ſi in remiſſo: *Minus te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat*, inquiebat olim S. Auguſt. lib. 10. Confeſſionum cap. 13. Hinc eſt, quod pauci admodum poſt ordinationem flagrent deſiderio afferendi Deo gloriam ſuam, & proximi ſalutem parandi, quia

plerique obſequium Deo & Eccleſiæ ita præſtare proponunt, ut etiam conjuncta humana ſubſidia vel ſolatia reapſe conquirant: *Multi*, inquit S. Bern. ep. ad Henricum Senonenſem cap. 7. *non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſcirent & onera: graviora profecto metuerent, nec tanto labore & periculo quarumlibet affectarent inſulas dignitatum.*

4. Proxima eaque neceſſaria diſpoſitio, ut quis ſpiritu principali, ſeu qui Principem & Sacerdotem decet, in ſua inauguratione confirmetur ac roboretur, eſt perſeverans oratio: *Pater veſter de cælo eſt*, ait Chriſtus, Luc. 11. *dabit ſpiritum bonum*, quibus vero? *petentibus ſe*: petentibus, inquam, non frigide, aut quaſi perfunctorie; ſed fervide ac perſeveranter, ut ipſemet Dominus ibid. exponit v. 8. ſic David vivificum illum ſpiritum petendo & pulſando obtinuit: *Os meum aperuit*, inquit Pſ. 118. *& atraxi Spiritum*: in quem locum ſic ſcribit S. Auguſt. *Aperuit os petendo, quærendo, pulſando, & ſitiens hauſit ſpiritum bonum, unde faceret, quod per ſeipſum facere non poterat.* Sic Diſcipuli jejunantes & orantes Paulum & Barnabam Epiſcopos conſecrarunt. Act. 13. v. 3. ſic univerſalis Eccleſia ſolemnia jejunia & ſupplicationes indicit, priuſquam ſacri conferantur Ordines.

Nec minus neceſſaria eſt frequens oratio, ut ingenium Sacerdotale in ordinatione ſemel acceptum ſemper vigeat; *Ideo*, inquit S. Aug. ep. 130. alias 121. „Ab aliis curis atque negotiis, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orando mentem revocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id, quod deſideramus intendere; ne, quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi celebrius inflammetur„. Notent Seminariorum alumni deferveſcere ac tandem extingui ardorem ſpiritus, ubi intermittitur orationis ſtudium, & aliorum periculo prudentiores evadant; plures quippe e Seminario dimiſſi, initio quidem fervens, quamdiu orationis ſtudium, in quo exercitati fuerant, in ipſis perſeverat: ſed poſtmodum frigeſcit oratio, exinde devotio, & quo rarius ac tepi-

dius

ctius mentem & manus ad Deum levant, eo acrius hoſtes animæ impugnant, & certius vincunt: „ Cum „ levaret Moyſes manus, *inquit S. Chryſoſtomus hom.* „ *de Moyſe*, vincebat Iſrael: ubi autem ſubmiſerat, „ vincebat Amalec. Bellum Chriſtianis indictum hoc „ exemplo monſtratur, belli effectus orationis inſtan„ tia aperitur. Orat enim Moyſes, & vincit; ceſſat, „ & vincitur. Didicit Chriſtianus unde vincat, & „ vincatur.

CAPUT VI.

De impedimentis removentibus ab ordinatione.

IMpedimenta, quæ inhabiles reddunt homines ad Ordines ſuſcipiendos vel exercendos, irregularitates vulgo appellantur, quia ſunt quædam deviationes a regula, quæ conditiones & qualitates ordinandorum præſcribit, irregularis quippe dicitur, qui ad regulam ſe non componit.

Circa irregularitatem autem 1. exponemus quid ſit, & quotuplex: 2. Qui ejus effectus: 3. Sigillatim diſſeremus de ſingulis ejus ſpeciebus: 4. Quæremus quis in ea diſpenſare poſſit.

§. I.

De notione & diviſione irregularitatis.

Q. 1. QUid eſt irregularitas?

R. eſt impedimentum canonicum, quo vir baptizatus directe & primario interdicitur ſuſceptione Ordinum, & conſequenter eorum uſu.

Dicitur 1. *impedimentum*, non vero pœna, ut diſtinguatur a cenſura, quæ, ut ſupponit culpam, ſemper eſt pœna: irregularitas vero aliquando contrahitur ex defectu & ſine culpa, ut irregularitas ex vitio corporis, ac

ac proinde ex ſuo genere non eſt pœna, ſed ſolum inhabilitas quædam, ſeu impedimentum.

Dicitur 2. *canonicum*, qua voce ſignificantur 1. irregularitatem proprie dictam non eſſe inductam jure naturali & divino, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico. 2. nullam irregularitatem eſſe ab homine, ſed omnem eſſe a jure. Ita omnes Theologi & Canoniſtæ, favetque cap. *Is qui*, tit. *de ſententia excommunicationis* in 6. in quo Bonifacius VIII. declarat eum, qui celebravit in Eccleſia polluta, licet peccaverit, irregularitatis tamen laqueum non incurriſſe: *Cum id*, inquit, *non ſit expreſſum in Jure*, ex quibus verbis colligunt Theologi & Canoniſtæ omnem irregularitatem debere eſſe in jure expreſſam.

Dices: peccatum mortale, ignorantia, præſertim ſupina, cæcitas, &c. jure naturali impediunt ſuſceptionem & uſum Ordinum: Ergo jure naturali datur irregularitas.

Diſtinguo conſeq. Datur irregularitas improprie dicta, Concedo: proprie dicta, de qua hic agitur, Nego conſeq., irregularitas enim proprie dicta tollitur per diſpenſationem; conſcius autem peccati mortalis, & ignorantia impeditus, poſt peractam pœnitentiam, & ſcientiam comparatam, licite ordinari & miniſtrare poſſunt abſque diſpenſatione: cæcus etiam, qui ordinem Miſſæ memoriter teneret, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, licite celebraret. Itaque hi & alii ſimiles defectus naturaliter quidem ineptum reddunt ſacris miniſteriis, ſed proprie irregularem non efficiunt, niſi acceſſerit lex Eccleſiaſtica, quæ illum ab Ordinibus abſolute removeat. Patet exemplo homicidæ & intemperantis; ambo ordinari nequeunt altaris Miniſtri, niſi in gravem Dei contemptum & magnum Eccleſiæ dedecus, ſed intemperans poſt competentem & probatam pœnitentiam ordinari poteſt: homicida vero minime. Quid ita, cum utriuſque peccatum ſit naturale impedimentum ad Ordinem nimirum, quia lex Eccleſiaſtica homicidas ligat vinculo irregularitatis, non vero intemperantes.

Inſtabis: atqui jure divino plures ſunt irregularita-

tes

tes proprie dictæ. Num. 21. Deus prohibet, ne quis e filiis Aaronis accedat ad miniſterium Tabernaculi, ſi habuerit maculam, *ſi cæcus fuerit*, *ſi claudus*, &c. & 1. Tim. 3. ſi habuerit plures uxores, non eſt promovendus ad Sacerdotium aut Diaconatum: Ergo.

Nego ſubſumptum: namque 1. præcepta cæremonialia veteris legis non obligant in lege nova. 2. Lex, quæ habetur 1. Tim. 3. contra bigamos, non eſt Divina, ſed Apoſtolica ſeu Eccleſiaſtica a S. Paulo ſancita; Apoſtoli quippe alia promulgarunt tanquam a Deo accepta, & illa ſunt juris divini: alia inſtituerint tanquam Paſtores Eccleſiæ, ut abſtinentiam a ſuffocato & ſanguine, *Cetera*, inquit S. Paulus 1. Cor. 11. *cum venero, diſponam:* & iſta ſunt juris Eccleſtiaſtici.

Dicitur 3. *qua vir baptizatus*, ut denotetur ſubjectum irregularitatis: mulier enim, ut eſt ſubjectum incapax Ordinis, ita & irregularitatis, infidelis vero non eſt ſubditus legibus Eccleſiæ, nec proinde irregularitate canonica ligari poteſt. Subjectum ergo irregularitatis eſt omnis & ſolus maſculus baptizatus, ſive ſit Clericus, ſive Laicus.

Dices: Bigamia eſt irregularitas canonica: atqui bigamia poteſt eſſe in infideli: Ergo.

Diſtinguo majorem. Bigamia eſt irregularitas canonica in baptizato, Concedo: in infideli non baptizato, Nego majorem: quia non ſubjacet legi Eccleſiæ removentis bigamos ab Ordinibus.

Inſtabis: Infidelis habet duplex impedimentum ſuſcipiendi Ordines, ſcilicet infidelitatem, & bigamiam: ſi enim factus cathecumenus & fidelis baptizetur, propter bigamiam in infidelitate contractam ordinari non poterit, quia ex Innocentio I. epiſtol. 2. quæ refertur diſt. 34. cap. *Si quis*, in Baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur: ergo infidelis ligari poteſt irregularitate proprie dicta.

Nego conſeq. quia ex anteced. hoc unum colligi poteſt, nimirum, bigamiam in infideli eſſe rationem, propter quam poſt ſuſceptum Baptiſmum Eccleſia eum ab Ordinibus removet, ut ſuo loco explicabitur.

Dicitur 4. *Directe & primario interdicitur ſuſceptione*

ne Ordinum, *& conſequenter eorum uſu*. Quibus vocibus irregularitas diſtinguitur ab excommunicatione, interdicto, & ſuſpenſione, per ejuſmodi enim cenſuras fidelis directe & primario privatur, per excommunicationem quidem communione aliorum fidelium, per interdictum divinis Officiis, & per ſuſpenſionem functionibus Ordinis, per irregularitatem vero primario cavet Eccleſia, ne conſecretur Miniſter, ac conſequenter ne in ſuſceptis Ordinibus miniſtret.

Inſtabis iterum, irregularitas, quæ a Sacerdote contrahitur, impedit ſolum, ne in ſuſceptis Ordinibus miniſtret: ergo ejuſmodi irregularitas primario & directe impedit uſum Ordinum.

Diſtinguo antecedens: impedit ſolum per accidens, Concedo: per ſe & ex primaria Legiſlatoris intentione, Nego antecedens: ſic enim fieri poſſet, ut qui jam eſt Sacerdos, non foret Sacerdos, per irregularitatem ſpoliaretur Sacerdotio. Sed quia character Sacerdotalis eſt indelebilis, Eccleſia efficit, ut in irregulari maneat inutilis, prohibendo ſcilicet omnem ejus uſum.

Q. 2. *Irregularitas eſtne impedimentum ſuſcipiendæ Tonſuræ?*

Negant aliqui Theologi, tum quia Tonſura proprie non eſt Ordo, ſed præparatio ad Ordines; tum quia nulla eſt irregularitas, niſi ſit in jure expreſſa: atqui jus non exprimit irregularitatem eſſe impedimentum ſuſcipiendæ tonſuræ; tum quia odia ſunt reſtringenda, ubi jus expreſſe non obſtat. Nihilominus

R. Irregularitas eſt impedimentum ſuſcipiendæ Tonſuræ. 1. quia Theologi & Canoniſtæ ita communiter ſentiunt. 2. Favet praxis Eccleſiæ. 3. Irregularis eſt incapax effectuum Tonſuræ, qui ſunt habilitas ad Ordines & ad Beneficia. 4. Tonſura in jure appellatur Ordo: cap. *Cum contingat*, tit. *de ætate & qualitate præficiendorum*, ubi Innocentius III. quærenti Archiepiſcopo Rothomagenſi, num in Tonſura, quam Abbas ſuis ſubditis confert, *Clericatus Ordo conferatur*, ſic reſpondet, a *talibus Clericalis Ordo confertur*: Ergo cum in Jure Tonſura dicatur Ordo, & aliunde in jure habeatur irregularitatem eſſe impedimentum ad Ordines, ſatis

ſatis in jure exprimitur irregularitatem eſſe impedimentum ſuſcipiendæ Tonſuræ. Et ſic patet reſponſio ad momenta oppoſitæ ſententiæ.

Q. 3. *In dubio debetne quis cenſeri irregularis?*

Nota, duplex poſſe eſſe dubium, juris ſcilicet & facti. Eſt dubium juris, quando lex canonica ita eſt obſcura ut peritiores ſenſum ejus ſatis non percipiant, & in ejus interpretatione inter ſe diſcordent: dubium vero facti dicitur, cum quis dubitat, num poſuerit actum, cui lex irregularitatem expreſſe imponit, v. g. num revera occiderit in bello juſto. His præmiſſis,

R. 1. In dubio juris nemo cenſendus eſt irregularis. Ita Covarruvias, Navarrus, & ceteri Canoniſtæ nituntur que cap. *Iis qui*, de ſententia excommunicationis ſupra laudato.

Circa dubium facti eſt aliqua controverſia inter Theologos. Ex recentioribus enim Suarez, Avila, qui alios appellat diſputatione 2. dub. 2. de irregularitate, docent in dubio quidem facti homicidii cenſendum eſſe irregularem, in aliis vero dubiis facti minime; quia inquiunt, nullus, ex dictis, reputandus eſt irregularis, niſi id habeatur in jure expreſſum: atqui nullibi jus pronuntiat irregularem in dubio facti, niſi homicidii. Sed oppoſita ſententia videtur præferenda: & juxta eam

R. 2. In quolibet probabili dubio facti debet quis ſe gerere irregularem. Probatur ex cap. *Ad audientiam*, tit. *de homicidio voluntario*, in quo Clemens III. dubitanti Presbytero num famulus deceſſiſſet ex vulnere a ſe inflicto, ſic reſpondet ejus Epiſcopo: „ Cum „ in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos „ convenit injungere Presbytero memorato, ut in ſa- „ cris Ordinibus non miniſtret. *Et cap.* Significaſti, „ *eodem titulo, Innocentius III. in ſimili dubio facti* „ *ſic decernit*, quod ſi diſcerni non poſſit, ex cujus „ ictu interierit (*fur a pluribus percuſſus*) in hoc dubio „ tamquam homicida debet haberi Sacerdos, & ſi forte ho- „ micida non ſit, a Sacerdotali Officio abſtinere debet: cum „ in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare: „ pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum „ periculum timeatur. „ Nec refert, quod in utroque ca-

canone ſermo ſit de dubio facti in materia homicidii; namque ratio, qua nituntur ſummi Pontifices, eſt univerſalis, militatque pro dubio facti in qualibet materia, v. g. magnum periculum eſt, ſi temere celebret, qui dubitat, num irregularis ſit ob violatam cenſuram, ac propterea ſecundum laudatos Pontifices a Sacerdotali officio abſtinere debet, cum in eo non ſit periculum.

Dixi, *probabili dubio*: quia ſi dubium ſit leve, & merus ſcrupulus, debet contemni.

Ergo debet ſe reputare irregularem, 1. qui fuit cauſſa abortus, & dubitat an fœtus eſſet animatus. 2. Qui cum aliis percuſſit, & neſcit an ipſe inflixerit vulnus lethale. 3. Medicus, vel Chirurgus incertus, an infirmus ipſius culpâ aut negligentia mortuus ſit, vel mutilatus.

Q. 4. *Quomodo dividitur irregularitas?*

R. Dividitur 1. in totalem, & partialem. Sacerdos v. g. reus homicidii eſt irregularis irregularitate totali, quia privatur quolibet Ordinum uſu: *percuſſus* vero cæcitate eſt irregularis, irregularitate partiali; poteſt enim concionari, & confeſſiones excipere, privaturque ſolummodo functionibus, quarum propter cæcitatem capax non eſt.

Dividitur 2. in eam, quæ eſt ex defectu, puta ex cæcitate; & eam, quæ eſt ex delicto, v. g. ex homicidio, aut violatione cenſuræ.

§. II.

De effectibus irregularitatis.

Q. 1. *Quotuplex eſt irregularitatis effectus?*

R. Triplex, 1. Impedit ſuſceptionem Ordinum, & Tonſuræ Clericalis. 2. Privat uſu Ordinum, omnium quidem, ſi ſit totalis: quorumdam vero, ſi ſit partialis. Uterque effectus conſtat ex dictis præcedenti paragrapho. 3. Inhabilem reddit ad quodlibet Beneficium recipiendum, ſi ſit totalis, ita ut collatio ſit ipſo jure nulla. Colligitur ex cap. *Si celebrat*, tit. *de Clerico excommunicato*. Et ratio eſt, quia Bene-

Beneficium datur propter officium: atqui ligatus irregularitate prohibetur fungi Ordinis officio: ergo non poteſt recipere Beneficium ex natura ſua ordinatum ad officium.

Ergo irregularis tenetur dimittere Beneficium in irregularitate, præſertim totaliter obtentum, & fructus inde perceptos reſtituere.

Dixi 1. *ad recipiendum Beneficium*: quia propter irregularitatem, quæ ſupervenit Beneficio jam obtento, Beneficiarius poteſt quidem privari Beneficio, ſed actu & de facto non privatur: quia, ut oſtendimus Tractatu de Legibus, nemo tenetur ſe ipſum ſpoliare re, quam juſto titulo acquiſivit ante Judicis ſententiam.

Dixi 2. *præſertim ſi irregularitas ſit totalis*: quia plures Theologi exiſtimant irregularitatem partialem non reddere inhabilem ad Beneficium, cujus munia irregularis obire poteſt. Vide Suarez diſp. 40. ſect. 2. num. 38.

Q. 2. *Irregularitas privat ne exercitio juriſdictionis?*

R. 1. Irregularitas totalis præcedens adoptionem Beneficii, inhabilem reddit ad exercitium juriſdictionis ordinariæ huic Beneficio annexæ. Et ratio eſt evidens: quia juriſdictio ordinaria fundatur in Beneficio, ad quod irregularis eſt inhabilis. Non eſt tamen incapax juriſdictionis delegatæ, cum ejuſmodi juriſdictio non conferatur ratione Beneficii.

R. 2. Irregularitas, quæ ſupervenit Beneficio obtento, non privat uſu juriſdictionis ordinariæ, quia ex mox dictis, non privat ipſo Beneficio. Ubi tamen juriſdictio exerceri non poteſt ſine uſu Ordinis, ut in Sacramento Pœnitentiæ, & benedictione nuptiarum, irregularis eam exercere nequit, cum irregularitas impediat uſum Ordinis.

Ergo Parochus, qui incurrit irregularitatem, licite poteſt exercere ea, quæ ſunt meræ Juriſdictionis, v. g. delegare ad Sacramenta ſuis Parochianis miniſtranda; non poteſt tamen ipſemet illa miniſtrare, quia in illis actibus juriſdictionis includitur uſus Ordinis, quo per irregularitatem privatur.

Q. 3. *Quam pœnam incurrit; qui violat irregularitatem, v. g. celebrat, & Sacramenta adminiſtrat?*

R. Pec-

R. Peccat, & quidem graviter, niſi neceſſitas excuſet; ſed nulla pœna in jure adverſus irregularem decernitur, ſicut adverſus eum, qui violat cenſuram.

Dixi, *niſi neceſſitas excuſet*, quia ſi irregularitas ſit occulta, & Parochus v. g. nequeat abſque infamia & ſcandalo abſtinere ab offerendo ſacrificio, licite celebrare poterit. In hypotheſi tamen, quod diſpenſatio eſſet reſervata ſummo Pontifici, & gratia niſi tardius obtineri non poſſet, ad Epiſcopum ſive per ſe, ſive per Confeſſarium recurrere deberet; ut cum ejus licentiam munere ſuo fungeretur.

§. III.

De ſpeciebus irregularitatis.

Diximus paragrapho primo, duas eſſe irregularitatis ſpecies; alteram ex defectu, alteram ex delicto, circa quas plura moventur dubia hic & ſequentibus paragraphis exponenda, ac ſolvenda.

Q. 1. *Quot ſunt ſpecies irregularitatis ex defectu?*

R. Novem.

Prima ex defectu animæ.
Secunda ex defectu corporis.
Tertia ex defectu natalium.
Quarta ex defectu ætatis.
Quinta ex defectu libertatis.
Sexta ex defectu obligationis.
Septima ex defectu Sacramenti.
Octava ex defectu bonæ famæ.
Nona ex defectu lenitatis.

Addunt nonnulli defectum ſexus maſculini. Sed ille defectus non eſt irregularitas proprie dicta, quæ non cadit niſi in ſubjectum capax Ordinum: ſexus autem femineus non eſt capax Ordinum: ergo nec irregularitatis.

Q. 2. *Quotuplex eſt irregularitas ex delicto?*

R. Quadruplex: prima ex homicidio; ſecunda ex iteratione Sacramenti; tertia ex hæreſi; quarta ex illicito uſu Sacramenti Ordinis.

§. IV.

§. IV.

De Irregularitate ex defectibus animæ.

Q. 1. QUæ ſunt irregularitates ex defectibus animæ? R. Tres numerantur, ſcilicet defectus rationis, ſcientiæ & fidei.

Q. 2. *Quinam arcentur ab Ordinibus ob defectum rationis?*

R. Arcentur 1. Pueri, qui nondum rationis ſunt participes; quamvis enim in plurium Theologorum ſententia capaces ſint Ordinis, quod alibi expendimus, Eccleſia tamen prohibuit, ne ad Ordines promoverentur. 2. Amentes, & furioſi, in quibus non comprehenduntur qui febre delirant, aliquando uſque ad furorem. 3. Energumeni ſeu Arreptitii, & Lunatici, qui identidem non ſunt ſuæ mentis compotes. 4. Epileptici, qui morbo comitiali ita ſubito corripiuntur, ut ſtatim interclusis ſenſibus cadant, quaſi exanimes, unde morbus ille malum caducum dici ſolet.

De furioſis habetur cap. *Maritum*, diſt. 33. *neque illum* (ordinandum) *qui in furiam aliquando verſus inſanivit*. De epilepticis, cap. *In tuis Litteris* cauſſa 7. qu. 5. De energumenis, cap. *Communiter*, cap. *Clerici*, cap. *uſque adeo*, cit. diſtinct. 33. & canone 13. Concilii Toletani undecimi his verbis: „ Bene quidem „ majorum regulis definitum eſt, ut Dæmoniis, aliiſ„ que ſimilibus paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tra„ ctare non liceat... exceptis illis, qui variis corpo„ rum incommoditatibus dediti in ejuſmodi paſſionibus „ in terram approbantur eliſi: qui tamen & ipſi tam„ diu erunt ab officii ſui ordine & loco ſuſpenſi, quo„ uſque unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi „ inveniantur ab incurſibus Dæmonum alieni. „ Quod ſi dubium ſit, an revera quis morbo caduco laboret, in illo dubio probandus erit dumtaxat per triginta dies ex cap. *Nuper*, cauſſa 7. qu. 2.

Ergo Energumeni, Lunatici, & Epileptici, poſtquam per annum probati fuerint a vexationibus Dæmonis

nis & morbo liberati, judicio Epiſcopi in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare poſſunt. Celebranti tamen Presbytero adeſſe debet alius Sacerdos, qui defectum, ſi forte contingeret, ſupplere poſſit. Sed ad ſuperiores Ordines, abſque diſpenſatione promoveri nequeunt, ex cap. *Maritum*, & cap. *Clerici*, ſupra laudatis.

Obſervat tamen Cabaſſutius lib. 5. cap. 19. Theoriæ, conſuetudine receptum eſſe, ut epilepſis in infantibus uſque ad annum decimumquartum non inducat irregularitatem; quia, ex Hypocrate, ante pubertatem amotionem recipit.

Q. 3. *Defectus ſcientiæ paritne veram irregularitatem?*

R. 1. Certum eſt defectum ſcientiæ eſſe impedimentum ſuſcipiendorum Ordinum, in quo nequidem ſummus Pontifex diſpenſare poteſt; cum ſit intrinſece malum, ut quis officium ſuſcipiat, qui aptus non eſt.

R. 2. Defectus ſcientiæ neceſſariæ ad Officia Ordinis obeunda, eſt impedimentum, & vera irregularitas. Probaturque ex cap. „ Illiteratos, *diſt. 36. refertur que ex* „ *Gelaſio ſummo Pontifice epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ*: „ Illiteratos, *inquit*, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præſumat ad Clericatus „ Ordinem promovere; quia litteris carens, ſacris non „ poteſt eſſe aptus Officiis: & vitioſum nihil Deo „ prorſus offerri legalia præcepta ſanxerunt. „

Hic canon conjungit defectum ſcientiæ cum defectu corporis, ac pronuntiat utrumque eſſe impedimentum ſuſcipiendi Ordines: atqui defectus corporis eſt vera irregularitas: ergo & defectus ſcientiæ. Unde colligitur in collat. 9. Diœceſis Agathenſis quæſt. 9. irritam & nullam eſſe proviſionem Beneficii factam illiterato, utpote irregulari. Quin cap. *Cum in cunctis*, quod eſt Concilii Lateranenſis IV. §. *Clerici*, tit. *de electione*: Clerici, qui hujuſmodi illiteratum ſcienter elegerint, per triennium a Beneficio ſunt ſuſpenſi; & Epiſcopus, qui iniquæ electioni conſenſerit, pro hac vice privatur jure conferendi, ut quos, inquiunt Patres, Dei timor a malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ.

Q. 4.

Q. 4. *Quinam ſunt irregulares ex defectu fidei?*

R. 1. Hæreticorum filii; nam Patres eorum non ex defectu, ſed ex delicto irregulares ſunt. 2. Neophyti: de prioribus ſic decernit Alexander IV. cap. „ Quicumque, §. Hæretici, *tit.* De Hæreticis *in ſexto*. Hæretici autem credentes, receptatores, defenſores, & „ fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam „ generationem, ad nullum Eccleſiaſticum Beneficium „ ſeu Officium publicum admittantur. Quod ſi ſecus „ actum fuerit, decernimus irritum & inane. „ Sed Canon ille non viget in Galliis, ubi non ſolum hæreticorum filii, ſed ipſimet Hæretici, poſtquam hæreſim ejurarunt, ad Ordines & Beneficia abſque diſpenſatione admittuntur.

Q. 6. *Quinam dicuntur Neophyti?*

R. Ita appellantur, 1. qui recens ad fidem convertuntur ab idololatria, Judaiſmo, & Mahumetiſmo. Hos ab Ordinibus arcet S. Paulus 1. Timoth. 3. v. 6. *Non Neophytum*, inquit, *ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli*. Et Concilium Laodicenum canone 3. *De iis*, inquit, *qui nuper ſunt illuminati baptiſmate, quod non conveniat promoveri in Ordine Sacerdotali*. 2. Qui in provectam ætatem baptiſmum differebant, atque in infirmitate dumtaxat eum percipiebant in lecto, ac propterea Clinici vocabantur a voce κλίνη, quæ lectum ſignificat: *Si quis in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet*, inquit Concilium Neocæſarienſe cap. 12. referturque diſt. 57. cap. *Si quis*. Addit tamen, *niſi forte poſtea ipſius ſtudium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit*. Sic SS. Ambroſius, Auguſtinus, & alii ob inſignem pietatem ſtatim a Baptiſmo ad ſacros Ordines rapti ſunt. 3. Qui a ſtatu Laicorum ad Ordines ſtatim, & abſque ullo intervallo temporis aſpirabant, de quibus S. Gregorius lib. 7. epiſt. 110. referturque diſt. 48. cap. „ Sicut: *his verbis*: Sicut „ Neophytus tunc dicebatur, qui initio ſanctæ fidei „ erat eruditione plantatus; ſic modo Neophytus habendus eſt, qui repente in Religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Ordina-

„ te ergo ad Ordines accedendum eſt; nam caſum appetit, qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum. Scimus autem quod „ ædificati parietes non prius lignorum pondus accipiunt, „ niſi a novitatis ſuæ humore ſiccentur, ne ſi ante pondera, quam ſolidentur, accipiant, cunctam ſimul „ fabricam ad terram deponant. „ Plura in hanc rem vide capite præcedenti, de ſanctitate neceſſaria ad ſacros Ordines.

§. V.

De Irregularitate ex defectu corporis.

Q. 1. Defectus corporis inducuntne irregularitatem? R. Non inducebant primis Eccleſiæ ſæculis, modo defectus illi non eſſent ex delicto.

Probatur ex can. 77. Apoſtolorum, in quo ſic habetur: „ Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure „ exiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficiatur, non enim „ mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio „ animæ. *Et Auctor Conſtitutionem Apoſtolicarum*, pro „ una Tribu Sacerdotali juſſit (*Chriſtus*) ex unaquaque „ gente optimos quoſque ad Sacerdotium eligere, ne- „ que corporum vitia contemplari, ſed religionem & „ vitam. „ Quin ſtigmata & cicatrices ex vulneribus propter Chriſtum toleratis ornabant, nedum deformabant pios Confeſſores, iiſque erant gradus ad Ordines: ut ſcribit S. Cyprianus de Aurelio & Celerino epiſt. 34. „ Lucent in corpore glorioſi, *inquit*, clara vulnerum „ ſigna, eminent & apparent in membris longa labe „ conſumptis expreſſa ſigna. *Et infra*: hos Lectores „ interim conſtitutos ſciatis; quia oportebat lucernam „ ſuper candelabrum poni, unde omnibus luceat, & „ glorioſos vultus in loco altiore conſtitui, ubi ab „ omni fraternitate circumſtante conſpecti incitamen- „ tum gloriæ videntibus præbeant.

Verum ſæculis ſequentibus, cum refriguit caritas, nec ea eſſet virtus in corpore vitiatis, quæ deformitatem vinceret, atque adeo in Clero oneri eſſent,

& de-

& deſpicatui: Eccleſia poſt quartum ſæculum prohibuit, ne quis cum hujuſmodi defectibus ordinaretur. Plures ea de re extant Canones diſtinct. 55. Libro quoque primo Decretalium toto titulo, *De corpore vitiatis*, & libro tertio, *De Clerico ægrotante*.

Dixi, *modo defectus illi non eſſent ex delicto*; quia Eccleſia ſemper prohibuit, ne ad Ordines promoverentur, aut in ſuſceptis miniſtrarent, qui ſeipſos mutilaverant, eoſque habuit tamquam ſui homicidas, ut conſtat ex canon. 22. & 23. Apoſtolorum relatis cap. „ Si quis, *diſtinct.* 55. Si quis abſcidit ſemetipſum, „ id eſt, qui amputavit ſibi virilia, non fiat Clericus; quia ſui eſt homicida. Si quis, cum Clericus „ fuerit, abſciderit ſemetipſum, omnino damnetur; „ quia ſui eſt homicida. „ Et Concilium Nicænum primum can. 1. relato eadem diſtinct. 55. „ Si quis, „ *inquit*, a Medicis propter languorem defectus eſt, „ aut a Barbaris exciſus, hic in Clero permaneat. Si „ quis autem ſeipſum ſanus abſcidit, hunc & in Clero conſtitutum abſtinere convenit, & deinceps nul„ lum debere talium promoveri. „ Ex quibus patet, non omnes eunuchos eſſe irregulares, ſed eos duntaxat, qui ſua culpa tales effecti ſunt. Unde Eunuchi a natura, vel per vim, aut juxta Medicinæ regulas ſecti, poſſunt promoveri ad Ordines: ſi alias digni fuerint.

Q. 2. *Quotuplicis generis ſunt defectus corporis, qui inducunt irregularitatem?*

R. Quadruplicis: irregularis enim eſt ex defectu corporis,

1. Qui inhabilis redditur ad munus Sacerdotale. Ita expreſſe habetur cap. *Expoſuiſti*, titul. *De corpore vitiatis*, ubi mutilatus manu deponitur. Et cap. *Presbyterum*, tit. *De Clerico ægrotante*, celebrare non permittitur Presbytero, cujus duos digitos cum medietate palmæ prædones abſciderant; *quia nec ſecure propter debilitatem; nec ſine ſcandalo propter deformitatem*. Idem ſentiendum de eo, qui ita tremulis eſt manibus, ut ſine periculo ſubverſionis calicis non poſſit celebrare, vel qui ita vinum abhorret, ut evomendi ſit peri-

periculum. Privatio tamen digiti, niſi ſit pollex aut index, aut propria culpa acciderit, non facit irregularem, cap. *Qui partem*, & cap *Labor*, diſt. 55.

2. Defectus, qui honorem & ſcandalum generat, ut lepræ macula, cap. *De Rectoribus*, tit. *De Clerico ægrotante*. *Dicimus*, inquit Clemens III. *quod pro ſcandalo & abominatione populi ab adminiſtrationis debet officio removeri*.

3. Defectus, qui, etſi inhabilem non reddat ad functiones ſacras, efficit tamen, ut cum nimia difficultate & indecenter peragantur, ut ſi quis habeat partem pollicis aut indicis amputatam, ita ut impediatur decenter frangere & tractare Euchariſtiam. Item, qui caret lumine oculi ſiniſtri, quamvis integri, ita ut non poſſit commode per oculum dextrum conſpicere librum ſine indecora faciei converſione ad populum.

Obſervant tamen Navarrus Enchyrid. cap. 23. n. 199. Sairus lib. 6. cap. 8. & Sambovius tom. 2. caſu 5. quod ſi tanta virtute polleat in dextro oculo, ut ſine deformitate legere poſſit Canonem, non cenſetur irregularis; quia ceſſat fundamentum irregularitatis. Hanc ſententiam Suarez diſp. 51. ſect. 3. n. 7. certiſſimam habet, ſi defectus poſt Ordinem contingat; ſi vero antecedat, judicio maturiore opus eſſe aſſerit.

4. Defectus, qui parit notabilem deformitatem. Ita Alexander III. cap. *Cum de tua*, tit. *De corpore vitiatis*; ubi decernit maculam in oculo non eſſe impedimentum ſuſcipiendi Ordinis, niſi inducat magnam deformitatem: examen autem permittit Epiſcopo. Hinc irregularis eſt, qui caret oculo, ſive dextro, ſive ſiniſtro, c. *Si Evangelica*, diſt. 55. naſo, pede, vel ita debilis eſt pedibus, ut ſine baculo ad altare ſtare nequeat; qui ita ſurdus eſt, ut nullo modo poſſit audire; qui nodum linguæ ita patitur, ut verbum integrum vix exprimere poſſit.

Dixi, *qui caret oculo*: qui enim utrumque oculum habet integrum, ſed caret lumine oculi dextri abſque notabili macula, irregularis non eſt, ſecundum communem ſententiam.

Ceterum, in dubio num deformitas, aut indecen-

centia irregularitatem inducat, ſtandum eſt Epiſcopi judicio, ex cit. cap. *Cum de tua*, titul. *De corpore vitiatis*.

Q. 3. *Vitia corporis occulta inducuntne irregularitatem?*

R. Minime, exceptis duobus caſibus, quia tunc nulla eſt deformitas, nullum ſcandalum, nullum indecorum in exercitio Ordinum.

Dixi, *exceptis duobus caſibus*; 1. quia qui eunuchus propria culpa factus eſt; aut membrum, ſive partem membri abſque juſta cauſſa ſibi amputavit, irregularis eſt, quantumcunque occultum ſit vitium: cap. *Maritum*, diſt. 33. Hermaphroditus, etiam occultus, ſicut a profeſſione Religionis; ita & ab Ordinibus rejiciendus eſt ſecundum communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam.

§. VI.

De irregularitate ex defectu natalium, ætatis, & libertatis.

Q. 1. Quinam *ſunt irregulares ex defectu natalium?* R. Omnes illegitimi. Illegitimi autem ſunt procreati vel extra matrimonium, ut ſpurii, nothi; vel ex matrimonio, ſed ex patre jam ſacris initiato, vel in Religione profeſſo cum conſenſu uxoris: nam ſi ſine ejus conſenſu ſacrum Ordinem ſuſcepiſſet, aut ſolemne Religionis votum emiſiſſet, teneretur cum illa cohabitare ipſa exigente, & filii, qui ex iis naſcerentur, eſſent legitimi.

Probatur reſponſio ex primo capite, „ De filiis „ Presbyterorum, *in quo ſic habetur*, ut filii Presby„ terorum, & ceteri ex fornicatione nati, ad ſacros „ Ordines non promoveantur, niſi Monachi fiant, „ vel in Congregatione Canonica regulariter viven„ tes: prælationem vero nullatenus habeant. Sed ne„ que ſervi, niſi a dominis ſuis libertate donentur: „ referturque ille Canon ex Concilio Pictavienſi ann. 1072. in quo quatuor ſunt notanda.

Primum, filii Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione vel adulterio nati, arceantur ab Ordinibus.

Secundum, per ſolemnem Religionis profeſſionem deletur ejuſmodi irregularitas, *quia*, inquit Urbanus II. *patrum peccata cum ſæculi poſſeſſionibus abdicarunt*. Refertur cap. *Niſi*, diſtinct. 56.

Tertium, illegitimus profeſſus non poteſt aſſumi ad Prælaturam, Abbatiam, Prioratum; nec Monialis illegitima poteſt habere Monaſterium in titulum: poteſt tamen ei præfici ad ſimplicem adminiſtrationem, ut in Congregationibus ſanctæ Urſulæ. Vide Fagnanum in illud caput num. 20. & 30.

Quartum, ſervi, hoc eſt, mancipia, Gallice, *Eſclaves*, excluduntur ab Ordinibus, niſi prius a dominis libertate donati fuerint, ut longe ante præſcripſerat Canone 28. Apoſtolorum. „ Servi in Clerum non ordinentur ſine domini voluntate, ſi quis vero dignus „ eſt, qualis Oneſimus fuit, domino conſentiente, li„ bertatem ei concedente, & extra domum ſuam emit„ tente, in eum gradum aſcendat. „ Sed in Gallia locum non habet iſthæc irregularitas, cum in ea nulli ſint ſervi, ſed ſolum famuli.

Q. 2. *Illegitimi fueruntne ſemper irregulares?*

R. 1. Non ſunt in Eccleſia Græca, teſte Balſamone Patriarcha Antiocheno, XII. labente ſæculo 2. Neque prioribus ſæculis irregulares fuerunt in Eccleſia Latina, cum de hac re nullus extet canon. Immo conſtat ex ep. 69. Stephani Tornacenſis ad Lucium Papam, illegitimos duodecimo ſæculo ubique non habitos irregulares: „ Quoniam, *inquit*, in Regno Francorum ali„ quæ Eccleſiæ quadam ſcrupuloſa nobilitate glorio„ ſam, ut æſtimant, ſibi conſuetudinem aſſumpſerunt, „ ne aliqui niſi ex licito complexu geniti promovean„ tur in eis, meritorum & virtutis excellentiam origini „ poſtponentes, prædicto Cancellario (*qui illegitimus* „ *erat*) ſuperbe potius, quam ſuperne titulum nativi„ tatis objiciunt. „ Concilium quidem Meldenſe an. 845. celebratum prohibet can. 64 ne filii illegitimi ad Dignitates Eccleſiaſticas provehantur; ſed præterquamquod non loquatur de omnibus illegitimis, ſed

de

de iis tantum, qui orti fuiſſent ex virginum aut viduarum raptoribus, permittit eos ordinari, *ſi aut maxima Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas poſtulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet*. Genebaldus nono ſæculo Laudunenſis Epiſcopus genuit poſt ordinationem filium, qui ei ſucceſſit in Epiſcopatu.

Q. 3. *Quare illegitimi repelluntur ab Ordinibus?*

R. Repelluntur 1. in deteſtationem ſceleris paterni, *ut paternæ incontinentiæ memoria*, inquit Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 15. de reform. *a locis Deo conſecratis, quos maxime ſanctitas puritaſque decet, longiſſime arceatur*. 2. Propter periculum incontinentiæ in filiis ex fœdo ſanguine procreatis, quia ſæpe filii ſimiles ſunt parentibus, & cum nonniſi poſt eorum mortem in bona paterna ſuccedant, ab illis adhuc viventibus vitia accipiunt. 3. Ob reverentiam ſacris Ordinibus debitam, ex cap. „ Cum decorem, *tit.* De „ filiis Presbyterorum, *in quo ſic habetur*: Cum inde„ corum ſit, ut in altaris officio illegitimus filius „ impudico patri miniſtret, in quo unigenitus Dei „ filius æterno Patri pro ſalute humani generis victi„ matur. *Et cap.* Nimis, *eodem titulo*, nimis in tua „ Provincia Eccleſiæ deformatur honeſtas, ex eo quod „ filii Sacerdotum, & alii non legitimi nati ... pro„ moventur; „ Enimvero illegitimi ſemper viles habiti ſunt etiam apud Paganos, qui illos non ſolum a Sacerdotio, ſed & a publicis muneribus repellebant.

Q. 4. *Eſtne irregularis, qui natus eſt ex matrimonio in facie quidem Eccleſiæ celebrata, ſed revera nullo ob aliquod impedimentum dirimens?*

R. Si Parentes bona fide contraxerunt, vel ſaltem alter eorum, illegitimus non eſt, nec irregularis, etiamſi per ſententiam Judicis ſeparati fuerint qui ſic contraxerunt; ſecus, ſi mala fide.

Prima pars probatur ex cap. *Cum inter*, tit. *Qui ſint filii legitimi*. *Sancimus*, inquit Alexander III. *ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, & qui concepti fuerant ante latam ſententiam, non minus habeantur legitimi*.

Secunda pars probatur ex capite „ Referente, *tit.* Qui

„ filii ſint legitimi „ *in quo ſic habet Cæleſtinus III.* „ Publicæ honeſtatis juſtitia prohibente, matrimonium „ inter eos contrahi non potuit, & contractum debuit „ ſeparari; ac per hoc „ eum filii nec per Eccleſiæ „ promiſſionem, nec per paternam ignorantiam ex„ cuſentur *(quia impedimenti conſcii erant parentes)* „ ad ſucceſſionem bonorum paternorum non videntur „ aliquatenus admittendi.

Q. 5. *Expoſiti infantes, quorum parentes ignorantur, ſuntne illegitimi & irregulares?*

R. Negant Sairus, & alii nonnulli, quia in dubio nullus eſt cenſendus irregularis; ſed ſententia affirmans longe eſt communior, eamque amplectuntur Covarruvias in Clementinam, *Si furioſus:* Suarez, Avila, Bonacina, &c. Et ratio eſt, quia tam vehementes ſunt conjecturæ hujuſmodi infantes eſſe illegitimos; cum legitimi non ſoleant exponi, ut vix quiſquam cohibeat aſſenſum. Cum tamen ſubſit aliquod dubium facti, idem Covarruvias, Suarez, Bonacina, & alii Canoniſtæ, docent Epiſcopatum poſſe diſpenſare cum expoſito, ut Ordines ſuſcipiat, & in eis bona fide miniſtret.

Q. 6. *Quomodo tollitur iſthæc irregularitas?*

R. Quatuor modis.

1. Per ſubſequens matrimonium, quando *ſcilicet* fornicarius uxorem ducit eam, ex qua prolem ſuſceperant. Ita Alexander III. cap. „ Tanta, *tit.* Qui filii „ ſint legitimi. Tanta eſt, *inquit*, vis matrimonii, „ ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimo„ nium legitimi habeantur, ac proinde abſque diſpen„ ſatione ordinari poſſunt.

Dixi fornicarius; nam ſi adulter, mortua conjuge, ducat in matrimonium feminam, ex qua prolem ſuſcepit, proles manebit ſpuria, & illegitima, cit. cap. *Tanta*.

2. Per legitimationem, quæ a ſolo ſummo Pontifice emanare debet quoad effectus ſpirituales, & a Rege quoad effectus civiles: ita ut nothus per Principem paternæ hæreditatis jure donetur, & per Pontificem habeat, ut ad Ordines & Beneficia promoveri poſſit.

3. Per

3. Per ſolemnem Religionis profeſſionem, ut patet ex citato capite 1. tit. *de filiis Presbyterorum*, ubi dicitur illegitimum profeſſum promoveri poſſe ad Ordines, non vero ad Prælaturas.

4. Per diſpenſationem, quam ſolus ſummus Pontifex concedere poteſt ad majores Ordines, & Prælaturas ex cap. „ Is qui, *tit.* De filiis Presbyterorum, *in* „ *ſexto*: Ad Ordines majores, vel Beneficia curam ani- „ marum habentia (ſuper quibus nequit Epiſcopus di- „ ſpenſare) ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ pro- „ moveri non poteſt. „ De minoribus autem Ordini- „ bus & Beneficio ſimplici præmiſerat ſummus Pontifex cit. cap. „ Ex diſpenſatione Epiſcopi licite poteſt, ſi „ aliud canonicum non obſtat, ad ordines promove- „ ri minores, & obtinere Beneficium, cui cura non „ imminet animarum.

Advertes circa illud Decretum, 1. Canonicatum non comprehendi inter Beneficia, ad quæ Epiſcopus illegitimum diſpenſare poteſt, quia illegitimus habilis non eſt ad Canonicatum, niſi ſit etiam habilis ad majores Ordines, ad quos promoveri tenetur Canonicus, atqui Epiſcopus, ex dictis, non poteſt diſpenſare illegitimum ad majores Ordines: ergo neque ad Canonicatum. 2. Diſpenſationem, quæ conceditur ad ſuſcipiendos Ordines, non extendi ad Beneficia, niſi de iis, eorumque natura, fiat expreſſa mentio.

Nihil addendum iis, quæ diximus de defectu ætatis, prima parte, cap. 10. §. 1.

§. VII.

De irregularitate ex defectu obligationis, & Sacramenti.

Q. 1. QUinam contrahuntur irregularitatem ex defectu obligationis?

R. Duo hominum genera.

1. Curiales, hoc eſt, qui ex officio negotiis ſæcularibus implicantur, ut Procuratores, Advocati, Notarii, Milites. Ita Alexander III. in Concilio Lateranenſi

tertio; referturque cap. *Sed nec*. tit. *de Cleric. vel Monach.* „ Sed nec procurationes villarum, *inquit*; aut „ juriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus Principibus & ſæcularibus viris, aut Juſtitiarius eorum „ fiat, Clericorum quiſquam exercere præſumat. Si „ quis autem adverſus hæc venire tentaverit (quia „ contra doctrinam Apoſtoli dicentis, *Nemo militans* „ *Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis* ſæculariter agit) „ ab Eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus, *Et cap.* Sicut, *quod eſt Innocentii III. eodem titulo*: Fraternitati tuæ mandamus, *inquit*, quatenus Clericis in „ ſacris Ordinibus conſtitutis, Tabellionatus officium „ per Beneficiorum ſubtractionem, appellatione poſtpoſita, interdicas.

2. Qui, dimiſſio Curiali officio, obligantur ad ratiocinia reddenda; nam ex capite unico, tit. *De obligatis ad ratiocinia*, non ſunt ordinandi, niſi *poſt depoſita onera*, *& reddita ratiocinia*, quia adhuc implicati cenſentur ſæcularibus negotiis, & periculum eſt ne a Judicibus ſæcularibus poſſint in Eccleſiæ dedecus infamari, ſi dolus aut fraus in rationibus inveniatur.

Q. 2. *Tutores pupillorum*, *viduarum*, *ac miſerabilium perſonarum*, *ſuntne irregulares defectu obligationis*?

R. Sanctus Cyprianus in Concilio prohibuerat, ne quis Tutorem vel Curatorem Clericum teſtamento ſuo conſtitueret, quod refertur cauſſa 21. quæſt. v. cap. *Cyprianus*. Sed Concilium Chalcedonenſe can. 3. Decretum temperavit: referturque diſt. 86. capite ultimo his verbis: „ Decrevit ſancta & magna Synodus „ neminem horum deinceps, hoc eſt, Epiſcopum, „ ſive Clericum, aut Monachum, conducere poſſeſſiones, aut miſceri ſæcularibus procurationibus, „ niſi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas „ ſive curationes inexcuſabiles attrahuntur, aut cui „ civitatis ipſius Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum „ commiſerit gubernacula, vel orphanorum ac viduarum, quæ indefenſæ ſunt, & earum perſonarum, „ quæ maxime Eccleſiaſtico indigent adminiculo propter timorem Dei.

Q. 3.

Q. 3. *Quid eſt irregularitas ex defectu Sacramenti?*

R. Eſt ea, quæ oritur ex bigamia, ſive matrimonio pluries contracto. Bigamia quippe eſt nomen Græcum compoſitum ex vocibus, Δὶς, Latine, *bis*, & γαμὸς, Latine, *nuptiæ*; unde bigamus, ſive digamus dicitur, qui plures uxores ſucceſſive duxit.

Q. 4. *Quotuplex eſt bigamia?*

R. Triplex, vera ſcilicet, interpretativa, & ſimilitudinaria.

Bigamia vera eſt ea, qua aliquis duas uxores legitime ſucceſſive duxit, & cum iis matrimonium conſummavit. Hanc bigamiæ ſpeciem ſemper induxiſſe irregularitatem conſtat, tum ex Apoſtolo 1. Tim. 3. v. 2. & v. 12. Tit. 1. v. 6. ubi vetat ordinare Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui ad ſecundas nuptias tranſierint, tum ex PP. & Conciliis, Tertulliano lib. de monogamia; Innocentio I. epiſt. 2. ex Can. 17. Apoſtolorum; ex Conc. Neocæſarienſi Can. Toletano IV. & Agathenſi Can. 1.

Dixi 1. *uxores legitime .... duxit*; quia ex fornicatione, vel adulterio non exurgit bigamia, & irregularitas, ex cap. *Quia*, tit. *De bigamis non ordinandis*.

Dixi 2. *Et cum iis matrimonium conſummavit*: ſi enim ſponſa poſt ratum matrimonium nec conſummatum, Religionem profeſſa fuerit, & ſponſus alteram ducat uxorem, non eſt bigamus; nec etiam qui plures duxit uxores, & cum nulla matrimonium conſummavit; puta ob impotentiam. Ita Innocentius III. cap. *Debitum*, tit. *De bigamis non ordinandis*: *Qui mulierem*, inquit, *ab alio ductam, ſed minime cognitam duxit uxorem; quia nec illa, nec ipſe carnem ſuam diviſit in plures, propter hoc impediri non debet*.

Bigamia interpretativa eſt ea, qua aliquis ex juris interpretatione habetur ut bigamus, etiamſi non ſit vere bigamus. Hac bigamiæ ſpecie laborat, primo, qui viduam duxit, ex Innocentio I. ep. 2. „ Viduam, „ *inquit*, Clericus non ducat uxorem: *Ex S. Leone* „ *ep.* 87. *in qua ſic ſcribit*: nec divinæ legis ſtatuta de„ fuerunt, quibus evidenter eſt definitum, ut virginem

„ Sa-

„ Sacerdos accipiat, & alterius thorum neſciat conjugis, quæ uxor eſt futura Pontificis. *Et ex Can.* 18. „ *Apoſtolorum*: Si quis viduam aut ejectam acceperit, „ aut meretricem, aut ſervam, vel mimam ſeu ſcenicam, non poteſt eſſe in Clero„. Bigamus tamen non eſt, qui cum mima contraxit, ſi illa fuerit virgo; nihilominus expellitur ab Ordinibus, propter infamiam, qua aſpergitur ex illo conjugio. 2. Qui virginem quidem duxit, ſed poſt nuptias adulterata eſt, & nihilominus poſt ejuſmodi adulterium eam cognovit, bigamus & irregularis declaratur Can. 8. Conc. Neoceſarienſis: *Mulier cujuſdam adulterata Laici conſtituti, ſi evidenter arguatur, talis ad miniſterium Cleri venire non poterit. Si vero poſt ordinationem adulterata fuerit, dimittere eam convenit. Quod ſi cum illa convixerit, miniſterium ſibi commiſſum obtinere non poterit.* 3. Qui multas quidem uxores, ſed non veras habuit propter impedimentum dirimens, ex cap. *Nuper*, tit. De bigamis, *Cum hujuſmodi Clericis*, inquit, Innocentius III. *Qui, quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat diſpenſare, licet in veritate bigami non exiſtant, non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto*, id eſt carnali copula.

Bigamia ſimilitudinaria eſt ea, qua aliquis poſt ſolemnem Religionis profeſſionem, vel poſt ſacrum Ordinem ſuſceptum matrimonium contrahit ſive cum virgine, ſive cum corrupta; ex Concilio Ancyrano Can. 18. referturque cauſſa 27. quæſt. 1. cap. 24. „ Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati ſunt, „ profeſſione contempta, inter bigamos, id eſt, „ qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debe„ bunt. *Et cap.* Nuper, *tit.* De bigamis non ordinandis.

Q. 5. *Quare bigamia dicitur defectus Sacramenti?*

R. Quia bigamus perfecte non ſignificat, neque repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ unius eſt cum una; Chriſtus enim in æternum unam deſponſavit Eccleſiam, & vera Eccleſia uni viciſſim Chriſto

ad-

adhæret. Sacramentum hoc magnum eſt, quod non repræſentat qui duas uxores duxit.

Q. 6. *Quibus de cauſſis Eccleſia bigamos repellit ab Ordinibus?*

R. Tres potiſſimum afferuntur a SS. PP. & Summis Pontificibus.

Prima eſt incontinentia, quæ ſe prodit iterato matrimonio. Ad eam attendiſſe videtur Apoſtolus, cum non ſolum in ordinandis Clericis, ſed etiam in viduis eligendis requirat, ut ſecundo non nupſerint. Hanc ſpectarunt S. Ambroſius lib. 1. de Offic. cap. ult. referturque cap. „ Una tantum, diſt. 26. Quo„ modo, *inquit*, poteſt hortator eſſe viduitatis, qui „ ipſe conjugia frequentavit? *S. quoque Auguſtin.* nec „ ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam „ numeroſitatis auferre. *Et Gelaſius Summus Pontifex* „ *epiſt.* 9. *in qua ſcribit*: Secundas nuptias ſicut ſæ„ cularibus inire conceditur, ita poſt eas nullus ad „ Clericale ſinitur venire collegium; alia enim eſt „ humanæ fragilitati generaliter conceſſa licentia, „ alia debet eſſe vita divinarum rerum ſervitio dedi„ cata.

Eccleſia Græca ſolam incontinentiæ notam in bigamis reſpexiſſe videtur, utpote quæ licet ſecundas nuptias non damnaret, bigamos tamen baptizatos pœnitentiæ ſubjecit: atqui pœnitentia ſupponit culpam; defectus vero Sacramenti ſeu ſignificationis myſticæ non eſt culpa: ergo ſolam incontinentiam in bigamis damnavit. Unde colligebat bigamiam ante baptiſmum contractam per baptiſmum deleri; quia baptiſmus omnem peccati labem abſtergit. Hanc ſententiam S. Hieronymus, qui in Oriente commorabatur, amplexus eſt, ſed ſobrie, & abſque prejudicio oppoſitæ ſententiæ, quam Eccleſia Latina ſemper propugnavit: cum enim id in crimen ipſi verteretur, ſic ſe excuſat in ſua Apologia contra Ruſinum: „ Hæc dicimus, *in„ quit*, non quod ipſi propitio Chriſto hac quæſtione „ teneamur, ſed interrogati a fratribus, quid nobis vi„ deretur, reſpondimus nulli præjudicantes ſequi quod „ velit, nec aliud decretum noſtra ſententia ſubvertentes.

Se-

Secunda ratio, ob quam bigami excluduntur ab Ordinibus, eſt defectus Sacramenti; quam rationem Latini maxime urgent, ut videre eſt in toto titulo *De bigamis non ordinandis*, ac præſertim cap. *Debitum*. Unde inferunt bigamiam non auferri per baptiſmum; cum non auferatur numerus uxorum. Hoc argumentum S. Auguſtinus omnibus ſuis partibus & numeris explicat lib. de bono conjugali capit. 18. *Sacramentum nuptiarum noſtri temporis*, inquit, *ſic ad unum maritum & unam uxorem redactum eſt, ut diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare, niſi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel Paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt: de Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in baptiſmo peccata omnia dimittuntur ...... propter Sacramenti autem ſanctitatem, ſicut femina etiamſi catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt baptiſmum inter Dei virgines conſecrari; ita non abſurde viſum eſt, eum, qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam*. Huic argumento inſiſtunt Petrus Damiani lib. quem inſcripſit, *Dominus vobiſcum*, cap. 12. S. Thomas in 4. diſtinct. 27. quæſt. 3. art. 1. & omnes Theologi ac Canoniſtæ.

Tertiam hujuſce diſciplinæ rationem profert Sanctus Chryſoſtomus homil. 2. in Epiſt. ad Titum, nempe eum qui amorem ſuum ab uxore defuncta in alteram transfert, videri cupiditate magis & carnali affectu duci, quam animo benevolo: „ Caſtigat, *inquit*, impudicos Apoſtolus, dum eos non permittit poſt ſecundas nuptias ad Eccleſiæ regimen, dignitatemque Paſtoris aſſumi; nam qui benevolentiam nullam ſervaſſe deprehenditur defunctæ uxori, quo pacto hic Eccleſiæ præceptor eſſe optimus poterit? „ Certe magis de eo timendum eſt, quam de quoquam, ne Eccleſiam ipſi deſponſatam minus diligat, quam ejus dotem & amplitudinem; eamque re-

repudiet, ſi clarior altera magis dotata ſe offerat.

Q. 7. *Quis cum bigami diſpenſari poteſt?*

R. Concilium Arauſicanum I. anno 441. permittit ab Epiſcopis can. 25. promovere bigamos ad Subdiaconatum; nec ſupra Lucius III. cap. *Super eo*, tit. *de bigamis non ordinandis*, prohibet ſolum Epiſcopis initiare ad ſacros Ordines, quod fuit uſu receptum uſque ad ætatem Sancti Thomæ. *Papa*, inquit citata quæſt. 3. *poteſt diſpenſare totaliter, ſed Epiſcopum quantum ad minores Ordines*. Verum mos ille abrogatus eſt in Conc. Lugdunenſi ſecundo can. 16. „ Bigamos, *inquiunt Patres*, omni privilegio Clericali declaramus „ eſſe nudatos, & correctioni fori ſæcularis addictos, „ conſuetudine contraria non obſtante; ipſis quoque „ ſub anathemate prohibemus deferre tonſuram, vel „ habitum Clericalem. „ Et Concilium Tridentinum ſeſſion. 23. cap. 17. de reformatione, prohibet, ne conjugati bigami geſtent tonſuram & habitum Clericalem, neve obeant munia inferiorum Clericorum: Ergo multo magis vetat ne ordinentur ad hujuſmodi miniſteria. Refert etiam Fagnanus in cap. *Quoniam*, tit. *de Conſtitutionibus*, Sixtum V. in Conſiſtorio declaraſſe Epiſcopum a collatione Ordinum ſuſpenſum, qui contulerat bigamo primam tonſuram & beneficium.

§. VIII.

De irregularitate ex defectu bonæ famæ.

DEfectus bonæ famæ dicitur infamia; *in* quippe eſt particula negativa, ſicut *inutilis* idem ſonat ac *non utilis*, *inſons* idem ac *ſine culpa*, ita *infamis* eſt *ſine fama*, nimirum *bona*.

Bona autem fama definitur a Sancto Auguſtino lib. 83. Quæſtionum quæſt. 31. *clara cum laude notitia*: Ergo infamia, quæ bonæ famæ opponitur, eſt obſcura notitia cum vituperatione & reprehenſione. Porro ſiniſtra illa opinio præciſe ſumpta non eſt delictum, ſed defectus bonæ famæ, quamvis ut plurimum,

oria-

oriatur ex delicto. Dico, *ut plurimum*: nam in jure nonnulli ſunt infames ſine delicto; puta ſi profiteantur artem viliorem, proſtitutam ducant in uxorem. Unde merito irregularitas, quæ contrahitur ex infamia, dicitur ex defectu, circa quam plures occurrunt difficultates hic elucidandæ. Itaque

Q. 1. *Infamia inducitne Irregularitatem?*

R. Affirmative, eſt enim regula juris penultima in ſexto, *Infamibus portæ non pateant dignitatum*.

Q. 2. *Quotuplex eſt infamia?*

R. Duplex, juris ſcilicet & facti.

Infamia juris eſt ea, quæ imponitur jure tum canonico, tum civili, niſi lex canonica juri civili derogaverit. Habetur enim *c. Omnes*, cauſſa 6. q. 1. *Omnes infames dicimus, quos leges ſæculi infames appellant, & omnes qui culpis exigentibus ad Sacerdotium non poſſunt provehi*. In quibus verbis notat Gloſſa, infames alios eſſe ſecundum canones, alios ſecundum leges civiles. Et ratio eſt, quia viles ſunt, & Sacerdotio indigni, quos leges canonicæ & civiles declarant infames.

Dixi, *niſi lex canonica juri civili derogaverit*: ſicut de facto derogavit legi civili, quæ viduam pronuntiat infamem, ſi tempore luctus nupſerit: quia lex civili eatenus inducit irregularitatem, quatenus ab Eccleſia adoptatur; ad irregularitatem quippe inducendam requiritur juriſdictio ſpiritalis, quæ non competit Laicæ poteſtati.

Infamia facti eſt ea, quæ oritur ex delicto, propter quod aliquis male audit apud viros graves & ſapientes, quamvis per legem delictum illud non notetur infamia, cap. *Licet* 1. *de probationibus*.

Q. 3. *Quotuplex eſt juris infamia?*

R. Duplex; alia, quæ per legem ipſo facto decernitur in eos, qui nonnulla atrociora crimina patraverint: alia, quæ oritur ex ſententia, qua Judex damnat ad pœnam infamantem, puta ad triremes,

Q. 4. *Quæ peccata ipſo jure inducant infamiam, & conſequenter irregularitatem?*

R. Plura recenſentur ex Digeſtis, cap. *Infames*, cauſſa 3. q. 7. ubi dicuntur infames „ Sodomitæ, ca-
„ pita-

„ pitali crimine vel calumniæ cauſſa publice damnati „ exercentes improbum fœnus, & exigentes uſuras uſu„ rarum, fures ſacrilegi, qui adverſus patrem arman„ tur, inceſtuoſi, homicidæ, perjuri, malefici, vene„ fici, adulteri; qui contra innocentes Principum ani„ mos ad iracundiam provocant, & omnes, quos Ec„ cleſiaſticæ vel ſæculi leges infamant. *Et cap.* Sane, „ 15. q. 3. quod refertur ex eod. 1. lege 29. ſi quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepiſſe detegitur, ad inſtar publici criminis, & læſæ majeſtatis, perpetuæ infamiæ damnatur.

Q. 5. *Contrahiturne infamia ex hujuſmodi criminibus quando ſunt occulta?*

R. Affirmant nonnulli; ſed alii communiter negant, & quidem merito, quia ex dictis, infamis vocatur, qui bona caret fama, & in mala exiſtimatione eſt apud homines: atqui nocens, quandiu crimen ejus eſt occultum, non caret bona fama, nec eſt in mala exiſtimatione apud homines: Ergo non eſt infamis.

Dices: homicida eſt irregularis quantumcumque homicidium ſit occultum: Ergo.

Diſtinguo antecedens; eſt irregularis, propter crimen & defectu lenitatis, Concedo: propter infamiam, Nego antecedens: quandiu enim crimen ejus eſt occultum, non male audit apud homines. Verum quidem eſt, quod non meretur bonam famam, quam poſſidet; ſed ea juſte ſpoliari non poteſt, niſi auctoritate publica.

Q. 6. *Quæ notorietas requiritur, ut quis cenſeatur, infamis, & irregularis ob juris infamiam?*

R. Plura obſervant hic Theologi ſimul & Canoniſtæ, quæ in Gallia vix ſunt ulli uſui, cum apud nos notorietas facti non admittatur. Itaque in Galliâ neceſſaria eſt ſententia declaratoria, ut quis v. g. perjurus, aut uſurarius cenſeatur infamis & irregularis, quamvis ante ſententiam propter ejuſmodi crimina vulgo male audiret.

Q. 7. *Omnis mulcta aut pœna a Judice inflicta inducitne infamiam juris?*

R. 1.

R. 1. Nulla pœna a Judice Eccleſiaſtico inflicta præciſe ac directe inducit infamiam, ſaltem quoad effectus civiles: tum quia paterna eſt, & ad rei emendationem tendens: tum quia ſicut bona fortunæ, ita & fama directe ſubeſt juriſdictioni civili, non Eccleſiaſticæ.

Dixi 1. *præciſe ac directe*, quia ſi accuſatus convincatur criminis ipſo jure infamantis, eo ipſo quo Judex Eccleſiaſticus eum declarat hujuſce criminis reum, illum indirecte reddit infamem.

Dixi 2. *quoad effectus civiles*; quia Eccleſia poteſt reddere infamem quoad effectus ſpiritales, ut patet exemplo eorum, qui cum gradus pœnitentiæ Luctuoſæ decurrunt, jure Eccleſiaſtico arcentur ab Ordinibus „ defectu bonæ famæ, c. „ Non negamus, *diſt.* 61. nec „ de pœnitentibus quidem, *inquit Hormiſdas*, quiſ„ quam ad hujuſmodi gradum profanus temerator ac„ cedat. Satis illi poſtulanti ſit venia, qua conſcien„ tia abſolvat reum, qui ſe peccata ſua populo ſcit „ teſte confeſſum. Quis enim quem paullo ante vidit „ jacentem, veneretur Antiſtitem? Præferens memo„ randi criminis labem, non habet lucidam Sacerdotii „ dignitatem.

R. 2. Non quævis mulcta aut pœna a Judice ſæculari impoſita infamem reddit, niſi crimen, propter quod reus damnatur, infamiam habeat ipſo jure annexam; ſed debet eſſe gravis, ut ignominioſe traduci, Gallice, *faire amende honorable*, numellis publicis verſari, Gallice, *etre mis au pilory*, virgis cædi, ad remos dari, exilio damnari.

Ergo propter mulctam pecuniariam a Judice ſæculari decretam non contrahitur irregularitas, cap. *Cum te*, tit. *de ſent. & re judicat.* neque propter admonitionem ab eodem Judice in Auditorio factam, Lege, *Interlocutio* 19. l. *Quibus cauſſis infam.* Dico, *admonitionem*, quia reprehenſio, Gallice, *blame*, inducit irregularitatem. Unde Judex Eccleſiaſticus abuſive pronunciaret Clericum a ſe damnatum, teneri ſiſtere ſe coram tribunali ſuo, ut ibi reprehendatur.

Q. 8. *Clericus damnatus ad exilium aut triremes; amittitne ipſo facto Beneficium?*

R. Si

R. Si pœnæ illæ ſint perpetuæ, amittit, quia per hujuſmodi pœnas cenſetur mortuus, & bona ipſius fiſco ſunt addicta. Ita lex municipalis Borbonienſis artic. 312. & Nivernenſis cap. 2. art. 3. Vide Brodeau.

Dixi, *ſi pœnæ illæ ſint perpetuæ*, qualis cenſetur pœna exilii extra Regnum: nam ſi ſint ad tempus, & infra decem annos, ſic damnatus non amittit ipſo facto Beneficium ob ejuſmodi pœnam, poteſtque de illo diſponere, ſed novum acquirere non poteſt.

Q. 9. *Comprehenſio hominis decreta*, *Gallice*, Decret de priſe de corps, *aut vadimonii per ſe obeundi denuntiatio*, *Gallice*, ajournement perſonel, *inducit ne irregularitatem*?

R. Juxta ſanctionem Regiam anni 1670. tit. 10. art. 2. ſuſpendit exercitium jurisdictionis civilis; ad quam Judex Eccleſiaſticus ſe conformare debet, quia, ut dicitur cap. *Omnipotens*, quod eſt S. Gregorii lib. 4. epiſt. 34. referturque l. 5. tit. *de accuſationibus*: *valde grave eſt*, *ut vir*, *de quo tanta & talia nuntiantur* (*cum ante inquiri & diſcuti debeant*) *honoretur*. Sed nulla inde naſcitur irregularitas reſpectu Beneficii, nec Ordinis, in quo miniſtrare poteſt; prohibeturque ſolum juriſdictionis exercitium.

Q. 10. *Infamia facti redditne irregularem?*

R. Affirmative; nam ex Apoſtolo 1. Tim. 3. verſ. 7. qui ad ſacrum miniſterium aſſumitur, *oportet illum habere bonum teſtimonium ab iis qui foris ſunt*, *ut non in opprobrium incidat*, & *in laqueum diaboli*, hoc eſt, ne ſit puſilli animi, & quaſi laqueis diaboli irretitus non audeat arguere ubi oportet, ne propria vitia ipſi objiciantur.

Q. 11. *Quomodo tollitur irregularitas orta ex infamia?*

R. Irregularitas ex infamia facti tollitur abſque diſpenſatione per eam vitæ emendationem, quæ maculas prioris vitæ non ſolum coram Deo, ſed etiam in opinione hominum deterſerit, ita ut ſiniſtræ famæ ſucceſſerit bona exiſtimatio ex contrarii operibus bo-

nis

nis ſæpe ac diu repetitis: ſicut enim veſtium, ita & vitæ ſordes difficilius abluuntur, quam contrahantur. Irregularitas vero juris non tollitur per ſolam pœnitentiam; ſed inſuper requiritur diſpenſatio ſummi Pontificis, quando infamia eſt juris Canonici, colligiturque ex cap. *Cum te*, tit. *De ſententiam & re judicata*: Principis vero temporalis, ſi infamia lata ſit jure civili.

§. IX.

De irregularitate ex defectu lenitatis.

Q. 1. *Quid eſt irregularitas ex defectu lenitatis?*

R. Homo baptizatus, qui concurrit voluntariæ & proxime, licet juſte, ad proximi necem aut mutilationem, ut Judex, qui capite damnat, morte ſecuta. Reſponſio coll'gitur ex capite *Si quis viduam*, diſt. 50. ex cap. *Aliquantos*, quod eſt Innocentii I. refertürque diſtinct. 51. ſingula reſponſionis verba ſunt diligenter attendenda, cum ex ea ſolvi debeant plures caſus, qui in hac materia occurrunt difficiles. Itaque

Dixi 1. *homo baptizatus*, quo differt iſthæc irregularitas ab irregularitate ex defectu Sacramenti, qui ex dictis contrahitur a bigamo non baptizato, cum irregularitas ex defectu lenitatis non cadat, niſi in hominem baptizatum, ut obſervat Navarrus, Henriquez, Avila, & alii; quia jura loquuntur ſolum de homine baptizato, ut cap. *Aliquantos*, mox laudato, c. *Si quis viduam*, diſt. 50. & cap. *Si quis poſt remiſſionem*, ead. diſt.

Dixi 2. *concurrit*, ſive phyſice, ut carnifex, ſive moraliter, poſitive influens, ut mandans, conſulens, conſentiens, adjuvans; aut negative, ut non obſtans; cum ex officio & juſtitia teneatur, ſicut Magiſtratus & Medicus, quorum negligentia aliqui pereunt. Quod ſi non obſtans teneatur ex ſola caritate quamvis peccet, non fit tamen irregularis.

Dixi 3. *voluntarie*; ſi quis enim coactus ad ſui defenſionem occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ex dicendis non eſt irregularis.

Dixi

Dixi 4. *proxime*, quia ſi quis tantum remote concurrat ad necem vel mutilationem, non contrahit irregularitatem: unde armorum opifex irregularis non eſt, etiamſi aliquis armis ab eo conflatis alium occidat, quia nimis remote ad homicidium concurrit; ſecus, ſi venderet arma iis, quos novit jamjam duello conflicturos, quia in hoc poſteriori caſu actio ejus directe ac proxime tendit ad homicidium.

Dixi 5. *ad proximi necem, aut mutilationem*: 1. quia in jure occiſio & mutilatio æquiparantur quoad effectum irregularitatis, cap. *Si furioſus*, Clementina *de homicidio*: 2. quia occidendi aut mutilandi voluntas non ſufficit ad irregularitatem, niſi actu & de facto homo interficiatur, aut mutiletur. Unde qui abortum infert, antequam fœtus ſit animatus, irregularis non eſt, ex c. *Sicut*, tit. *De homicidio*, cum revera hominem non interficiat. Idem dicendum, tum de Judice, qui morte damnavit, ſed reus fuga mortem declinavit: tum de eo, qui pergens ad occidendum inimicum, ſed inveniens jam mortuum, caput ejus amputavit; tum de eo, qui graviter vulneravit, ſed nec occidit, nec mutilavit, etiamſi ex vulnere membrum maneat inutile, v. gr. oculus ad videndum, pes ad ambulandum. Ita Navarrus de irregul. n. 206. Soto l. 52. de juſtit. q. 2. art. 1. Covar. in cap. *Si furioſus*: Avila p. 7. diſp. 5. ſect. 1. dub. 2. & alii contra Sylveſtrum. Atque ob eam rationem Judex ſine irregularitatis periculo damnat ad flagella, ad cauterium liliatum, Gallice, *fleur de lys*, quia in his pœnis nulla mutilatio.

Q. 2. *Quid eſt mutilatio*?

R. Eſt membri truncatio, ſeu amputatio.

Q. 3. *Quid intelligitur nomine membri*?

R. Eſt illa pars corporis, quæ habet diſtinctum officium ab aliis partibus, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum. Ita Covarruvias in Clementinam, *Si furioſus*, Navarrus, Avila, & alii benemulti contra Cajetanum in 2. 2. q. 65. art. 1. & Sotum lib. 5. de juſtitia, ubi contendunt membrum dici etiam illam partem, quæ habet officium junctum

ctum cum aliis, ut digitus. Probatur, quia ſecundum communem loquendi uſum, illæ minores partes, v. gr. digitus, non dicuntur membra, ſed partes membrorum. Hancque ſententiam confirmare videtur Apoſtolus 1. Corinth. 12. ubi membra corporis vocat præcipuas partes, nempe oculum, pedem, &c. Et Roman. 12. unicuique membro aſſignat diſtinctam operationem; *omnia autem membra*, inquit *non eumdem actum habent*. Porro in odioſis non eſt extendenda vocum ſignificatio, ſed ſtricte & rigoroſe accipienda.

Ergo qui excutit dentem, abſcindit auriculam, ſeu cartilaginem, quæ ſolum deſervit ad ornatum & tutelam auris, vel qui præſcindit digitum, etiam pollicem vel indicem, ait Covarruvias citato loco, irregularis non eſt.

Dices: *Cap. Qui partem*, diſtin. 55. declaratur irregularis, qui partem cujuſlibet digiti ſibi abſcidit: Ergo.

Diſtinguo antecedens: qui volens & ex culpa abſcidit, Concedo: hic enim irregularis eſt ex delicto, & non ex defectu, qui abſcindit ſine culpa, Nego antecedens. Verba ſunt canonis: „ Qui partem cujuſlibet „ digiti ſibi ipſi volens abſcidit, hunc ad Clerum „ Canones non admittunt. Cui vero caſu aliquo con„ tigit, dum aut operi ruſtico curam impendit, aut „ aliquid faciens ſe non ſponte percuſſit, hoc Cano„ nes præcipiunt & Clericos fieri, & ſi in Clero fue„ rint reperti, non abjici; in illis enim voluntas eſt „ judicata, quæ ſibi auſa fuit ferrum injicere: in iſtis „ vero caſus veniam meruit. *Cap. quidem* De Presbytero, *titulo* De corpore vitiatis. „ Alexander III. irregularem declarat Presbyterum, qui partem digiti amiſerat, ſed in duello, ac proinde ſua culpa. Permittit tamen Epiſcopo cum illo diſpenſare; *licet*, inquit, *ejus exceſſus, gravem admodum extitiſſet*. Ergo, inquit Avila de irregularitate diſp. 3. dub. 1. contingere poteſt, ut quis efficiat alium irregularem, & ipſe non maneat irregularis; ſi v. g. præcidat alteri naſum, vel pollicem, quia naſus vel pollex non eſt membrum, & ta-

tamen præciſus eſt irregularis, propter deformitatem: contra vero qui præcidit alteri membrum virile, fit irregularis, quia mutilavit membrum: & tamen ſic præciſus ſine ſua culpa non eſt irregularis, cap. *Ex parte*, tit. *De corpore vitiatis*.

Dices 1. Homicida eſt irregularis: ſed qui ſine mutilatione virum aut mulierem ſterilem efficit, homicida eſt, cap. *Si aliquis*, tit. *De homicidio voluntario*: Ergo abſque mutilatione poteſt quis fieri irregularis.

Diſtinguo minorem: eſt homicida quoad pœnam homicidii, Concedo: quoad effectum irregularitatis, Nego minorem. Ita Gloſſa in hunc locum; patetque ſolutio ex cap. *Sicut*, eodem titulo, ubi Innocentius III. decernit eum non eſſe irregularem, qui fuit cauſſa abortus, fœtu nondum animato.

Q. 4. *Quinam in cauſſa ſanguinis cenſentur proxime ad mortem, ſive mutilationem concurrere, atque ideo irregularitatem contrahere?*

R. 1. Ex jure Canonico proxime concurrunt, & irregulares fiunt, 1. accuſator petens vindictam, & Advocatus, ſeu Procurator, qui accuſatori patrocinantur: 2. Teſtes: 3. Scriba, ſeu Notarius: 4. qui ſententiam exequuntur, ut carnifex, & qui ad ejuſmodi executionem conferunt, puta ſatellites, qui comitantur ad defenſionem, cuſtos carceris, qui furcam, ſcalam, &c. parant: denique quiſquis damnati accelerat mortem, ut ſi a Judice impetret, ne rotæ impoſitus longiori cruciatu torqueatur, ac propterea citius præfocetur. Irregularis tamen non foret, qui ex inadvertentia & præter intentionem efficeret, ut mors acceleraretur, puta ſi rogaret Judicem, ut reus non duceretur per vicum, ubi ſita eſt domus ejus & commorantur parentes, proptereaque via brevior aſſumeretur. Idem dicendum de Sacerdote, qui cum eo in eadem rheda vectus caſu inſtigaret jumentum, vel qui diceret carnifici, *non eſt quod te morer, functus ſum meo officio*: in eis enim caſibus mortis acceleratio eſt præter intentionem, nec ullus apparet defectus lenitatis.

Probatur reſponſio ex Concilio Lateranenſi IV. refferturque titul. *Ne Clerici vel Monachi*, cap. *Sententiam*, in quo ſic habetur: *Sententiam ſanguinis nullus Clericus dictet aut proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, interſit....* (nempe auctoritatem præbendo, alias regularis non fieret, nec peccaret, niſi venialiter ob levitatem materiæ juxta communem ſententiam) *nec quiſquam Clericus litteras dictet aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinanda*. Et c. *ſæpe*, 23. q. 8. ſtatuitur, quod *ſi quis Sacerdotum diſcuſſor in alienis periculis extiterit, ſit reus effuſi ſanguinis apud Chriſtum, & apud Eccleſiam perdat proprium gradum*. Cum autem teſtis ſuo teſtimonio multum conferat ad ſententiam ſanguinis, omnium Canoniſtarum judicio ſit irregularis, morte ſecuta. Unde S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. *Secundum juris ordinem*, inquit, *compelli non poſſunt Clerici ad ferendum teſtimonium in cauſſa ſanguinis*.

Nec dicas in laudatis Canonibus ſermonem non eſſe de Laicis, ſed de Clericis dumtaxat. Namque Clerici ideo dicuntur irregulares in recenſitis caſibus; quia proxime cooperantur morti aut mutilationi, atqui in omnium ſententia quiſquis ſive Clericus, ſive Laicus, ſi cooperatur in cauſſa ſanguinis, eſt irregularis: Laicus quidem ex ſolo defectu lenitatis utpote qui non pecces ſic cooperando: Clericus vero, ſi ſit Beneficiarius, aut aliquo majori Ordine inſignitus, præter irregularitatem quam incurrit, gravioris peccati reus efficitur, utpote tranſgreſſor legis Eccleſiaſticæ in materia gravi.

Dixi accuſatorem proxime ad mortem concurrere; ſi petat vindictam; quia ſi petat ſolum ſatisfactionem; nec ſit irregularis, nec peccat, etiamſi ſit Clericus; ſic enim ſtatuitur cap. *Prælati*, tit. *De homicidio*, in ſexto; „ Prælatis vel Clericis quibuſcunque, „ qui de Laicis ſuis malefactoribus querelam penes ſæ„ cularem Judicem deponentes, petunt emendam ſibi „ fieri, & provideri ne contra eos talia de cetero præ„ ſumantur, proteſtando expreſſe quod ad vindictam „ ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non

„ de-

„ debet, quamvis alias in tali caſu de jure debeat pœ-
„ na ſanguinis irrogari..... alioquin ſi Prælati, aut
„ Clerici propter metum hujuſmodi, quia Judex ad
„ pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefa-
„ ctoribus taliter conqueri non auderent, daretur ple-
„ riſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona
„ libere deprædandi. „ Præiverat Innocentius III. cap. *Poſtulaſti*, extra *de homicidio voluntario*. Porro in hoc decreto tria obſervant Canoniſtæ. 1. Clericum accuſatorem expreſſe debere teſtari, quod ad vindictam non intendat, alioquin foret irregularis. 2. Clericum accuſantem de injuria illata perſonis extraneis, ſecuta mutilatione vel morte, fieri irregularem. Dico, *perſonis extraneis*; quia ſi agatur de damno ſuis propinquis vel domeſticis; vel ſuæ Eccleſiæ illato, aut alicui ſub ejus protectione exiſtenti, Avila & alii benemulti exiſtimant Clericum poſſe accuſare abſque periculo irregularitatis. 3. vindictam quæ prævidetur ſecutura, debere eſſe juſtam; qui enim per calumniam accuſaret, irregularis foret, non tam ex defectu lenitatis, quam ex delicto homicidii.

R. 2. Ex uſu in Galliis recepto teſtes in cauſſa ſanguinis non cenſentur cauſſæ proximæ, ideoque Clerici & Religioſi compelluntur regia ſanctione anni 1670. tit. 6. ad teſtimonium ferendum in quavis cauſſa, etiam ſanguinis; ſic enim habetur: *Que toutes perſonnes aſſignèes pour ètres ouies en tèmoignage, recolèes ou confrontèes ſeront tenues de comparoitre pour ſatisfaire aux aſſignations mème les Eccleſiaſtiques, par amende, au payement de laquelle ils ſeront contraints par ſaiſie de leur temporel; enjoignant aux Superieurs Reguliers d'y faire comparoir leurs Religieux, à peine de ſaiſie de leur temporel, & de ſuſpenſion des privileges à eus par Nous accordes.*

Ex dictis ſequitur irregulares non eſſe 1. Clericos, qui habentes juriſdictionem temporalem Officialibus ſuis mandant, ut de homicidio, aut alio crimine inquirant; etiamſi pœna capitis inde ſequatur. 2. Concionatores, qui invehuntur in ſcandala publica, & prædicant Judices teneri purgare Rempublicam homini-

bus perditis. 3. Confeſſarios, qui obligant reum ad confitendum crimen, de quo juridice interrogatur; aut declarant Magiſtratibus non poſſe ſe illos abſolvere, niſi comprimant ſcandala, licet morte punienda. 4. Juriſperitos, ſive Theologos, qui interrogantibus reſpondent, leges eos morte damnare, qui commiſerint hoc vel illud crimen. Non debent tamen determinate reſpondere reum, de quo ſpeciatim interrogantur, eſſe morte plectendum. Et ratio eſt, quia dum generatim aperiunt, quid ferat jus, non magis concurrunt ad mortem, quam qui condidit legem, quem omnes Theologi & Canoniſtæ eximunt ab irregularitate; contra vero cum pronuntiat hunc reum eſſe morte puniendum, non ſecus ac ipſe accuſator, Advocatus, & Judex proxime concurrit ad mortem.

Quin Sanbovius adhærens uſui in Galliis recepto, contra communem ſententiam Theologorum & Canoniſtarum Ultramontanorum, docet tomo 2. reſolutione 20. Sacerdotem, qui Judici indicavit ubi fur lateret, qui poſtea ſuſpendio enecatus eſt, non eſſe irregularem: & reſolutione 56. irregularitatem non contraxiſſe Parochum, qui homicidam detinuit, & tradidit Judici, a quo poſtea morti addictus eſt. Addit inſuper accuſatorem in Regno non teneri ad vitandam irregularitatem conteſtando denuntiare, ut præſcribitur cit. cap. *Prælatis*, ſe non intendere mortem aut mutilationem, cum juxta mores noſtros non poſſit accuſare pro vindicta, ſoliuſque ſit Procuratoris Fiſcalis aut Regii vindictam expetere.

Q. 5. *Medici & Chirurgi ſuntne irregulares?*

R. Minime, etiamſi ſecundum artis ſuæ regulas membrum truncaverint; quia in Medicis curationibus nullus cernitur defectus lenitatis, quin elucet caritas & miſericordia.

Dixi, *ſecundum artis ſuæ regulas*; quia conſtat apud omnes Medicum vel Chirurgum irregularem eſſe ex delicto, quando ejus culpa æger interiit, vel contra artis regulas truncatus eſt, in dubio autem, an adhibita fuerit neceſſaria diligentia, Medicus vel Chirur-

gus

gus debet ſe gerere ut irregularem; ex cap. *Significaſti*. 2. tit. *De homicidio*.

Q. 6. *Clericus Beneficiarius, vel aliquo majori Ordine insignitus, ſitne irregularis exercendo artem Medicam?*

R. Graviter peccat, ſi exerceat Chirurgiæ artem adurendo vel incidendo; quia hujuſmodi curationes ipſi expreſſe prohibentur a Concilio Lateranenſi quarto, cap. *Sententiam*, tit. *Ne Clerici vel Monachi*; in quo ſic habetur, *nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus. Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit*. Et cap. *Tua nos*, tit. *De homicidio*, Innocentius III. interrogatus pro quodam Monacho Sacerdote, qui ferro tumorem in gutture mulieris aperuerat, ſic reſpondet: „ Licet ipſe Monachus multum „ deliquerit alienum officium uſurpando, quod ſibi „ minime congruebat: ſi tamen cauſſa pietatis, & „ non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque ſtuduit, quam debuit, „ diligentiam adhibere, non eſt ex eo, quod per culpam mulieris contra conſilium ejus accidit, adeo reprobandus, quod non poſt ſatisfactionem condignam „ cum eo miſericorditer agi poſſit, ut divina valeat „ celebrare, alioquin interdicenda eſt ei Sacerdotalis „ Ordinis executio de rigore. „ In qua reſponſione notandum eſt 1. Sacerdotem peccaſſe uſurpando alienum officium, ideoque pœnitentiæ addicendum, & ſatisfactionem ab eo exigendam. 2. Fore irregularem, ſi ſatis non fuit peritus, vel ſi omnem diligentiam non adhibuerit. 3. Non judicandum eſſe irregularem, ſi abſque ejus culpa, etiam leviſſima, obierit illa mulier. Ex eo autem conſtat Sacerdotem illum ab omni culpa fuiſſe immunem, quod cum mulierem monuiſſet, ne vento ſe exponeret, ipſa mandatum contempſerit, proptereaque magna copia ſanguinis ex vulnere effluxerit, & mulier extremum diem clauſerit.

Dixi, *ſi exerceat Chirurgiæ artem adurendo, vel incidendo*; quia Medicina generatim prohibita non eſt Clericis, etiam Sacerdotibus; ſed ea tantum quæ fit cum aduſtione vel inciſione, citra quam Sacerdotes licite

ac honeſte Medicinam exercere poſſunt pietatis cauſſa, modo tamen id caute ac ſobrie præſtent. Caute quidem, ne caſtitas & nominis exiſtimatio in diſcrimen veniant ex frequentiori cum mulieribus conſuetudine, & curatione quorumdam morborum, qui pudicos oculos offendunt, & mentem inquinant. Sobrie etiam, ne ejuſmodi operibus nimis indulgeant, quaſi artem Medicam profiteantur; ſed iis ſolum vacent ex neceſſitate, ubi deſunt Medici ad ſublevandos pauperes; quia, ut advertunt Navarrus Enchirid. c. 25. & Avilla parte 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 10. Canone *Multa*, tit. *Ne Clerici vel Monachi*; prohibentur Clerici implicare ſe negotiis ſecularibus: *Ecce talia & his ſimilia*, inquit Concilium Moguntinum, ex quo refertur ille Canon, *Miniſtris altaris Domini, necnon Monachis omnino contradicimus*, *de quibus ait Apoſtolus.*, Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus.

Q. 7. *Qui pugnant in bello, incurruntne irregularitatem?*

R. 1. Si bellum ſit injuſtum, & aliquis in eo ceciderit, incurrunt; etiamſi propria manu non occiderint, nec mutilaverint: quia ſunt cauſſæ ſaltem morales homicidii injuſti, quatenus homicidas adjuverunt, aut ſaltem præſentia ſua audaciores effecere.

R. 2. Si bellum ſit juſtum, & certi ſint quod neminem propria manu interfecerint, aut mutilaverint, non ſunt irregulares, ſecundum communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam: ſecus ſi ea de re dubitent. Utraque reſponſionis pars colligitur ex cap. *Petitio*, tit. *De homicidio*, in quo Honorius III. Sacerdotem, qui contra Saracenos pugnaverat, irregularem pronuntiat, ſi ei conſtet ſe aliquem propria manu interfeciſſe: in dubio autem vult eum a ſacris miniſteriis abſtinere; verba Pontificis ſunt: *Mandamus quatenus ſi de interfectione cujuſquam in illo conflictu tua conſcientia te remordet, a miniſterio altaris abſtineas reverenter; cum ſit conſultius in hujuſmodi dubio abſtinere, quam temere celebrare*. Ergo qui certus eſt ſe in bello juſto non polluiſſe manus ſuas ſanguine proximi, irregularis non eſt. Nec audiendi ſunt,

quos

quos Expeditionarios vocant, dum ſuadere conantur, nullo fundamento nixi niſi propriæ cupiditatis, indigere diſpenſatione ſummi Pontificis, quiſquis tulerit arma in bello juſto.

Q. 8. *Quare Eccleſia propter defectum lenitatis removet ab Ordinibus, & a ſacris miniſteriis?*

R. Quia manſuetudo eſt character Sacerdotii Chriſti, qui a Patre tanquam agnus miſſus eſt, & ipſe miniſtros ſuos miſit ſicut oves in medio luporum, quos patientia ſua & ſuaviſſimis moribus in agnos converterent; quippe damnavit Luc. 9. præpoſterum zelum Jacobi & Joannis, quo Samaritanorum vindictam expetebant: *Neſcitis*, inquit, *cujus ſpiritus eſtis*: vultis imitari zelum Eliæ, qui agebatur ſpiritu ſeveritatis & juſtitiæ; ſed neſcitis hunc Spiritum non eſſe meum. *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*; hoc eſt, interprete S. Auguſtino, peccatum damno, & hominem ſalvo. Unde Eccleſia ſemper judicavit nimis indecens fore, ſi Sacerdotes, qui quotidie in ſacrificio fundunt ſanguinem Agni immaculatis, melius loquentem quam Abel, Heb. 12. utpote miſericordiam de terra clamantem, non vindictam, cujuſquam mortem aut mutilationem intenderent: Ithacium Epiſcopum quarto ſæculo depoſuit in Concilio Trevirenſi, eo quod, ipſo agente, Maximus Imperator Priſcillianum nefandum Hæreſiarcham morti addixiſſet, & Epiſcopos ipſi adhærentes, qui Ithaciani dicti ſunt, a communione ſua removit.

§. X.

De irregularitate ex delicto homicidii.

NOmine homicidii intelligitur injuſta hominis percuſſio aut mutilatio; neque enim homicidas dicimus Judices, qui peſtiferos homine e medio tollunt; ſed eos dumtaxat, qui ſunt cauſſa injuſta mortis, aut mutilationis, quod cum variis modis contingere poſſit,

Q. 1. *Quotuplex homicidium?*

R. Duplex; ſcilicet voluntarium, & caſuale.

Voluntarium dicitur, quod directe intenditur vel in ſe, vel in cauſſa adeo cum effectu conjuncta, ut reputetur quis voluiſſe effectum eo ipſo, quo voluit cauſſam, ex qua prævidit mortem ſecuturam, v. g. illius mortem intendiſſe, cui venenum propinare voluit.

Caſuale eſt illud, quod præter intentionem agentis accidit, ut ſi quis intendens leviter percutere, manu tamen fallente, graviter vulneravit, & occidit.

Q. 2. *Quotuplex eſt homicidium caſuale?*

R. Duplex, purum, & mixtum.

Homicidium pure caſuale eſt illud, quod neque in ſe, neque in ſua cauſſa fuit intentum, nec prævisum; ſed omnino accidit præter intentionem agentis. Exemplum habes cap. *Exhibita*, tit. *De Homicidio*, ubi ſermo eſt de Clerico, qui cum in ætate puerili luderet cum coætaneis, in unum ex iis lapidem projecit incaſſo ictu & ſine animo lædendi, ſed terrorem duntaxat incutiendi; attamen fugiens ille corruit, & ex lapſu graviter vulneratus expiravit.

Et cap. *Joannes*, eodem titulo, Sacerdote pulſante campanas ad convocandam plebem, cadens tintinnabulum puerum interfecit. De iis autem conſultus Honorius III. reſpondet, nec Clericum arcendum ab Ordinibus, nec Sacerdotem removendum a ſacro miniſterio, quia nihil debet ipſis imputari propter caſus fortuitos non prævisos, maxime cum Sacerdos ille vacaret rei licitæ. In qua reſponſione duo obſerva. Primum, ut homicidium ſit pure caſuale, neceſſe eſt ut prævideri non potuerit, nec debuerit; ſi enim prævideri potuit, aut debuit homicidium, non erit pure caſuale, ſed mixtum; ut ſi quis lapidem per feneſtram projecerit, quo percuſſus, qui per vicum ſatis frequentatum gradiebatur, interiit. Secundum, ut vacet quis rei licitæ, ſi enim ſit illicita, & periculoſa, & præter intentionem quempiam occidat, v. g. ſi Clericus, dum venaretur, occidit hominem, cum feram putaret occidere, homicidium illud non eſt pure caſuale, ſed mixtum, quia venatio, quæ fit cum armis, Clericis eſt illicita & periculoſa.

Homi-

Homicidium mixtum dicitur, quando quis nec mortem aut mutilationem intendit, nec ſecuturam prævidit, ſed vel debitam diligentiam non adhibuit, ne mors contingeret, vel opus periculoſum ſuſcepit temere, quia ſatis peritus non eſt, aut quia id ipſi eſt prohibitum. Unde mors ſecuta partim eſt caſualis, quia ab agente non eſt intenta; partim voluntaria, nempe in cauſa; libere enim voluit aut omittere diligentiam debitam, aut ſuſcipere opus, cum eſſet imperitus, aut ſi peritus, contra Eccleſiæ interdictum ſubire interficiendi periculum.

Q. 3. *Homicidium, ſive voluntarium, ſive caſuale, inducitne irregularitatem?*

R. 1. Certum eſt ex quamplurimis Canonibus homicidium voluntariam inducere irregularitatem, c. *Clericum*, diſt. 50. ſic habet Nicolaus I. *Clericum, qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere etiam debet acquiſito; homicida enim eſt*. Cap. *ſiquis*, quod eſt Martini Bracharenſis; eadem diſt. *ſi homicidii aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut defenſione poſt Baptiſmum conſcius fuerit ... dejiciatur*. Et cap. *Miror*, ibidem, *Miror*, inquit Joannes VII. *minus doctam ſcientiam tuam, Sacerdotem putare poſt perpetratum homicidium poſſe in Sacerdotio miniſtrare: immo, quod ineptius eſt, nobis perſuadere velle, ut ipſi tali præſumptioni præberemus aſſenſum. Quis enim tam demens, tamque perverſi ſenſus tale quid æſtimaret; vel poſt quantamcumque pœnitentiam concedendum, cum omnino ſit canonicæ diſciplinæ contrarium?*

Quibus verbis declarat ſummus Pontifex nequidem ſedem Apoſtolicam diſpenſare in irregularitate ex homicidio voluntario. Hinc Concilium Tridentinum, ubi permittit Epiſcopis diſpenſare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excipit eam, quæ oritur ex homicidio voluntario, ſoletque ſummus Pontifex hanc gratiam denegare,

R. 2. Non minus certum eſt irregularitatem contrahi ex homicidio caſuali mixto. Probatur ex variis Canonibus, tit. *De homicidio voluntario & caſuali*. Cap. *Presbyterum*. Alexander III. irregularem dicit Presbyte-

rum, qui diſciplinæ cauſſa puerum ita percuſſit in capite, ut poſt aliquot dies interierit, quia licet eum graviter vulnerare non intenderet, modum tamen & diligentiam neceſſariam non adhibuit. Idem ſtatuit cap. *Continebatur*, de Diacono, qui cum luderet, non depoſuit falcem, qua Laicus colludens forte confoſſus fuerat. Clemens quoque III. c. *Ad audientiam*, irregularem declarat Presbyterum, qui volens corrigere quemdam de familia ſua; arripuit cingulum, cui cultellus adhærens, & e vagina egreſſus, percuſſit puerum. Et ratio eſt, quia ejuſmodi homicidia mixta, voluntaria ſunt ſaltem in cauſſa, quatenus agens voluntarie non adhibuit diligentiam neceſſariam ad vitandum homicidium.

R. 3. Non contrahitur irregularitas ex homicidio pure caſuali, niſi quis vacaverit rei illicitæ & periculoſæ. Probatur tum ex cap. *Exhibita*, & cap. *Joannes* ſupra laudatis: tum ex cap. *Cum dilectus*, c. *Ex litteris*, eodem tit. *De homicidio*, ubi Innocentius III. reſpondet non imputandum homicidium caſuale Presbytero, qui rei licitæ vacabat, omni diligentia adhibita. Ita etiam cenſuit Gregorius IX. cap. *Quidam*, eodem tit. ubi ſic pronuntiat: „ Attendentes igitur, „ quod Sacerdos ipſe dabat operam licitæ rei, ſtuduit „ etiam quam debuit diligentiam adhibere: circum„ ſtantibus, quibus periculum imminebat, ita tempe„ ſtive & alta voce præmonitis, quod & intelligere „ & fugere potuerunt; inquiſitioni tuæ taliter reſ„ pondemus, quod ob hanc cauſſam, vel quia omnes „ caſus fortuitos, qui prævideri non poſſunt, forſitan „ non prævideri, non debet quoad officium, vel Be„ neficium impediri. „.

Dixi, *Niſi quis vacaverit rei illicitæ & periculoſæ*: quia ut homicidium non imputetur ei, qui fuit cauſſa per accidens, Canones ſemper requirunt duas conditiones. Primam, ut omnem diligentiam adhibuerit: ſecundam, ut vacaverit rei licitæ, attendentes, inquit Gregorius IX. mox laudatus, *quod Sacerdos ipſe dabat operam licitæ rei: ſtuduit etiam, quam debuit, diligentiam adhibere*. Et Bonifacius VIII. cap. *Is qui*,

titu-

titulo *de homicidio*, in ſexto, ſic pronuntiat: *Is, qui mandat aliquem verberari, licet expreſſe inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cum mandando* in culpa *fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare*.

Addidi, *& periculoſæ*, quia plures Theologi & Canoniſtæ cenſent eum non eſſe irregularem ob homicidium pure caſuale, ſi res illicita, cui vacabat, nullatenus fuerit periculoſa, & debitam diligentiam adhibuerit; cum homicidium illud nullo modo ſit voluntarium, nequidem in cauſſa, utpote quæ ex ſe homicidium inferre nequeat. Hanc ſententiam confirmat Avila diſp. 6. ſect. 1. de homicidio caſuali, ex nonnullis abſurdis, quæ ſequuntur ex oppoſita ſententia. 1. ſupponit duos pulſare campanas omni diligentia adhibita, alterum in loco interdicto, ac propterea illicite; alterum in loco non interdicto, & ideo licite, cadant nihilominus campanæ, & aliquos interficiant; quis primum dicet irregularem, ſecundum vero minime? Illud tamen ſequitur ex oppoſita ſententia. 2. Duo cædant arborem, alter die feſto, alter die profeſto; & aliqui ex arborum caſu opprimantur abſque ulla cædentium negligentia, in oppoſita ſententia primus erit irregularis, quia vacabat rei illicitæ, ſecundus vero minime, utpote qui incumberet operi licito; atque ejuſmodi pronuntiatum eſt prorſus abſurdum, cum opus ſervile non prohibeatur die feſto propter homicidii periculum; ſicut prohibetur Clericis adustio, vel inciſio, quæ ex ſe morem vel mutilationem inferre poteſt. Unde cum Clericus voluntarie adurendo vel incidendo ſe periculo exponat, merito illi imputatur mors vel mutilatio inde ſecuta, quamlibet peritiam & diligentiam adhibuerit. Attamen Innocentius III. mortem mulieris non imputat Monacho, qui vulnus in ejus gutture aperuerat, quia mors ſecuta non eſt ex illa curatione, licet periculoſa; ſed ex temeritate ejuſdem mulieris, quæ contra conſilium Monachi vento ſe expoſuerat.

Q. 4. *Quæ debet eſſe negligentia, ut contrahatur irregularitas ex homicidio caſuali?*

R. 1. Satis eſt ad incurrendam irregularitatem ex homicidio caſuali, quod opus fuerit prohibitum & periculoſum, quia eo ipſo quis cenſetur neglexiſſe, quo contra præceptum voluntarie ſe expoſuit periculo occidendi, vel mutilandi. Patet ex præcedenti reſponſione.

R. 2. Si opus fuit licitum, non contrahitur irregularitas, niſi ex negligentia gravi ac mortali, quia cum irregularitas ex delicto ſit gravis pœna, gravem quoque culpam ſupponit; colligiturque ex cap. *Quæſitum*, tit. 38. de pœnit. & remiſſ. ubi Clemens III. reſpondet, Sacerdotes quoſdam ab altari perpetuo removendos, ſi homicidium caſu acciderit ipſis ſtudioſe negligentibus: ſecus ſi ex leviori incuria. Merito tamen monet Avila, poſt Henriquez, diſp. 6. q. 1. dub. 11. concl. 3. negligentiam, quæ ſecundum ſe ſpectata eſſet venialis, attentis circumſtantiis cenſeri gravem, ut innuunt textus ſupra laudati, ubi ſummi Pontifices pronuntiant irregularitatem ex homicidio caſuali, propter negligentiam, quæ, licet in ſe levis videretur, ratione tamen periculi, in quo verſabatur actio, gravis judicatur.

Ergo irregularis non eſt, 1. qui volvit infirmum, ut commodius quieſcat, vel bona fide ei præbet cibum, unde mors caſu acceleratur, quia in hujuſmodi actionibus non deprehenditur culpa, niſi admodum levis: ſecus, ſi contra prohibitionem Medici cibus fuiſſet ſubminiſtratus.

2. Qui in caſu neceſſitatis ut ſaluti totius corporis conſuleret, membrum gangrena vitiatum amputavit ſecundum regulas artis, unde tamen, febri ſuperveniente, mors ſecuta eſt, quia in illo opere non deprehenditur culpa, nec arguitur defectus lenitatis, quia ejuſmodi mutilatio non tendit ad vitæ imminutionem, ſed ad conſervationem totius. Graviter quidem peccaret Clericus ſacris Ordinibus initiatus, qui abſque neceſſitate alienum uſurparet officium; ſed irregularis non fieret, ſi mors non ſequeretur.

Q. 5. *Pueri & ebrii incurruntne irregularitatem ſi occidant aut mutilent?*

R. 1. Pueri ante ſeptennium non incurrunt ex Clemen-

men-

mentina tit. *de Hæretico*, cap. unico: *Si furioſus*, in quo ſit habetur: *ſi furioſus aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit*. Infans autem dicitur minor ſeptennio, etiamſi dubitetur, num habeat ſufficientem uſum rationis ad peccandum mortaliter, quia lex generaliter excipit illam ætatem. Major eſt difficultas, ſi dubium ſit circa puerum ſeptennio majorem. Affirmat Oſtienſis ejuſmodi eſſe irregularem, negat vero Avila diſp. 6. ſect. 1. dub. 12.

R. Circa ebrium, Henriquez & Avila cit. loc. exiſtimant ſic diſtinguendum: vel ante ebrietatem prævidit, aut prævidere debuit occidendi periculum, cui ſe exponebat, utpote qui expertus ſit ſe per ebrietatem furioſum reddi: vel prævidere non potuit. Si primum, proculdubio irregularitatem incurrit, ſi occidat, quia homicidium illud eſt voluntarium, ſaltem in cauſſa. Si ſecundum, irregularis non eſt, quia homicidium eſt involuntarium tum in ſe, tum in cauſſa; ſed præferenda videtur ſententia Covarruviæ in cap. *Si furioſus*, & aliorum, qui ebrietate culpabili abſolute pronuntiat irregularem, ſi occidat, tum quia in laudato cap. *Si furioſus*, non annumeratur inter eos, qui licet percuſſerint, non ſunt irregulares, tum quia in foro exteriori damnaretur ut homicida; tum quia vacans rei illicitæ & periculoſæ, ſecuto homicidio fit irregularis: atqui ebrietas eſt res illicita & periculoſa: Ergo.

Dixi, *Ebrietate culpabili*, quia ſi contigerit abſque culpa, utpote quæ prævideri non potuerit, ut in Patriarcha Noe, ebrius percuſſor irregularis non eſt, cum homicidium nec in ſe, nec in cauſſa fuerit voluntarium.

Supereſt difficultas elucidanda, utrum qui ob ſui, vel parentis, vel bonorum fortunæ ac famæ ſeu honoris defenſionem occidit, irregularitatem contrahat? Verum huic difficultati jam fecimus ſatis Tractatu de Juſtitia & Jure cap. 9. §. 3.

§. IX.

§. IX.

De irregularitate ex iteratione Sacramenti, & ex hæreſi.

Q. 1. **E**X *cujus Sacramenti iteratione contrahitur irregularitas?*

R. Ex iteratione Baptiſmi, propter quam rebaptizati & rebaptizantes ſunt irregulares. De rebaptizatis expreſſum eſt caput *Confirmando*, quod ex Conc. V. Carthagineníi refertur diſt. 50. his verbis: *Neque unquam permittendum eſt, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur.* Et cap. *Qui bis*, diſt. 4. de conſecratione: *Quis bis ignoranter baptizati ſunt, non indigent pro eo pœnitere, niſi quod ſecundum Canones ordinari non poſſunt, niſi magna aliqua neceſſitas exigat.* De rebaptizantibus habetur Can. 47. Apoſtolorum, cap. & *Ex litterarum*, tit. *De Apoſtatis*, ubi Alexander III. Acolythum qui rebaptizanti publice miniſtravit, repellit ab Ordinibus.

Q. 2. *Incurriturne irregularitas ex iteratione Confirmationis & Ordinis?*

R. Minime, quia ejuſmodi irregularitas nullibi reperitur expreſſa in Jure.

Q. 3. *Quare irregularitatis pœna imponitur propter iterationem Baptiſmi potius quam aliorum Sacramentorum?*

R. Propter reprimendam Donatiſtarum & aliorum rebaptizantium hæreſim, quæ diu turbavit Eccleſiam, ut retulimus Tract. de Sacram. in gen. cap. 14. & ad ſopiendam ejuſmodi controverſiam, varia celebrata ſunt Concilia, plures ſanciti ſunt Canones, ac iterato decretæ pœnæ adverſus contumaces tum rebaptizantes, tum rebaptizatos. Cum autem non ita ferveret controverſia circa Sacramenta Confirmationis & Ordinis, ut obſervavimus cit. cap. 14. mirum non eſt, quod antiqui Canones non ita expreſſe definierint pro hujuſmodi Sacramentis, nec ſimilem pœnam decreverint adverſus ea iterantes.

Di-

Dices; Eſt regula juris, ubi eſt eadem ratio, eſt eadem juris diſpoſitio: atqui eadem eſt ratio prohibendi iterationem Confirmationis, & Ordinis, ac Baptiſmi, nempe character, quem tria illa Sacramenta imprimunt: ergo diſpoſitio juris eadem pœna afficit iterantes illa Sacramenta.

Diſt. maj. Ubi eſt eadem ratio, & eædem circumſtantiæ, Conc. eadem ratio, & diverſæ circumſtantiæ, Nego maj. Porro cum præcipua controverſia verſaretur circa Baptiſmum, nec Hæretici acquieſcerent Eccleſiæ definitioni, operæ pretium fuit ſeverioribus pœnis contumaces reprimere; ſopita autem illa controverſia quievit Eccleſia, nec opus habuit animadvertere in eos, qui contumaciter contenderent iterandam Confirmationem aut Ordinationem.

Ex his patet, non eſſe irregulares pueros, qui per ludum rebaptizant: cum animo hæretico id non faciant, ſed ritum Baptiſmi ſolum exhibere intendant. Idem ſentiendum de iis, qui ſub conditione ſive expreſſa, ſive tacita Baptiſmum iterant, utpote qui ſupplere dumtaxat velint, quod timent non eſſe peractum. Sed dubium illud debet eſſe grave ac prudens; qui enim ſub conditione rebaptizat, quando nulla eſt dubitandi ratio, præterquamquod peccat, plures, ut Soto, Cordubenſis, docent incurrere irregularitatem; quod tamen merito refellit Avila, quia ſic rebaptizans non intendit iterare Baptiſmum juxta ritum Eccleſiæ collatum.

Q. 4. *Qui ex Hæreſi redeunt, manentne irregulares?*

R. Jure communi manent irregulares tam ipſi, quam eorum fautores, & filii uſque ad ſecundam generationem. Ita habetur cap. *Quicunque*, §. *Hæretici*, tit. *de Hæreticis*, in 6. Eadem pœna decernitur adverſus Apoſtatas, diſt. 50. cap. *Presbyteros*, quod refertur ex Conc. Ancyrano.

Dixi: *jure communi*, quia in Gallia ut jam monuimus, Hæretici ad fidem converſi non habentur ut irregulares, multo minus eorum filii, & abſque diſpenſatione promoventur, tum ad Ordines, tum ad Beneficia.

§. XII.

§. XII.

De irregularitate ex delicto, in receptione & & uſu Ordinis.

Q. 1. QUinam incurrunt irregularitatem ex delicto in receptione Ordinis?

R. Incurrunt,

1. Qui furtive ordinantur, hoc eſt, qui fraudulenter examen effugerunt, nec alias fuerunt approbati aut admiſſi. Ita decrevit Alexander III. cap. *Veniens*, tit. „ De eo qui furtive. Reſpondemus, *inquit*, quod ſi „ non fuit . . . . ſub anathematis interminatione pro„ hibitus, tu ipſe in promotione ipſius ad ſacerdotale „ officium condigna ſatisfactione impoſita, niſi alia „ impediant, pro arbitrio diſpenſes. *Si ergo diſpenſa*„ *tione indiget, impedimentum contraxerat. Pergit ve*„ *ro Pontifex*: ſi vero interminatio anathematis ſupra „ hoc facta eſt, moneas eum ut in aliquo Monaſterio „ ſeu Canonica habitum ſuſcipiat regularem...... alio„ quin nulla ratione concedimus eum ad Sacerdotalem „ Ordinem promoveri. „ Atqui juxta Pontificale Romanum Archidiaconus ante ordinationem ex mandato Epiſcopi monet ſub excommunicationis pœna, *ne quis non deſcriptus, examinatus, approbatus, & nominatus nullo pacto audeat ad ſuſpiciendos Ordines accedere.*

2. Qui majori excommunicatione ligati Ordinem ſacrum ſuſcipiunt.

Probatur ex cap. *Cum illorum*, tit. *De ſententia excommunicationis*, in quo ſic habet Innocentius III. „ Nonnulli Eccleſiaſticam ſententiam negligentes, in „ excommunicatione poſiti Eccleſiaſticos Ordines accipe„ re non formidant... circa quos credimus diſtinguen„ dum, quod tales vel ſciunt excommunicationis ſe „ vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro „ quo in latæ ſententiæ Canonem inciderunt: vel fa„ ctum quidem ſcientes juris ignari, neſciunt exinde „ ſe teneri. Primo ſi fuerint ſæculares Clerici, a ſu„ ſceptis Ordinibus cenſemus in perpetuum deponen-

„ dos:

„ dos: in reliquis caſibus (ſcilicet ignorantiæ, ſive „ facti, ſive juris) tam Archiepiſcopi, quam Epiſco- „ pi, abſque mandato Sedis Apoſtolicæ ſpeciali diſpen- „ ſandi facultatem ſe noverint non habere. Sed Concilium Tridentinum Epiſcopis diſpenſandi facultatem conceſſit, ut dicetur paragrapho ſequenti.

Dico 1. *excommunicatione ligati*, non vero ſuſpenſione aut interdicto: tum quia in laudato cap. *Cum illorum*, de ſolis excommunicatis ſermo eſt: tum quia ſuſpenſio non privat receptione Sacramentorum, ſed ſolum Ordinis exercitio.

Major eſt difficultas de interdicto, cum privet receptione Sacramentorum, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem, ut Ordinatio: propetereaque Navarrus, Henriquez & Avila affirmant interdictum fieri irregularem receptione Ordinis ſacri: contra vero negant Suarez diſp. 33. ſect. 3. n. 20. Bonacina diſp. 5. de interdicto, puncto 7. num. 14. & alii: tum quia ejuſmodi pœna in nullo jure reperitur: tum quia non quælibet violatio cenſuræ inducit irregularitatem, ſed ex tantum, quæ fit per exercitium Ordinis; qui enim tempore interdicti pulſat campanas, intereſt divinis officiis, licet violet interdictum; in omnium tamen ſententia non contrahit irregularitatem.

Quidquid ſit, extra controverſiam eſt, eum, qui ſuſpenſus aut interdictus recipit Ordinem ſacrum, irregularem fore, ſi exerceat officium Ordinis ſic ſuſcepti, quia Ordinatio cenſuram, quæ præceſſerat, non delet. Unde concludit Avila, Presbyterum recens inauguratum fieri irregularem concelebrando cum Epiſcopo, Subdiaconum ſolemniter legendo Epiſtolam, Diaconum ſimiliter legendo Evangelium, ſi cenſura irretiti Ordinem receperint.

Dixi 2. *majori excommunicatione*, quia minori excommunicatione ligatus, licet celebrando graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, ut expreſſe habetur cap. *Si celebrat*, tit. *de Clerico excommunicato*. Ex quo textu Theologi & Canoniſtæ communiter colligunt eum multo minus ejuſmodi notam incurrere, ſi Ordinem ſacrum recipiat.

Dixi

Dixi 3. *Ordinem ſacrum*, quia non ita certum eſt; an excommunicatus majori excommunicatione fiat irregularis receptione minorum Ordinum; negant enim Soto diſt. 25. qu. 1. art. 3. Navarrus conſil. 28. de ſententia excommunicationis; Avila 7. parte diſput. 9. ſect. 2. dub. 6. quia ejuſmodi pœna non eſt in jure expreſſa. Affirmant vero Sylveſter verbo, *irregularitas* Henriquez, & alii.

Q. 2. *Quando incurritur irregularitas ex illicito uſu Ordinis?*

R. Duobus in caſibus.

Primus quando Clericus temere uſurpat, ac ſolemniter exercet officium proprium Ordinis ſacri, quem non habet. Probatur ex cap. *Si quis*, tit. *De Clerico non ordinato miniſtrante*. *Si quis baptizaverit*, inquit Hormiſdas, *aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur.* Eamdem pœnam decernit Urbanus III. cap. *Ex litteris*, eodem titul. adverſus Diaconum qui Miſſarum celebratione uſurpare præſumpſerat.

Dixi 1. *Clericus*, quia nonnulli cenſent Laicum ſic miniſtrantem non fieri irregularem; ſed oppoſita ſententia eſt communior, & conformior laudato capiti *Si quis*, ubi Summus Pontifex abſolute loquitur de quolibet uſurpante officium Ordinis, quem non habet.

Dixi 2. *temere*; ſi quis enim inadvertentia, ſive ex igorantia probabili, vel in caſu neceſſitatis, puta ad vitandum ſcandalum officium Ordinis peragat, non ſit irregularis, quia cum hæc irregularitas ſit ex delicto, & pœna gravis, non contrahitur, niſi per grave peccatum. Hinc Diaconus, qui ex mandato Epiſcopi vel Presbyteri ſolemniter baptizans, ſal benedicit, nec advertis ejuſmodi benedictionem eſſe officium proprium Sacerdotalis Ordinis, irregularitatem non contrahit. Idem dicendum de ſimplici Clerico, qui juſſu Sacerdotis, inter Miſſarum ſolemnia Epiſtolam cantat cum manipulo, quod aſſumpſit ex inadvertentia, vel cum ignorantia ornamentum illud eſſe Subdiaconi proprium.

Dixi 3. *Ordinis*, quia per actus juriſdictionis non in-

incurritur irregularitas, etiamſi qui illos exercet, ſit ſuſpenſus ab officio.

Dixi 4. *Ordinis ſacri*: quia cum officia minorum Ordinum nunc promiſcue exerceantur a Laicis propter eorum exercitium, ſuſpenſus aut excommunicatus irregularitatem non contrahit, niſi in Eccleſiis, ubi juxta Decretum Conciliis Tridentini reſtituta ſunt officia minorum Ordinum, nec exerceri ſolet, niſi ab iis, qui ad hujuſmodi Ordines promoti ſunt; ut obſervavimus, ubi de ſuſpenſione.

Ergo Clericus excommunicatus aut ſuſpenſus ſine periculo irregularitatis poteſt cum aliis pſallere in Choro; quia ejuſmodi officium non eſt Ordinis ſacri. Secus ſentiendum eſſet, ſi ſolemniter præeſſet Choro, Collectam decantet præmiſſo, *Dominus vobiſcum*: quia ejuſmodi officium eſt proprium Ordinis ſacri. Quod ſi verſiculum illum prætermitteret, Collectamque recitaret, ut ſolent Moniales, Officium Ordinis ſacri non exerceret, nec proinde irregularis fieret.

Sed quid ſi ligatus cenſura concionetur?

Irregularem illum pronuntiat Navarrus Enchir. cap. 27. num. 163. quia verbi divini miniſterium eſt proprium Presbyteri & Diaconi. Sed præferenda videtur oppoſita ſententia Sylveſtri, Henriquez, & Avilæ; quia licet concionandi munus ſolis Presbyteris aut Diaconis committatur, ex eo tamen non colligitur eſſe proprium Ordinis ſacri; alioquin Subdiaconus, aut ſimplex Clericus, qui ſine Epiſcopi facultate concionatus eſt, eſſet irregularis; quod tamen eſt contra communem hominum opinionem.

Dixi 5. *ſolemniter*, quia ſi Diaconus, aut Presbyter ſuſpenſus ſine ſolemnitate baptizet, etiam extra caſum neceſſitatis, quamvis graviter peccet, irregularitatem tamen non incurrit, quia actum Ordinis non exercet, cum Laici ita baptizare poſſint, & nonnunquam baptizent.

Q. 3. *Diaconus ſolemniter baptizans, aut Euchariſtiam diſpenſans, incurritne irregularitatem?*

R. Si juſſus ab Epiſcopo vel Presbytero ejuſmodi

mi-

miniſteria peragat, non incurrit: ſecus, ſi propria auctoritate. Duæ ſunt reſponſionis partes.

Prima pars probatur ex dictis de Miniſtro Baptiſmi & Euchariſtiæ, ubi oſtendimus Diaconum vi ſuæ ordinationis eſſe Miniſtrum extraordinarium conferendi Baptiſmi, & diſpenſandæ Euchariſtiæ: patetque tum ex uſu priorum ſæculorum, quibus Diaconi ſolebant Baptiſmum ſolemniter conferre, & Euchariſtiam diſpenſare: tum ex ipſo ordinationis ritu, in quo Pontifex inaugurandum Diaconum ſic alloquitur: *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare & prædicare*.

Secunda pars probatur, quia ex Sancto Epiphanio hæreſi 79. neque Diaconis in Eccleſia concreditum eſt, ut aliquod myſterium celebrent, ſed ſolum adminiſtrent, dum celebratur. Diaconus igitur a Chriſto inſtitutus eſt tanquam miniſter Epiſcopi ac Presbyteri, qui ipſis inſerviat, nihil propria auctoritate præſumat; ſed omnia ex eorum conſilio & mandato peragat veluti eorum organum & inſtrumentum, quo primis ſæculis frequentius, utebantur ad Catechumenos Baptiſmo initiandos, & Fideles ſacra communione reficiendos, cum ipſi per ſeipſos iſta præſtare non poſſent propter magnum Catechumenorum numerum, qui ex ſacro fonte erant regenerandi; & Fidelium, qui in ſingulis ſynaxibus Euchariſtiam ſub utraque ſpecie recipere ſolebant.

Duo tamen hic ſunt obſervanda.

Primum, Parochus ſeu Presbyter, ſpectata præſenti Eccleſiæ diſciplina, quæ a pluribus ſæculis viget, peccaret, ſi abſque neceſſitate ejuſmodi officia Diacono committeret, nec Diaconus obtemperare deberet, ſi evidens illi foret Presbyterum ſine cauſſa hanc provinciam ſibi demandare; alioquin communicaret ejus peccato; mandatum tamen Presbyteri eum ab irregularitate excuſare videretur.

Secundum, Diaconus ab Epiſcopo deputatus ad baptizandum ſolemniter, aut Euchariſtiam diſpenſandam, prætermittere debet quæ in ritu illorum Sacramen-

mentorum ſunt propria Ordinis Sacerdotalis; ut benedictio ſalis in ritu Baptiſmi, & benedictio, quæ in diſpenſatione Euchariſtiæ bis aut ter fundi ſolet ſuper communicantes, 1. cum facta publica confeſſione, Miniſter ad eos converſus dicit, *indulgentiam & abſolutionem*, &c. 2. cum expleto ritu ait, *benedictio Dei omnipotentis*, &c. 3. cum viaticum defertur ad infirmum, Miniſter cum ſacra pyxide benedicere ſolet tum infirmum, tum aſtantes. Omnis autem ſolemnis benedictio ad ſolum pertinet Sacerdotem. Dico, *ſolemnis;* nam communis benedictio menſæ profanæ a quolibet fieri poteſt, etiam a Laico ac Clerico excommunicato, abſque periculo irregularitatis.

Nec dicas, Diaconum ſolemniter benedicere cereum Paſchalem; non enim ipſe benedicit, ſed ſupponit benedictum a Sacerdote in ipſa benedictione granorum thuris, canticumque lætitiæ ſolummodo decantet in gratiarum actionem, ut expendenti ipſum canticum patebit.

Q. 4. *Diaconus in caſu neceſſitatis, abſente Presbytero, poſſetne ſolemniter baptizare, aut viaticum ad infirmum deferre?*

R. Poſſet. Probatur ex c. *Diaconos*, diſt. 93. ubi ſic loquitur Gelaſius ſummus Pontifex: „ abſque Epiſcopo aut Presbytero baptizare non audeant, (*Diaconi*) niſi prædicti fortaſſis Ordinibus longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat. *Et infra*: Sacri corporis prærogationem ſub conſpectu Pontificis, ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, jus non habeant exercendi. *In quem locum ſic habet Gloſſa*: ubi neceſſitas exigit, & Presbyter eſt abſens, poteſt Diaconus etiam jure ſuo baptizare, & Corpus Chriſti erogare infirmis, ſi conſecratum eſt. Sed in Eccleſia in præſentia Presbyteri non poteſt, etiamſi neceſſitas exigat, niſi juſſus a Presbytero, puta cum multi ſunt qui indigent baptiſmo, & Presbyter non poteſt omnibus ſufficere: ſimiliter ſi multi ſunt, qui volunt accipere Corpus Chriſti, nec Presbyter ſufficit omnibus. „ Idipſum fuſe probat Suarez in tertiam partem diſp. 23. ſect. 2. de Miniſtro Baptiſmi, & diſp. 72.

ſect.

ſect. 1. de Miniſtro Euchariſtiæ. Unde mirum nobis videtur, quod plures Theologi Morales ſcripſerint Diaconum in illo caſu teneri baptizare abſque ſolemnitate; alioquin eum irregularem pronuntiant.

Q. 5. *Qui celebrat in Eccleſia interdicta, aut polluta, vel in loco profano ſine licentia Epiſcopi, incurritne irregularitatem?*

R. 1. Incurrit, ſi in Eccleſia interdicta: quia violat cenſuram per actum Ordinis ſacri.

R. 2. Licet graviter peccet celebrans in Eccleſia polluta, vel in loco profano, abſque licentia Epiſcopi, irregularitatem tamen non incurrit; quia ejuſmodi pœna in nullo jure exprimitur. Immo cap. *Is qui*, tit. *de ſententia excommunicationis* in ſexto, ſic habet Bonifacius VIII. *Is, qui in Eccleſia ſanguinis aut ſeminis effuſione polluta, vel qui præſentibus majori excommunicatione nodatis, ſcienter celebrare præſumit; licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non ſit expreſſum in jure) laqueum non incurrit.* Advertes tamen, quod in Clementina, cap. *Gravis*, titul. *de ſententia excommunicationis*, decernitur excommunicatio contra dominos temporales, qui tempore interdicti compellunt pulſari campanas, januas Eccleſiæ aperiri, & in iis divina Officia celebrari.

Q. 6. *Irregularis exercens aliquod officium Ordinis ſacri proprium, incurritne novam irregularitatem?*

R. Non incurrit, cum ejuſmodi pœna in nullo jure ſit expreſſa. Ita Navarrus Enchirid. c. 27. num. 194. ubi monet, quando in Curia Romana diſpenſatur cum iis, qui celebrarunt in irregularitate, diſpenſari ſolum in ea irregularitate, quam ante celebrationem contraxerant. Ergo neceſſe non eſt, ut irregularis exponat quoties celebraverit. Qui tamen obſtrictus eſt pluribus irregularitatibus ex diverſis delictis, puta ex homicidio, & ex Ordine furtive ſuſcepto, debet exprimere illas ſpecies irregularitatis; ita Suarez diſp. 41. ſect. 3. num. 3. Bonacina diſp. 7. q. 5. puncto ultimo, & alii.

§. XIII.

§. XIII.

De Diſpenſatione ab Irregularitate.

Q. 1. *Quis diſpenſare poteſt in irregularitatibus?* Certum eſt Summum Pontificem poſſe diſpenſare in omnibus irregularitatibus proprie dictis; hoc eſt, quas jus canonicum induxit; nam impedimenta naturalia, ut cæcitas mentis ac corporis, quæ irregularitates improprie dicuntur, non ſunt diſpenſationis materia; cum humana poteſtate tolli nequeant. Difficultas ſolum eſt, an & in quibus irregularitatibus juris Canonici Epiſcopus habeat diſpenſandi facultatem, quæ ut ſolvatur, meminiſſe in primis oportet, alias eſſe irregularitates ex defectu, alias ex delicto. His prænotatis, ad propoſitam quæſtionem

R. 1. Epiſcopus diſpenſare non poteſt in irregularitatibus ex defectu, excepto defectu natalium & Sacramenti, in quo Epiſcopus poteſt, ex dictis, diſpenſare ad Tonſuram, minores Ordines, & Beneficia ſimplicia.

Probatur reſponſio, quia omnis irregularitas eſt ex jure communi, ut ſæpius diximus; atqui Epiſcopus diſpenſare non poteſt in jure communi, niſi in caſibus ſpecialiter ipſi conceſſis: porro nullibi apparet conceſſa Epiſcopo diſpenſandi facultas in irregularitatibus ex defectu, niſi circa illegitimos & bigamos: ergo Epiſcopus diſpenſare non poteſt in irregularitatibus ex defectu. Ita omnes Theologi & Canoniſtæ; ſuadetque univerſalis Eccleſiæ praxis.

Reſp. 2. Epiſcopus jure novo diſpenſare poteſt in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, nec ad forum contentioſum deducto, ſola excepta irregularitate ex homicidio voluntario, quantumvis occulto. Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione, cujus decretum operæ pretium eſt integrum referre, cum circa illud multa ſint obſervanda. Sic igitur ſtatuit Concilium: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto* pro-

proveniëntibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Hactenus Concilium, cujus ſingula verba ſunt ponderanda.

1. Concilium permittit Epiſcopis diſpenſare in irregularitatibus ex delicto, nullatenus vero in iis, quæ ſunt ex defectu.

2. Facultas illa ſpectat ſolos Epiſcopos, non vero alios Prælatos juriſdictionem Epiſcopalem habentes. Immo Suarez diſp. 41. ſect. 2. negat facultatem illam extendendam eſſe ad Capitulum Sede vacante, ſed Henriquez, Emmanuel, & alii verius affirmant, quia Cap'tulo competunt jura Sedis Epiſcopalis, cum ad regimen Diœceſis ſint neceſſaria. Ita Avila parte 7. diſp. 10. dub. 6.

3. Concilium reſtringit facultatem ad crimina occulta, quæ non ſunt deducta ad forum contentioſum. Nomine autem occultorum criminum plures Ultramontani intelligunt crimina, quæ probari nequeunt. Unde in eorum ſententia Epiſcopus diſpenſare non poteſt in crimine coram duobus teſtibus patrato, cum probari poſſit. Sed in Gallia, niſi crimen ſit notorium notorietate juris, cenſetur occultum.

Nec dicas diſpenſationem eſſe odioſam, ac proinde non ampliandam, ſed reſtringendam: nam agitur de facultate diſpenſandi, quæ eſt favorabilis, ac proinde amplianda; Epiſcopus quippe reſtituitur hic juri ſuo, quod per reſervationem poſterioribus ſæculis inductum fuerat reſtrictum.

Quod ſi crimen ad forum contentioſum deductum non probetur, & reus abſolutus fuerit, Epiſcopus irregularitatem ſolvere poteſt, inquiunt Avila citato loco, Henriquez, Emmanuel, Sanchez, & alii.

Monendum quoque eſt, crimen poſſe eſſe publicum, & irregularitatem occultam: Clericus v. gr. in foro externo declaratus eſt ſuſpenſus, quoniam convictus eſt

eſt in popina comediſſe, quod ipſi prohibitum erat ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, ſed latet quod ſuſpenſione ligatus celebraverit, & inde irregularitatem contraxerit, quæ in hoc caſu tolli poteſt ab Epiſcopo.

4. Concilium excipit dumtaxat homicidium voluntarium: Ergo Epiſcopus tollere poteſt irregularitatem ex mutilatione, & ex homicidio caſuali & involuntario; exceptio enim firmat regulam. Quid autem ſit homicidium voluntarium, quid caſuale, expoſuimus ſupra, paragrapho de irregularitate & homicidio.

Dices: homicidium & mutilatio in jure æquiparantur: ergo irregularitas ſive ex mutilatione voluntaria, ſive ex homicidio voluntario, reſervatur ſummo Pontifici.

Diſtinguo antecedens: æquiparantur quoad pœnam, v. g. qui Clericum injuſte occidunt aut mutilant, excommunicationem & irregelaritatem pariter incurrunt, Concedo: quoad abſolutionem ſeu diſpenſationem, Nego: nam Confeſſarius habens facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis, homicidam, v. g. abſolvit a peccatis & cenſuris, non vero ab irregularitate.

5. Concilium limitat facultatem Epiſcopo conceſſam ad ejus ſubditos, & in ejus Diœceſi: ex quibus verbis Suarez, Avila, & Bonacina duo colligunt. Primum, Epiſcopum extra Diœceſim diverſantem poſſe quidem ibi abſolvere in foro conſcientiæ ſubditum a peccatis etiam ſibi reſervatis, non vero ab iis, quæ ſunt reſervata ſummo Pontifici, nec proinde ejus irregularitatem tollere. Secundum, clericum irregularitate ligatum, in aliena Diœceſi negotiorum cauſſa ad tempus commorantem, non poſſe ibi ab irregularitate ſolvi, niſi accedat conſenſus proprii Epiſcopi. Sed Decretum alio ſenſu poteſt accipi, nempe Epiſcopum poſſe diſpenſare non ſolum cum ſuis ſubditis, ſed etiam cum omnibus, qui in ejus Diœceſi degunt, v. gr. cum regularibus exemptis, qui, licet non ſint ipſi ſubditi, ſi tamen ad ipſum recurrant, eos ab irregularitate ſolvere poteſt; privilegium enim *quod in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpen-*

dium retorquendum, juxta regulam juris in ſexto. Avila 2. part. c. 7. diſp. 1. dub. 5. ſcribit, Religioſum inferiorem indigere licentia ſui Prælati exempti, ut poſſit abſolvi ab Epiſcopo, ac pro ſua ſententia Henriquez appellat; ſed ejuſmodi licentia non videtur abſolute neceſſaria, cum ille Religioſus per recurſum ad Epiſcopum damnum non inferat privilegio Ordinis, ſicut Clericus damnum infert privilegio Clericali, cum, ſpreto ſuo Prælato, ad Judicem ſæcularem recurrit.

6. Epiſcopus vi hujus Decreti non ſolum per ſeipſum, ſed & per alium ſpecialiter deputatum poteſt ſolvere ab irregularitate, & a caſibus ſummo Pontifici reſervatis. Dico, *ſpecialiter deputatum*: quia niſi ejuſmodi facultas ſpecialiter exprimatur in mandato Vicarii generalis, iſte non habet facultatem Epiſcopo hic conceſſam.

Q. 2. *Requiriturne cauſſa ad diſpenſandum in irregularitate?*

R. Omnino requiritur; quia per diſpenſationem plaga quædam infertur Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut loquitur S. Auguſtinus. Quare ſicut non inciditur membrum corporis niſi ex neceſſitate, & propter commune bonum totius; ita relaxari non debent Canones Spiritu Dei conſtituti, tamquam repagula contra irregulares, & totius mundi reverentia conſecrati, niſi exigat Eccleſiæ neceſſitas, vel major utilitas. *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt*, inquit S. Leo epiſt. 53. *nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum commune ſunt præfixa*. Et S. Thomas 1. 2. q. 97. art. 4. docet non diſpenſandum in præcepto, niſi *vel per hoc impediretur aliquid melius., vel etiam induceretur aliquod malum*. Unde de Prælato diſpenſatore ſic concludit: *Si abſque hac ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoret*. Verum proh dolor! fruſtra nunc irregularibus objiciuntur ſacri Canones; vix unum reperias, qui ſacra illa repagula qua arte, qua precibus & prenſationibus convellere

lere non nitatur. Ligati excommunicatione aut ſuſpenſione orent ut ſolvantur, pulſent ut communioni reſtituantur; hæc vis Deo grata eſt, ægre fert Eccleſia, ſi quando aliqui in ejuſmodi vinculis obdormiant, injecta enim ſunt ad tempus, & in ſalutare remedium: at in perpetuum abjiciuntur irregulares ut inepti & indecori, ſi ex defectu; ut indigni vero, ſi ex delicto; niſi forte ornamenta virtutum defectum, qui in eis eſt, tegant; probabilis vita deleat, quod in eis fuit vitium, & Eccleſiæ neceſſitas, aut evidens utilitas exigat ut ordinentur.

Q. 3. *Baptiſmus deletne omnem irregularitatem?*

R. Cum ex dictis nulla ſit irregularitas proprie dicta ante Baptiſmum, utpote quæ ſit impedimentum Canonicum, cui non ſubjacent infideles, Baptiſmus proprie nullam delet irregularitatem. Verum tamen eſt, quod licet infidelis homicida poſt Baptiſmum non ſit irregularis; bigamus poſt Baptiſmum manet irregularis propter rationem allatam ubi de bigamia.

Q. 4. *Irregularitas tolliturne per profeſſionem Religionis?*

Soto diſt. 25. quæſt. 1. art. 3. ſcribit, ex conſuetudine omnem irregularitatem, excepta ea, quæ eſt ex homicidio voluntario & bigamia, tolli per ſollemnem profeſſionem. Sed verior eſt ſententia, juxta quam

R. Non tollitur alia irregularitas, præter eam, quæ oritur ex defectu natalium; quia hæc ſola in jure expreſſe habetur. Vide quæ dicta ſunt §. *De illegitimis*. Regulares tamen Ordines poſſunt habere privilegia ſpecialia, quibus concedatur Prælatis Regularibus facultas diſpenſandi in pluribus irregularitatibus.

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO
MATRIMONII.

NOtitia hujuſce Tractatus apprime eſt neceſſaria, præſertim Eccleſiæ Paſtoribus, tum quia in praxi multa eaque difficilia circa cauſſas Matrimoniales elucidanda occurrunt, ubi ſi quid peccatum ſit, aut omnino, aut ſaltem ſine gravi ſcandalo reparari nequit: tum quia frequenter de matrimonio verba eſſe facienda diſcimus ex Apoſtolorum exemplo, qui in ſuis Epiſtolis matrimonii Chriſtianorum dignitatem, ſanctitatem, & officia accurate & quam ſæpiſſime exponunt. *Divino enim Spiritu aflati optime intelligebant*, inquit Catechiſmus Romanus parte 2. de Matrimonio: „ quanta & quam multa com„ moda ad Chriſtianam ſocietatem pervenire poſſint, ſi „ fideles matrimonii ſanctitatem cognitam haberent, & „ inviolatam ſervarent: contra vero ea ignorata vel „ neglecta plurimas maximaſque calamitates & detri„ menta in Eccleſiam importari. Primum itaque Ma„ trimonii natura & vis explicanda eſt; nam cum vi„ tia ſæpe honeſti ſimilitudinem gerant, cavere opor„ tet, ne fideles falſa matrimonii ſpecie decepti turpi„ tudine & nefariis libidinibus animam commaculent.

Obſcurum autem & implicatum eſſe præſens argumentum fatetur ipſe S. Auguſtinus lib. 1. de conjugiis adulterinis cap. 25. *quæſtionem*, inquit, *de conjugiis obſcuriſſimam & implicatiſſimam eſſe non neſcio. Nec audeo profiteri omnes ſinus ejus vel in hoc opere, vel in alio me adhuc explicaſſe, vel jam poſſe, ſi urgear, explicare*. Sed in tanta caligine nobis facem præferent plura Eccleſiæ Decreta, quæ ab ætate ſancti Doctoris ſunt

ſunt edita ; quibus innixi præſens argumentum hoc ordine tractabimus.

Dicemus 1. de Matrimonio generatim ſpectato.

2. De ejus proprietatibus.

3. Speciatim de matrimonio Chriſtianorum, apud quos Sacramenti dignitatem obtinet.

4. De hujus Sacramenti Miniſtro.

5. De ejus effectibus.

6. De conjugum peccatis adverſus ſanctitatem matrimonii.

7. De ſponſalibus ſeu de præparatione ad ſacramentum matrimonii.

8. De ſollemnitatibus ad celebrandum matrimonium requiſitis, quarum omiſſio conſtituit impedimenta vel ſimplicia, vel dirimentia: ſimplicia quidem; ſi ſolemnitates ſint accidentales; dirimentia vero, ſi ſint eſſentiales.

CAPUT PRIMUM.

De Matrimonio generatim ſpectato.

Q. 1. QUot nominibus nuncupari ſolet matrimonium?

R. Dicitur 1. *Matrimonium*, a matre; quia ad matrem pertinet prolem (ad quam tendit matrimonium) alere & educare: ad patrem vero, a quo deducitur patrimonium, rem familiarem adminiſtrare & amplificare quantum ſatis ſit, ut filii decenter collocentur.

Dicitur 2. *nuptiæ* a nubendo ſeu velando, eo quod ſponſæ apud veteres, dum viris tradebantur, capita nubere ſeu velare ſolerent in ſignum pudoris & modeſtiæ, ad quod referendum videtur velamen, quo juxta hodiernum Eccleſiæ morem teguntur conjuges, cum benedictionem Sacerdotalem accipiunt.

Dicitur 3. *connubium*, ab eodem verbo, *nubo*, ſeu *velo*; quo innuitur debere ſemper conjuges modeſtia

& pudore, quaſi obducto quodam velo obvelare, quæ Chriſtianam modeſtiam offendere poſſunt.

Dicitur 4. *conjugium*, a communi jugo, cui conjuges ſe ſubjiciunt.

Quæſtio 2. *Quotuplici modo matrimonium conſiderari poteſt?*

R. Triplici, 1. ut contractus naturalis, 2. ut contractus civilis, 3. ut Sacramentum novæ legis.

Matrimonium, ut contractus naturalis, eſt in officium naturæ, ad propagationem & conſervationem generis humani neceſſarium. Ut contractus civilis, naturalem componit perficitque politicis regulis ac legibus, quibus ſapienter conſulitur Reipublicæ paci, ac felicitati. Si enim Reipublicæ intereſt, ut prædia & ceteræ res immobiles ad alios non transferantur nudo contrahentium conſenſu; ſed certæ præſcribantur leges ac ſollemnitates, ſine quibus irriti declarantur ejuſmodi contractus: a fortiori Reſpublica invigilare debuit, ne vir & mulier inordinate ſibi mutuo traderent ſua corpora, copularenturque pecudum more; cum matrimonii contractus ſit præcipuum ſocietatis humanæ fundamentum, maximeque ex eo pendeat illius ordo ac tranquillitas.

Matrimonium, ut Sacramentum novæ legis, conjuges gratia exornat, ardorem concupiſcentiæ temperat, Eccleſiam ditat pia ac fideli prolis educatione, *matrimonium quippe*, ait Concil. Moguntinum anno 1549. cap. 36. *ab initio ad officium naturæ inſtitutum, tandem ex Dei benignitate infirmis hominibus ad remedium ceſſit, ut jam hac maris & feminæ commixtio, quæ alioquin propter turpem concupiſcentiæ motum peccato non careret, propter gratiam Sacramenti conjugibus ad peccatum non imputetur; ſed ſit honorabile connubium, ac thorus immaculatus.*

Rurſus matrimonium conſiderari poteſt vel in fieri, vel in facto eſſe.

Matrimonium in fieri eſt actio, ſeu actualis contrahentium legitimus conſenſus ſignis exterius expreſſus, quo ſibi mutuo ſua tradunt corpora.

Ma-

Matrimonio in facto eſſe, eſt vinculum, ſeu nexus, quo ſibi invicem aſtringuntur conjuges.

Ergo matrimonium in fieri habet eſſe fluens ac tranſiens, eſtque matrimonii in facto eſſe, ut colligitur ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis: matrimonium vero in facto eſſe eſt quid permanens; vinculum enim conjugale durat uſque ad mortem alterutrius conjugis.

3. Matrimonium in facto eſſe ſpectari poteſt dupliciter, vel ut ratum dumtaxat, vel ut conſummatum. Ratum eſt ipſemet actualis conſenſus legitimus verbis, aut aliis ſignis externis expreſſus, nondum ſecuta carnali copula: conſummatum eſt idem conſenſus ſecuta carnalis copula.

Q. 3. In quo conſiſtit eſſentia matrimonii ſpectati, ut eſt contractus naturalis, aut civilis?

Certum eſt eſſentiam matrimonii in fieri conſiſtere in mutuo contrahentium conſenſu legitimo & exterius expreſſo; contractus enim generatim ſpectatus eſſentializer eſt duorum, vel plurium conſenſus, vim habens obligandi. Sic intelligitur perfectus contractus venditionis & emptionis, quando vendens conſentit vendere rem ſuam certo pretio, & emens eamdem rem acceptat ſub propoſita conditione: an & quomodo conſenſus ille poſſit eſſe conditionatus, expoſuimus tomo 4. parte 3. contractibus. Difficultas ſpectat ſolummodo matrimonium in facto eſſe.

Julianus Pelagianus eſſentiam matrimonii in facto eſſe repoſuit in uſu ſeu carnali conjunctione, ut conſtat ex S. Auguſtino lib. 5. contra eumdem Julianum cap. 16. ubi hæreticum alloquitur hiſce verbis, *nihil aliud dicis eſſe nuptias, quam corporum commixtionem?* Idipſum cenſuit Wiclefus, ex Thoma Valdenſi tomo 2. de Sacramentis cap. 130. Ad hanc ſententiam inclinaſſe videtur Gratianus 27. quæſt. 2. cap. *quos autem*, & cap. *inſtitutum*; ubi docet verum non eſſe matrimonium ante conſummationem. Nonnulli ex Theologis, ut Medina lib. 5. de continentia ſacrorum hominum cap. 61. exiſtimant non eſſe perfectum ac verum matrimonium ſine copula; ac conſe-

quenter Joſephum inter & Beatam Virginem non extitiſſe veri nominis matrimonium. Sed iis omiſſis, ad propoſitam quæſtionem

℟. Eſſentia matrimonii in facto eſſe non conſiſtit in uſu & commixtione corporum; ſed in conjunctione animorum ſeu nexu perpetuo, qui ex conſenſu virum inter & mulierem reſultat.

Probatur 1. ex Scriptura, in qua B. Maria appellatur Joſephi conjux, quamvis virgo ſemper manſerit, *Joſeph fili David*, inquit Angelus Matt. 1. v. 20. *noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Quod expendens S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. c. 11. ſic ſcribit, *neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Joſeph*, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. *Conjux vocatur ex prima fide diſpenſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognitурus: nec perjurus, nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.*

Probatur 2. ex SS. Patribus, & veteribus Theologis.

S. Chryſoſtomus hom. 32. in Matth. *matrimonium*, inquit, *non facit coitus, ſed voluntas.*

S. Ambroſius lib. de inſtitutione virginis c. 6. refellens eorum opinionem, qui nullum idcirco putant interceſſiſſe matrimonium inter B. Virginem & Joſephum, quod commixti inter ſe carnaliter non fuerint, ſic habet: „ Cum initiatur conjugium, tunc „ conjugii nomen aſciſcitur; non enim defloratio vir„ ginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. „ Denique cum jungitur puella, conjugium eſt; non „ cum virili admixtione cognoſcitur.

Sanctus Auguſtinus citato cap. 11. lib. 1. de nupt. & concup. „ quibus vero, *inquit*, placuerit ex con„ ſenſu ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum „ continere, abſit ut inter illos vinculum conjugale „ rumpatur, immo firmius erit, quo magis ea pacta „ ſecum inierint, quæ carius concordiuſque ſervanda „ ſunt, non voluptuariis corporum nexibus, ſed vo„ luntariis affectibus animarum.

Magiſter Sententiarum lib. 4. diſtinctionem 27. *Dicamus ergo*, inquit, *quod conſenſus cohabitationis vel*

car-

carnalis copulæ non facit conjugium; ſed conſenſus conjugalis ſocietatis. Et diſt. 30. *Conceſſit ergo Maria in maritalem ſocietatem, ſed non in carnalem copulam, niſi de eodem ſpecialiter* Deus *præciperet; quin, ut ait Beda in caput* 1. *Lucæ, ſi contra ſuum propoſitum poſt conſentis in carnalem copulam, videtur facta voti rea, mente, etſi non opere violata.* Cenſet ergo Theologorum Scholaſticorum princeps B. Mariam Virginitatis votum abſolute emiſiſſe ex parte ſua, modo Deus illud acceptaret. Unde ſic pergit, *committens ergo virginitatem ſuam divinæ diſpoſitioni, conſenſit in carnalem copulam, non illam appetendo, ſed divinæ inſpirationi in utroque obediendo; poſtea vero ſimul cum viro labiis expreſſit, & uterque in virginitate permanſit.*

Ergo Calvinus imponit Catholicis & ſpeciatim Magiſtro Sententiarum, dum ait lib. 4. Inſtit. cap. 19. paragrapho 34. eos docere coitum partem eſſe Sacramenti, & per actum immundum ac turpem, gratiam produci.

S. Thomas in ſupplemento qu. 44. art. 1. ad 2. docet conjunctionem maritalem eſſe vinculum: *quo conjuges obligantur formaliter, non effective*, hoc eſt, conjunctio active ſumpta ſeu mutuus conſenſus vinculum efficiens, non eſt formaliter matrimonium, cum ſit ejus cauſſa efficiens, ſed ipſummet vinculum, quo conjuges formaliter inter ſe uniuntur.

Probatur 3. ratione, quia uſus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad eſſentiam contractus, ſed eſt quid illam conſequens: verus ac perfectus eſt contractus emptionis, v. g. etiamſi emptor non incolat domum, quam emit, nec ſeminet in agro, cujus pretium ſolvit; requiritur tamen ad veram emptionem, ut emptor per contractum rei emptæ dominium acquirat, hoc eſt per poteſtatem ea utendi abſque cujuſquam injuria, quamvis actu & de facto ea non utatur: ergo eo ipſo perficitur contractus matrimonii, quo conjuges ſibi mutuo tradunt poteſtatem in ſua corpora, etſi poſtmodum ea nunquam uſuri ſint.

Dices 1. Matrimonium Chriſtianorum ſignificare debet unionem Chiſti cum Eccleſia; atque ejuſmodi

unio non ſignificatur niſi per conjunctionem carnis : Ergo matrimonium Chriſtianorum eſſentialiter includit carnalem copulam, qua conjuges fiunt una caro, quemadmodum Verbum per Incarnationem cum ſponſa ſua Eccleſia una caro evaſit.

Nego minorem. Duplex eſt enim unio Chriſti cum Eccleſia, una per caritatem, & per continuum gratiæ influxum : altera phyſica & naturalis per unionem hypoſtaticam cum natura humana. Priorem unionem ſignificat unio conjugalis animorum per caritatem, per individuam vitæ ſocietatem, & per mutua amori officia, quæ conjuges ſibi invicem ſuppeditant; poſteriorem vero unionem ſignificat conſummatio matrimonii. Hæc porro ſignificatio non eſt matrimonio eſſentialis, ſed accidentalis dumtaxat, ut docet Magiſter Sententiarum citata diſtinctione 27. ubi exponit quo ſenſu aliqui ex veteribus ſcripſerint non eſſe perfectum conjugium ſine commixtione corporum, ſcilicet perfectione accidentali, quia perfecte non repræſentat naturalem Chriſti unionem cum Eccleſia per Incarnationem, licet perfectum ſit perfectione eſſentiali, quia animorum conjunctio ad individuam vitæ ſocietatem, repræſentat unionem ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia per caritatem & gratiæ influxum.

Dices 2. ſi ſola animorum conjunctio ſufficit ad verum matrimonium, frater & ſoror, item qui laborant impotentia perpetua, poterunt contrahere inter ſe verum matrimonium: falſum conſequens: ergo & antecedens.

Nego ſequelam majoris, quia contractus conjugalis jus tribuit ad carnalem commixtionem: atqui naturæ repugnat ut frater jus illud habeat in ſororem: impotentes vero illius capaces non ſunt. Ita S. Thomas in Supplemento q. 48. artic. 1.

Inſtabis : Ergo vir & mulier verum matrimonium contrahere poterunt, ea conditione, ut neuter poteſtatem habeat in corpus alterius.

Nego ſequelam, quia poteſtas illa radicaliter & eſſentialiter includitur in contractu matrimonii. Sic nulla eſſet venditio & emptio, ſi venditor non transferret in emptorem dominium rei venditæ, hoc eſt

pote-

poteſtatem utendi re vendita. Sed ſicut emptor uſum rei a ſe emptæ remittere poteſt venditori, ſtante nihilominus emptionis contractu: ita conjuges poſſunt mutuo cedere juri ſuo.

Dices 3. S. Auguſtinus relatus a Gratiano 27. q. 1. cap. 16. ſic ſcribit: *Non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe commixtionem ſexus.* Sanctus quoque Leo ibidem relatus cap. 17. ait: *cum ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum conjunctionem non haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum: dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium.* Ergo eſſentiale eſt matrimonio, ut realem Chriſti cum natura humana conjunctionem exhibeat per copulam carnalem: per quam fit, ut duo ſint una caro: ſicut ex unione duplicis in Chriſto naturæ una perſona reſultat.

Nego antecedens: namque 1. textus a Gratiano laudatus tanquam S. Auguſtini non legitur apud S. Doctorem, qui totus noſter eſt, ut patet ex dictis. 2. Gratianus perperam inſeruit particulam, non, in textu S. Leonis, cujus hæc ſunt verba epiſtol. 92. *cum ſocietas nuptiarum ita a principio ſit inſtituta, ut præter commixtionem ſexuum, habeant in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum.* Et vero genuinam eſſe hancce lectionem colligitur ex ſcopo ſancti Doctoris, in hac quippe epiſtola perſtringit concubinatum, probatque eum non eſſe matrimonium, quia matrimonium præter commixtionem ſexuum, habet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum: concubinatus autem non habet Chriſti myſterium, quia unio fornicaria vel adultera, utpote ſolvenda, non poteſt repreſentare indiſſolubilem conjunctionem Chriſti cum Eccleſia.

Q. 5. *Quomodo definitur contractus conjugalis?*

R. Contractus conjugalis in fieri poteſt definiri, actio per quam vir & mulier corporum dominium ad uſum conjugalem ſibi invicem mutuo tradunt & accipiunt. Hæc definitio ex dictis clara eſt.

Idem vero contractus in facto eſſe, vulgo definitur a

Canoniſtis & Theologis poſt Magiſtrum Sententiarum; conjunctio maritalis viri & feminæ inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.

Dicitur 1. *Conjunctio*; quo nomine intelligitur vinculum & nexus, qui ex conſenſu interno, & pactione externa virum inter & mulierem reſultat, in quo eſſentiam matrimonii repoſuimus.

Dicitur 2. *maritalis*, tum ut diſtinguatur ab aliis conjunctionis ſpeciebus, quæ poſſunt eſſe inter virum & mulierem: puta inter fratrem & ſororem, matrem & filium: tum ut ſignificetur finis & objectum hujuſce contractus, mutua ſcilicet corporum traditio.

Dicitur 3. *viri & mulieris*, quibus verbis ſubjectum matrimonii deſignatur, & quidem numero ſingulari, *viri & mulieris*, ad excludendam polygamiam.

Dicitur 4. *inter legitimas perſonas*, id eſt, quæ habiles ſunt ad contrahendum matrimonium, nec ullo impedimento dirimente ſunt ligatæ.

Dicitur denique, *individuam vitæ conſuetudinem retinens*, ut ſignificetur vinculum matrimonii ſolvi non poſſe partium conſenſu, ſicut ſolvuntur alii contractus.

Q. 5. *Matrimonium eſtne licitum & honeſtum?*

Negarunt Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ, & ante eos Saturninus Simonis Magi diſcipulus, ex S. Irenæo lib. 1. cap. 22. ſed cum omnibus Catholicis

R. De fide eſt, matrimonium eſſe licitum & honeſtum. Namque 1. Chriſtus Joann. 2. nuptias in Cana Galilææ ſua præſentia probavit ac ſanctificavit. 2. Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 28. ait, *ſi acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccavit*. 1. ad Tim. 4. v. 1. oppoſitam ſententiam proſcribit uti erroneam, & fidei contrarium; *in noviſſimis temporibus*, inquit, *diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum ... prohibentium nubere*. 3. cum natura a Deo inſtituta inclinet ad prolis procreationem, per quam conſervatur genus humanum, actus conjugalis non poteſt eſſe ita illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non poſſit, *niſi ponatur ſecundum quorumdam inſaniam*, inquit Sanctus

Tho-

Thomas in ſupplemento q. 41. art. 3. *quod res corruptibiles creatæ ſunt a malo Deo.*

Dices, Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 6. conjugium concedit ex indulgentia, ſeu ex venia; atqui venia peccatum ſupponit: Ergo.

Diſtinguo majorem, concedit ex venia quando conjugium exercetur per incontinentiam, Concedo: uxor enim non eſt nomen voluptatis, ſed honeſtatis: quando exercetur ſola procreandi cauſſa, Nego majorem cum S. Auguſtino, qui lib. de bono conjugali cap. 10. ſic exponit locum Apoſtoli, „ non nuptias, ſed illum „ concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit per „ incontinentiam, non ſola cauſſa procreandi, ſed ali- „ quando nulla cauſſa procreandi; quem nuptiæ non „ fieri cogunt: ſed ignoſci impetrant. «

Inſtabis: actus ille non eſt bonus & honeſtus, cujus pudet conjuges: atqui conjuges pudet actus conjugalis: Ergo.

Diſtinguo majorem, cujus pudet ratione ſui, Conc. ratione circumſtantiarum, Nego maj.

Diſtinguo ſimiliter minorem; pudet actus conjugalis propter inordinatos concupiſcentiæ motus, qui illum ſemper comitantur, quique non ſunt peccata, ſed pœna peccati, Concedo; pudet actus conjugalis ſecundum ſe præciſe ſpectati, Nego min. in ſtatu enim innocentiæ, in quo ordinati illi concupiſcentiæ motus non extitiſſent, conjuges non erubuiſſent. Porro homines non ſolum ob culpam, ſed etiam ob defectus naturales erubeſcere ſolent.

Q. 6. Quis inſtituit matrimonium?

R. Ex ipſa naturæ lege ducit originem, quam deinde lex divina poſitiva comfirmavit; natura enim ſana & integra inclinat ad prolis generationem, nutritioem & educationem, quæ ſine certis parentibus vinculo indiſſolubili colligatis fieri nequeunt. Sextum diverſitas ad eum finem eſt ordinata, utpote quæ extra conjugium nullum alium uſum habeat. Naturalem hanc viri & mulieris conjunctionem Deus ab initio ſua lege poſitiva ſanxit, ut conſtat ex cap. 29. Matth. v. 4. ubi Chriſtus Phariſæis interrogantibus, num liceret

ceret uxorem dimittere, ſic reſpondet: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; ... quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Quæ verba, licet ab Adamo prolata Chriſtus Deo tribuit, quia Adamus ſpiritu prophetico & divino afflatus ea protulit.

Dices 1. S. Chryſoſtomus hom. 18. in Gen. S. Auguſtinus lib. de Geneſi contra Manichæos cap. 19. & S. Jo: Damaſcenus lib. 2. de Fide Orthodoxa cap. 30. Docent inter Adamum innocentem & Evam nullum omnino fuiſſe matrimonium, nullumque futurum, ſi ipſi in gratia ſtetiſſent, ſed multiplicandum genus humanum non per generationem, ſed alio modo nobis incognito, eo forte, quo in Paradiſo productus eſt primus patens: Ergo matrimonium ex ipſa naturæ lege non ducit originem.

Nego conſeq. Ad antecedens vero reſpondeo, ita opinatos fuiſſe laudatos Patres. Sed S. Auguſtinus poſtea amplexus eſt communem aliorum PP. ſententiam, prioremque retractavit lib. 1. Retractationum cap. 10. 13. & 19. & lib. 14. De Civ. a cap. 21. uſque ad 27.

Dices 2. In aliis animalibus eſt conjunctio ſexuum abſque matrimonio: Ergo matrimonium non eſt de jure naturali; jus enim naturale dicitur, quod natura docuit omnia animalia.

Diſt. conſequens, matrimonium non eſt de jure naturali omnibus animalibus communi, Conc. non eſt de jure naturali proprio alicui animalium ſpeciei puta humanæ, Nego conſ. „ Enimvero ſicut natura generis, *inquit S. Thom. cit. quæſt. art. 1. ad 1.* quamvis ſit una in omnibus animalibus, non tamen eodem modo eſt omnibus; ita etiam non inclinat eodem modo in omnibus, ſed ſecundum quod unicuique competit ..... quia quædam animalia ſunt, quorum filii nati ſtatim poſſunt ſufficienter ſibi victum quærere, vel ad quorum ſuſtentationem mater ſufficit, & in his non eſt aliqua maris ad fe-

„ mi-

„ minam determinatio. In illis autem, quorum filii „ indigent utriuſque ſuſtentatione, ſed ad parvum tem„ pus, invenitur aliqua determinatio quantum ad il„ lud tempus; ſicut in avibus quibuſdam patet. Sed „ in homine, quia indiget filius cura parentum uſ„ que ad magnum tempus, eſt maxima determina„ tio maſculi ad feminam.

Q. 7. *Exiſtitne præceptum contrahendi Matrimonium?*

R. Exiſtit reſpectu totius hominum communitatis; cum enim ſine matrimonio genus humanum conſervari nequeat, neceſſe eſt ut aliqui matrimonium contrahant. Unde dictum eſt primis parentibus, in quibus omnes homines continebantur, *creſcite & multiplicamini, & replete terram*. Gen. 1. Sed multiplicatis hominibus, cuilibet non minus liberum eſt matrimonium vel cœlibatum eligere, quam agriculturam, mercaturam, & alias artes, ſine quibus ſocietas humana conſiſtere nequit.

Prob. 1. ex Scriptura, Matth. 19. v. 11. Ubi Chriſtus docet virginitatem ſeu cœlibatum eſſe ſingulare Dei donum, *non omnes*, inquit, *capiunt verbum iſtud* (ſcilicet non nubere) *ſed quibus datum eſt*. 1. Cor. 7. v. 8. *dico autem non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. 2. plures viri ſancti cœlibem vitam duxerunt, ut Elias, Jeremias, Joannes Baptiſtas, quin & ipſe Chriſtus Dominus. 3. *ad perfectionem humanam multitudinis*, inquit S. Thom. art. 2. *neceſſarium eſt aliquos contemplativæ vitæ inſervire, quæ maxime per matrimonium impeditur. Unde Theophraſtus probat, quod ſapienti non expedit nubere*. ut refert S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. 4. Eccleſia damnavit Jovinianum ex eo, quod præferret matrimonium virginitati, quem errorem Conc. Trid. perſtrinxit in Pſeudoreformatis, ſeſſ. 4. Can. 10. his verbis: *Si quis dixerit ſtatum conjugalem anteponendam eſſe ſtatui virginitatis vel cœlibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema ſit*.

C Ar-

CAPUT II.

De proprietatibus Matrimonii.

SAnctus Auguſtinus, & ex illo Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 31. S. Thom. in illam diſtinctionem, & ceteri Theologi tria numerant bona matrimonii propria, ſcilicet fidem, prolem, & Sacramentum. Fides hic non ſumitur pro virtute Theologica, qua aſſentimur iis, quæ divinitus revelata ſunt; ſed pro ea parte juſtitiæ, qua promiſſis ſtamus; ſicque conjux fidem ſervat alteri conjugi, dum ad alium vel ad aliam non accedit; frangit vero, ſi alteri commiſceatur. Nomine autem Sacramenti intelligitur firmitas ac indiſſolubilitas contractus conjugalis, quæ ideo dicitur Sacramentum, quia eſt ſignum indiſſolubilis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia. In fide ergo intelligitur matrimonii unitas, id eſt, unius cum una conjunctio, in Sacramento matrimonii indiſſolubilitas.

Circa prolem nihil eſt quod nos moretur, ſed graves ſunt difficultates circa matrimonii unitatem & indiſſolibillitatem, controvertiturque, an polygamia ſimultanea, ſeu pluralitas uxorum ſimul, vel ſucceſſive, ſeu bigamia, aut trigamia ſit contra jus naturale, vel divinum poſitivum, an utraque prohibeatur ſaltem lege Evangelica, an matrimonium ſit indiſſolubile tum apud Gentiles, tum apud Judæos, tum apud Chriſtianos, quæ expendimus ſeq. §.

§. I.

De Polygamia ſimultanea.

Q. 1. P*Olygamia ſimultanea eſtne contra jus naturale & divinum?*

Certum eſt, Polygamiam, qua una mulier multis ſimul viris nuberet, eſſe contra jus naturale, quia ejuſ-

ejuſmodi conjunctio adverſatur fini matrimonii tum primario, tum ſecundario: primario quidem, ſcilicet prolis generationi; experientia enim conſtat meretrices eſſe infœcundas; ſecundario etiam, quia incertum redderet filiorum patrem, qui tamen neceſſarius eſt congruæ eorum educationi. Quæſtio igitur ſolum eſſe poteſt, num polygamia, qua vir unus duceret plures ſimul uxores, pugnet contra jus naturale & divinum poſitivum.

Circa propoſitam quæſtionem Pſeudo-reformati inter ſe non conveniunt. Calvinus exiſtimat polygamiam ſimultaneam tam ſtricto naturæ jure eſſe prohibitam, ut veteres Patriarchas violati hac in parte juris naturalis reos traducere non vereatur; fatetur tamen adulterii crimen ipſis a Deo non fuiſſe imputatum, utpote qui eſſent prædeſtinati. Contra vero Lutherus, Melancton, aliique præcipui ejus gregales definierunt, Philippo Landgravio Haſſiæ licere, vivente adhuc uxore, alteram ducere, quam de facto duxit eorum anctoritate nixus, ut conſtat ex monumentis relatis ab Illuſtriſſimo Meldenſi Epiſcopo Jacobo Boſſuetio lib. 6. hiſtoriæ Variationum. Luthero adhæſerunt Anabaptiſtæ.

Quamvis conſtet apud omnes Catholicos Theologos ſimultaneam uxorum pluralitatem prohiberi poſitiva Evangelii lege, nonnulli tamen, ut Durandus in 4. Sent. diſt. 31. qu. 1. Abulenſis in cap. 19. Math. q. 30. ad quos accedit Maldonatus de Matrimonio; cenſent eam non repugnare legi naturali, ac conſequenter S. Patriarchis opus non fuiſſe diſpenſatione divina, ut licite plura ſimul inirent matrimonia: nec peccare Gentiles, qui etiam nunc idem factitant ex ignorantia invincibili legis Evangelicæ; ſed cum communiori Theologorum ſententia ad propoſitam quæſtionem

R. Pluralitas uxorum adverſatur legi naturali: in ea tamen Deus diſpenſavit cum veteribus Patriarchis, & aliis in lege Moſaica: ſed Chriſtus Dominus in lege nova ejuſmodi diſpenſationem plane revocavit, conjunctionemque cum pluribus ſimul uxoribus illici-

licitans fecit, & ac prorſus irritam. Tres ſunt reſponſionis partes.

Primi pars, nempe pluralitatem uxorum ſimul repugnare legi naturali, probatur 1. ex Scriptura. Gen. 2. v. 24. *relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: atqui duorum in una carne conjunctio polygamiam ſimultaneam excludit, qua non duo, ſed tres quatuorve eſſent in carne una.

Probatur 2. ex Patribus, qui Lamechum tanquam adulterum & violatæ legis accuſant, quod duas acceperit uxores, Gen. 4. v. 19. Tertullianus lib. de exhortatione caſtitatis c. 5. *numerus matrimonii*, inquit, *a maledicto viro cæpit. Primus Lamech, duabus maritatus, tres in unam carnem effecit*. Et lib. de Monogamia c. 5. *vim paſſa inſtitutio Dei per Lamech*.

S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, ſic ſcribit cap. 8. „ una coſta a principio in unam uxorem verſa eſt, & erunt duo in carne una, non tres, neque „ quatuor; alioquin non jam duo, ſed plures. Primus „ ſanguinarius & homicida unam carnem in duas diviſit uxores: homicidium & bigamiam eadem cataclyſmi delevit pœna.

Nicolaus I. in epiſtol. ad Lotharium Regem, qui duas acceperat uxores, ſcribit eum imitatum eſſe Lamechi adulterium.

Probatur 3. ratione triplici. Prima, quia polygamia ſimultanea detrahit de jure uxoris, jure quippe naturali corpus viri eſt in poteſtate uxoris, ſicut eodem jure corpus uxoris eſt in poteſtate viri; pares enim ſunt quoad thorum, *mulier*, inquit Apoſtolus, 1. Corinth. 7. verſ. 4. *ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir corporis ſui poteſtatem non habet, ſed mulier*. Ergo quemadmodum uxor ſine injuſtitia corpus ſuum alteri, quam viro, tradere non poteſt; ita nec vir alteri uxori. Secunda: nuptiæ poſt peccatum non ſolum ſunt in officium naturæ ad procreandam ſcilicet prolem, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ, *nolite fraudare invicem*, ait Apoſtolus citato cap. verſ. 5. *niſi forte in conſenſu ad tempus*,

ut

ut vacetis orationi; & iterum revertimini in idipſum; ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram; atqui quamvis maritus ſufficere poſſit ſuſcipiendis filiis ex diverſis uxoribus, ſufficiens tamen remedium illis adhibere non poterit, quia cum adhærebit uni, altera indigebit ejus conſortio. Tertia: per polygamiam ſimultaneam bonum prolis, nempe congrua educatio impeditur; namque difficile eſt, ut in educandis filiis non ſit aliqua prædilectio & diſtinctio, unaquæque uxor ſuos proprios filios magis quam alterius diliget, & curabit, atque inde rixæ & diffidia inteſtina, quæ pacem familiarum perturbant.

Dices: S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 17. ſcribit, pluralitatem uxorum ſimul nulla lege fuiſſe prohibitam Patriarchis, „ peccata, *inquit*, alia ſunt „ contra naturam, alia contra mores, alia contra „ præcepta; quæ cum ita ſint, quid tandem criminis „ eſt, quod de pluribus uxoribus ſimul habitis objici„ tur ſancto viro (*Jacob?*) ſi naturam conſulas, „ non laſciviendi, ſed generandi cauſſa illis mulieri„ bus utebatur: ſi morem, illo tempore, atque in „ illis terris hoc factitabatur: ſi præceptum, nulla „ lege prohibebatur. „ Similia habet Theodoretus q. 67. in Geneſim: ubi excuſat Abrahamum, quod cum Agar, ipſa exhortantes Sara, conjunctus ſit, *tum*, inquit, *neque natura, neque ulla lex tum ſcripta plures ducere uxores prohiberet*: Ergo polygamia ſimultanea non adverſatur legi naturali.

Diſtinguo conſeq. polygamia non adverſatur legi naturali, Deo diſpenſante, Concedo: non diſpenſante, Nego conſeq.

Inſtas: atqui nulla poteſt eſſe diſpenſatio in lege naturali: Ergo.

Diſting. ſubſumptum, nulla poteſt eſſe diſpenſatio in lege naturali invariabili, Conced. variabili, Nego ſubſumptum. Jus itaque naturale aliud eſt invariabile, aliud variabile: jus naturale eſt invariabile quoad univerſalia principia, ac primarium naturæ finem; & in iis nulla poteſt eſſe diſpenſatio, quoniam quæ iis opponuntur ſunt intrinſece & per ſe mala, ut

ido-

idololatria, blaſphemia, pluralitas virorum ſimul reſpectu unius & ejuſdem mulieris. Sed jus naturale variare poteſt circa concluſiones, & ſecundarios naturæ fines. In exemplum affert S. Thomas pluralitatem Beneficiorum in uno & eodem Clerico, quæ licet pugnet contra jus naturale, propter neceſſitatem tamen vel majorem Eccleſiæ utilitatem evadit licita. Sic matrimonium fratris cum ſorore abſolute ſpectatum, quamvis repugnet legi naturali, nihilominus filii Adami licite copulabantur eum ſororibus propter neceſſitatem propagandi generis humani. Porro eadem eſt ratio polygamiæ ſimultaneæ, quæ licet ſecundum ſe ſpectata jure naturali vetita ſit eo quod pugnet contra plures ſecundarios matrimonii fines, deſiit eſſe contra jus naturale, cum ex divina ordinatione, & diſpenſatione conduxit ad primarium finem matrimonii, nempe ad numeroſam fidelis populi generationem.

Secunda pars, nimirum veteres Patriarchas & alios in lege Moſaica, Deo diſpenſante, plures ſimul uxores abſque culpa duxiſſe, probatur 1. ex Scriptura Deuteronomii cap. 21. v. 15. & 16. *ſi habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos... non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ*. Quæ verba ſupponunt pervulgatam & probatam apud Hebræos conſuetudinem ducendi plures uxores. Idem colligitur ex c. 25. v. 5. ubi ſuperſtes frater etiam conjugatus debet ducere uxorem fratris ſui abſque liberis defuncti.

Probatur 2. ex Patribus.

Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. ſcribit conjugium Abrahæ cum Agar peccatum non fuiſſe, ſed myſterium.

S. Chryſoſtomus hom. 56. in Geneſim, de Jacobo, qui duas ſibi aſſumpſit uxores, ſic habet, „ neque „ juxta ſtatum, qui nunc eſt, opera, quæ tunc facta „ ſunt, judices: tunc enim quia principia erant, per„ miſſum fuit cum duabus vel tribus, vel pluribus „ miſceri, ut humanum genus propagaretur. „

Innocentius III. cap. *Gaudemus*, *de divortiis*, *nulli unquam licuit ſimul plures uxores habere*, inquit, *niſi*

cui

tui divina revelatione conceſſum . . . per quam . . . Patriarchæ & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur,

Dices: Agar in Scripturis non vocatur uxor Abrahæ, ſed concubina, vel ancilla: atqui concubinatus non eſt verum matrimonium, ex ſancto Leone ep. 92. ad Ruſticum; ſed adulterium, ex S. Ambroſio lib. 1. Abraham cap. 4. Unde Judæi Joann. 8. dicunt ſe non eſſe filios fornicationis, utpote qui non deſcenderent ex Abrahamo per Agar ejus concubinam, ſed per Saram legitimam ejus uxorem, ut interpretatur Euthymius in illum locum.

Diſtinguo majorem: Agar non vocatur uxor in ſtrictiori ſignificatione: Concedo: in latiori, Nego maj.

Nomen itaque uxoris bifariam ſumitur tam in Scripturis, quam in jure civili, & aliquando in jure canonico, ſcilicet late & ſtricte. Uxor in latiori ſignificatione ſumitur pro muliere viro legitime conjuncta, quo ſenſu habetur Geneſeos 25. v. 1. *Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Cethuram*; quæ verſu 6. numeratur inter ejus concubinas; ſic enim pergit ſacer textus: *deditque Abraham cuncta quæ poſſiderat Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera; & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo.* In ſtrictiori autem ſignificatione uxor dicitur materfamilias, quæ cum ſolemnitate in uxorem ducebatur, honores ac facultates cum viro habebat communes, cujus etiam filii ad hæreditatem paternam vocabantur. Iis autem privilegiis non gaudebant aliæ uxores, quæ vulgo & in ſtrictiori ſignificatione appellabantur concubinæ. Et hoc ſenſu legitur de Salomone lib. 3. Reg. cap. 11. verſu 3. *fueruntque ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ.*

Omnes quidem erant uxores, ſed gradu & honore diverſo, quemadmodum etiamnum cernere eſt apud Turcas, qui polygamiam ſimultaneam retinent; ex pluribus enim uxoribus, quos habet Turcarum Imperator, una eſt præcipua, ac Regina, cujus primogenitus Patri ſuccedit in imperio. Uxor etiam in communionem bonorum aſſumpta in latiori ſignificatione voca-

vocatur concubina, ut patet ex cap. 19. Judicum, ubi unica uxor Levitæ promiſcue vocatur uxor & concubina, v. 1. 25. 27. & 29.

Diſtinguo etiam minorem, concubinatus non eſt verum matrimonium, ſi ſtricte ſumatur pro vago & omni lege ſoluto cum muliere concubitu, quomodo apud Auctores Eccleſiaſticos ſumitur, Concedo: ſi ſumatur pro legitima conjunctione, in qua fides mutua ſervatur uſque ad mortem, Nego minorem.

De concubinis legitime conjunctis intelligendus eſt canon 17. primi Concilii Toletani, in quo ſtatuitur, ut qui uxorem, non habet, ſed pro uxore concubinam, a communione non repellatur, ſi enim per concubinam Synodus intelligeret meretricem, haud dubie utrumque repelleret a communione. Eodem ſenſu Gratianus interpretatur cap. *omnibus*, diſt. 34. concubina, inquit, *hic intelligitur quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis unita eſt, & conjugali affectu aſciſcitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.*

Adverſus noſtram reſponſionem non pugnant quæ objiciuntur tum ex S. Ambroſio, tum ex S. Leone, tum ex cap. 8. Evangelii ſecundum Joannem. S. quippe Ambroſius conceptis terminis ſupra a nobis relatis, affirmat conjunctionem Abrahæ cum Agar non fuiſſe peccatum, ſed myſterium. Addit quidem, quod etiamſi fuiſſet adulterium, iniquus tamen dicendum non foret Sanctus Patriarcha, cum ipſum facti pœnituerit; ſed non definiit ejuſmodi conjunctionem fuiſſe adulterium proprie dictum. S. autem Leo loquitur de matrimonio inito cum ſerva, non cum ancilla, quod ſecundum legem Eccleſiaſticam, quæ ejus ſæculo obtinuerat, eſt prorſus irritum, ut dicemus ubi de impedimentis dirimentibus, inter quæ numeratur defectus conditionis ingenuæ ab liberæ. Et ita concludit S. Doctor virum, qui ſervam habet, poſſe valide & licite mulierem aliam ducere in verum matrimonium, *niſi forte*, inquit, *illa mulier* (ſerva) *ingenua facta & dotata legitime & publicis nuptiis honeſtata eſſe videatur*: *quia* in illa hypotheſi prius matrimonium ratum foret ac validum.

Quod

Quod vero ſpectat caput octavum S. Joannis; ibi ſermo non eſt de fornicatione carnali, ſed de ſpiritali, hoc eſt, de idololatria, ut patet ex ipſo contextu. Dixerat enim Chriſtus, *vos facitis opera Patris veſtri* (Quis vero ſit ille pater, exponit Dominus verſ. 44. *vel ex parte Diabolo eſtis*) opponunt Judæi, *nos ex fornicatione non ſumus nati*, idque probant non quia ex Abraham per Saram deſcendunt, ſed quia ſemper uni Deo adhæſerunt, *unum Patrem*, inquiunt, *habemus Deum*. Et ita corruit quorumdam interpretatio, quæ nobis objicitur, quamque refert Euthymius in hunc locum.

Tertia pars, nimirum conjunctionem cum pluribus ſimul uxoribus a Chriſto Domino factam eſſe illicitam & irritam, definita eſt adverſus Lutheranos & Anabaptiſtas can. 2. ſeſſionis 24. Conc. Tridentini his verbis: *Si quis dixerit; licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit*. Et in doctrina ejuſdem ſeſſionis Concilium definit matrimonium cum pluribus ſimul uxoribus non ſolum eſſe Evangelica lege prohibitum, ſed etiam prorſus initum, *hoc autem vinculo*, inquit, *duos tantummodo copulari & conjungi Chriſtus Dominus apertius docuit*.

Probatur 1. Concil. definitio, ſimulque noſtra reſponſio, ex Scriptura, Math. 19. ubi Chriſtus matrimonium ad primævam inſtitutionem reduxit, conceſſionemque veteribus factam in cauſſa polygamiæ reſcidit dicens; *qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos . . . & erunt duo* (non tres) *in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Quod autem irritum fecerit matrimonium cum ſecunda uxore, altera adhuc vivente, declarat Luc. 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit; mœchatur*, hoc eſt verum matrimonium non contrahit, ſed adulterium committit.

Probatur 2. ex conſtanti Eccleſiæ Traditione, cujus teſtes ſunt Siricius Papa epiſt. 2. Innocentius I. epiſt. 9.

Sanctus

Sanctus Auguſtinus toto libro 1. de adulterinis conjugiis, & Nicolaus I. epiſt. 13. ad Lotharium Regem ſuprà laudata.

Dices 1. Gregorius II. epiſt. 14. ad Bonifacium, quæ refertur 32. quæſt. 7. cap. „ Quod propoſuiſti, „ *ſic habet*: ſi mulier infirmitate correpta non value„ rit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis „ (*propoſuiſti*:) bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ut „ abſtinentiæ vacaret; ſed quia hoc magnorum eſt, „ ille qui ſe non poterit continere, nubat magis: „ non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa, quam „ infirmitas præpedit, non deteſtabilis culpa exclu„ dit: „ Ergo.

Reſpondeo ad antecedens varios varie reſpondere. Alii volunt Summum Pontificem ſecundum Matrimonium juveni permittere non tanquam licitum, ſed tanquam minus malum. Alii, ut Gratianus, dicunt illud reſcriptum non eſſe recipiendum, utpote contrarium Evangelicæ doctrinæ, & ſacris Canonibus. Communior & verior reſponſio eſt, Gregorium conceſſiſſe juveni aliam ducere uxorem, quia cum prior eſſet impotens, matrimonium cum illa initum erat invalidum.

Dices 2. Socrates l. 4. hiſtor. cap. 26. refert Valentinianum ſeniorem legem tuliſſe, *ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas, eamque in ſingulis civitatibus divulgavit. Lege itaque divulgata, ipſe Juſtinam duxit uxorem*, licet Severa, quam prius duxerat, eſſet adhuc ſuperſtes.

Reſpondeo, ſi vera ſit Socratis narratio, peccavit Valentinianus, & lex ejus non fuit recepta. Sed multa evincunt deceptum fuiſſe Socratem, & falſa ſcripſiſſe. Namque 1. Zozymus, Ammianus, Auctores Ethnici, qui geſta Valentiniani ſcripſerunt, ſicut Sozomenus, Theodoretus, aliique, qui tunc vixere Scriptores Græci, quod Socrates refert, prætermiſerunt. 2. S. Hieronymus, Oroſius, & ceteri Auctores Latini, qui tempore Valentiniani floruerunt, de ejuſmodi lege ab eo lata omnino ſiluere, quamvis de polygamia non ſemel ſermonem habuerint.

Q. 2.

Q. 2. *Quid facto ſit opus, cum infidelis plures habens uxores ad fidem convertitur?*

Reſpondet Innocentius III. cap. *Gaudemus*, l. 4. tit. 19. de divortiis, retenta uxore primo loco ducta dimittendas ceteras.

Q. 3. *Pluralitas uxorum ſimul, fuitne conceſſa Patriarchis ante diluvium?*

Reſpondeo, minime, ut patet ex Patribus ſupra laudatis, qui Lamechum vocant adulterum, eo quod duas ſimul habuerit uxores. Et ratio eſt, quia longæva priorum illorum hominum vita ſufficiebat multiplici proli ſuſcipiendæ.

Q. 4. *Diſpenſatio ſupra polygamiam ſimultaneam, extendebaturne ad Gentiles, qui vixere ante adventum Chriſti?*

R. Diſcordant Theologi in re admodum obſcura. Negat Eſtius in 4. diſt. 33. §. 6. Affirmat vero Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 11. tum quia Eſther Aſſuero Gentili jam habenti plures uxores nupſit, probante Mardochæo viro alioquin Religioſo; tum quia S. Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum cap. 47. excuſat Patriarcham Jacob, qui in Meſopotamia duas filias Laban idololatræ ſibi in uxores accepit, *quando mos erat*, inquit, *peccatum non erat: & nunc propterea crimen eſt: quia mos non eſt*.

§. II.

De Polygamia ſucceſſiva.

Q. 1. **E***Stne contra jus naturale aut divinum, ſi viduus aut vidua ad alias nuptias convolet?*

Aſſeruerunt Novatiani, ex Theodoreto lib. 3. Hæreticarum fabularum, & ante eos Montaniſtæ, quibus adhæſit Tertullianus lib. de Monogamia. Adverſus ejuſmodi errorem

R. Cum omnibus Catholicis. Secundæ nuptiæ, & ulteriores, nec jure naturali, nec jure divino poſitivo prohibentur.

Probatur 1. ex Scriptura 1. Cor. 7. v. 39. *mulier*

alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt; cui vult nubat tantum in Domino. Et 1. Tim. 5. v. 14. *volo ergo juniores* (viduas) *nubere, filios procreare.* Quid ad hæc Tertullianus? 1. ut eludat textus Apoſtoli, contendit intelligendos eſſe de viduis ante fidem ſuſceptam, quibus jam baptiſmo initiatis permittit Apoſtolus uxorem ducere, *quia* inquit c. 11. de Monogamia, *ante fidem ſoluto ab uxore non numerabitur poſt fidem ſecunda uxor quæ poſt fidem prima eſt; a fide enim etiam ipſa vita noſtra.* Verum nimis coacta eſt illa interpretatio, & aliena a mente omnium Catholicorum, quam ipſe Tertullianus adhuc Catholicus ſecutus fuerit in lib. 2. quem ſcribit ad uxorem. 2. Omiſſa illa interpretatione ſcribit capite 14. indulgentiam, qua uſus eſt Apoſtolus erga viduas, ſublatam fuiſſe per Montanum, quem Paracletum vocat, perinde atque ſi Spiritus Sanctus in eum abundantius, quam in Apoſtolos, effuſus ſit: „ ſi enim Chriſtus abſtulit quod Moyſes præce„ pit, quia ab initio non fuit ſic; cur non & Paracle„ tus abſtulerit quod Paulus induxit; quia & ſecun„ dum matrimonium ab initio non fuit ſic? „ Quis non ſtupeat tantum virum in hujuſmodi abſurda incidiſſe; Sed unde habes ab initio non licuiſſe viduis ad alias nuptias convolare? Annon in lege naturæ Abraham, defuncta Sara, aliam duxit uxorem nomine Cethuram? Nonne etiam lex ſcripta ſecundas nuptias admiſit?

Probatur 2. ex Traditione.

S. Clemens Alexandrinus Tertulliano antiquior l. 3. Stromatum; „ ſi cui Apoſtolus, *inquit*, propter in„ temperantiam & uſtionem ex venia ſecundum con„ cedit matrimonium, hic quidem non peccat ex te„ ſtamento: non eſt enim lege prohibitus; non im„ plet autem ſummam illam perfectionem, quæ agitur „ ex Evangelio.

Perantiquus Auctor libri Paſtoris, quem ipſe Tertullianus nonnunquam laudat, ſic ſcribit lib. 2. *ſi vir, vel mulier deceſſerit, & nupſerit aliquis illorum, nunquid peccat? Qui nubit non peccat.*

Concilium Nicænum generale I. can. 8. exigit, ut

No-

Novatiani redeuntes ad Eccleſiam profiteantur, quod Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant, & ſequantur, id eſt, & bigamis ſe communicare, & his, qui in perſecutione prolapſi ſunt.

Concilium Laodicænum can. 1. probat ſecundas nuptias his verbis, *de his, qui ſecundum Eccleſiaſticam regulam ſecundis nuptiis juncti ſunt, &c.*

S. Baſilius ep. ad Amphilochium can. 51. ,, quæ, ,, *inquit*, in viduitate poteſtatem ſui habet, ita ut ſi ,, viro cohabitet, ab omni culpa libera eſt, cum ,, Apoſtolus dixerit, ſi mortuus fuerit vir ejus, libe- ,, ra eſt, cui vult, nubat, tantum in Domino. ,,

S. Hieronymus epiſt. 50. *non damno*, inquit, c. 7. *bigamos: immo nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos*. Hæc ſcripſit S. Doctor, quia nonnulli viſus fuerat ſecundas nuptias damnare in libris adverſus Jovinianum.

Mitto alios Patres, S. Ambroſium lib. de viduis; S. Auguſtinum lib. de bono viduitatis, S. Epiphanium Hæreſi 59. Theodoretum lib. 5. Hæreticarum fabularum cap. 26.

Fide ergo divina conſtat ſecundas nuptias, & ulteriores non eſſe per ſe malas, nec jure divino poſitivo prohibitas. Sed

Q. 2. *Nunquid ſaltem lege aliqua humana Eccleſiaſtica, vel civili prohibitæ ſunt?*

R. Eccleſia eodem Spiritu, quo Apoſtolus, incitata, in votis ſemper habuit, ut fideles a ſecundis nuptiis ſe continerent, quas generatim ſpectavit ut incontinentiæ ſignum in nubentibus, eo potentius, quo ſæpius ab uno & eodem repetuntur, ſed nulla lege univerſaliter recepta illas prohibuit.

Duæ ſunt reſponſionis partes.

Prima pars, ſcilicet Eccleſiam ſemper optaſſe, ut fideles a ſecundis nuptiis abſtinerent, probatur. Eccleſia Græca bigamos pœnitentiæ ſubjiciebat propter ſigna incontinentiæ, quæ præ ſe ferebant, ut conſtat ex can. 3. Concilii Neocæſarienſis, 19. Ancyrani, 1. Laodicæni, & 4. epiſtolæ S. Baſilii ad Amphilochium. 2. Athenagoras in apologia pro Chriſtianis ſecundas nu-

nuptias vocat ſpecioſum adulterium S. Gregorius Nazianzenus ora. 37. de Matrimonio ſic habet. „ Primum lex eſt, ſecundum venia & indulgentia: tertium, iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, „ porcinus plane eſt. „ S. Baſilius citato canone 4. epiſt. ad Amphiloch. ait trigamiam non eſſe conjugium, ſed polygamiam, aut potius caſtigatam fornicationem, atque tertium maritum ſimilem eſſe ſexto, quem habebat Samaritana: ille autem verus non erat Maritus, ſed adulter. Joan. 4. v. 18. Porro durioribus hiſce verbis, & ſeveriore diſciplina non ipſæ nuptiæ damnantur, nec puniuntur, ſed quæ in viduis præſumitur incontinentia; major in trigamis, quam in bigamis, ac proinde diuturniori pœnitentiæ obnoxia, ut patet ex citato can. 4. epiſtolæ S. Baſilii.

Dixi, *generatim*; quia aliquando non libido, ſed vera & evidens neceſſitas ad ſecundas nuptias impellit.

Cum autem plerique per ſpeciem neceſſitatis incontinentiam ſuam obvelare ſoleant, eos egregie refellit S. Ambroſius, cujus verba in lib. de viduis ſparſa abs re non erit hic colligere. „ Ne dixeris, deſtituta „ ſum, *ait viduam alloquens*, querela nupturæ eſt. Ne „ dixeris, ſola ego ſum? caſtitas ſolitudinem quærit, „ pudica ſecretum, impudica conventum. Patrimonium „ vis tueri? Majus pudoris eſt patrimonium, quod „ melius regit vidua, quam nupta. Sed vis nubere? „ licet. Non habet crimen ſimplex voluntas, cauſſam „ non quæro, cur fingitur? Si honeſtum putas, fatere. Si incongruum, ſile. Ne accuſes Deum, ne accuſes propinquos, quod præſidia tibi deſint, utinam „ non deſit voluntas. Ne te conſulere liberis dicas, „ quibus matrem eripis. Neque quidquid licet, decet. Licet nubere, ſed pulcrius eſt abſtinere. Sunt „ vincula nuptiarum bona multi amoris gratia, ſed „ major eſt ſervitus. Mutuis enim neceſſitatibus ab „ utroque ſervitur, nec temperanti licet jugo ſubducere caput, cum alterius intemperantiæ ſerviendum „ ſit, ſed relinquendum eſt, ut unaquæque ſe pendat, „ non auctoritate aliqua præcepti, ſed incremento gratiæ provocata. Et enim præceptum in ſubditos fertur,

con-

„ conſilium amicis datur. Ubi præceptum eſt, ibi lex
„ eſt: ubi conſilium, ibi gratia eſt. Sed conſilium ſo-
„ briis, non ebriis datur. Habeat ſaucia remedium:
„ honeſta conſilium. „

Secunda pars, nulla ſcilicet lege humana univerſaliter recepta prohibitas eſſe ſecundas & ulteriores nuptias, probatur; quia in Eccleſia Latina nullus proferri poteſt Canon Concilii generalis, ut decretum ſummi Pontificis, quo vidui aut viduæ arceantur ab ulterioribus nuptiis: quin tit. integer de ſecundis nuptiis l. 4. Decretalium, ſupponit ejuſmodi nuptias eſſe licitas, & conceptis verbis id docet Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, in quo ſic loquitur: „ Quoniam
„ non nullos aſſeritur quartas nuptias tamquam con-
„ demnatas reſpuere, ne peccatum, ubi non eſt, eſſe
„ putetur.... declaramus non ſolum ſecundas, ſed
„ etiam tertias, & quartas, atque ulteriores, ſi ali-
„ quod impedimentum non obſtat, licite contrahi poſ-
„ ſe. Commendatiores tamen dicimus; ſi ulterius a
„ conjugiis abſtinentes, in caſtitate permanſerint. Quia
„ ſicut viduitati virginitatem: ita nuptiis caſtam vidui-
„ tatem laude ac merito præferendam eſſe cenſemus.

Dixi, *univerſaliter*, namque in Oriente Imperator Baſilius nono ſæculo quartas nuptias irritas fecit, Novella, cujus tit. eſt, *non licere ad quartas nuptias tranſire*, lib. 2. juris Orientalis. Atqui vi hujuſce diſciplinæ Eccleſiaſticæ Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus Leonem cognomento Sapientem Baſilii filium, & in imperio ſucceſſorem a fidelium communione ſegregavit, eo quod defuncta tertia uxore quartam duxiſſet; & ipſe viciſſim Imperator Nicolaum a ſede ſua pulſum in exilium amandavit, ſuffecto in ejus locum Euthimio. Excitatas ob eam cauſſam in Eccleſia Orientali turbas, indulta Imperatori diſpenſatione, compoſuit Summus Pontifex Joannes X. compoſuere pariter Orientales Epiſcopi convocati Conſtantino Leonis filio, hancque regulam in poſterum ſervandam tradiderunt, his verbis: *Sententia judicioque communi decernimus, ne ab hoc anno præſenti* (erat annus 925.) *quartas nuptias ullus contrahat; ſed ut prorſus ea rejiciantur.*

tur. Etſi nulla lege nunc teneatur vidua ad annum ſecundas differre nuptias, Reipublicæ tamen intereſt, ut non nubat, quandiu poteſt eſſe dubium, num conceperit ex prioris conjugis conſortio; injuſtum enim eſt ſic gravidam alteri viro copulari, quod nonnunquam contigiſſe certo didicimus. Quare Parochorum eſt ejuſmodi abuſibus & fallaciis obſiſtere, & ſi opus ſit, auctoritatem Judicis ſæcularis interponere.

§. III.

De firmitate ſeu indiſſolubilitate Matrimonii.

INdiſſolubilitas conſiderari poteſt in matrimoniis vel legis naturæ, vel legis ſcriptæ, vel legis Evangelicæ: ſed quoad thorum tantum, vel etiam quoad vinculum. De indiſſolubilitate quoad vinculum hic agimus, de altera dicturi ſuo loco. Itaque

Q. 1. ***Matrimonium eſtne ex natura ſua indiſſolubile?***

R. Eſt indiſſolubile in qualibet lege, tum jure naturali, cum jure poſitivo.

Prima pars, quæ eſt de jure naturali, probatur iiſdem fere momentis, quibus ſupra aſſeruimus pluralitatem ſimul uxorum pugnare adverſus legem naturalem; repudium quippe non minus, quin multo magis quam polygamia ſimultanea adverſatur finibus matrimonii, nimirum prolis generationi, liberali ejuſdem educationi, & arctiſſimæ, quæ inter conjuges intercedere debet, animorum conjunctioni. Enimvero ſi conjuges ex quavis cauſſa a ſe invicem diſcedant, ut aliis conjungantur, nulla inter eos vera ac firma ſatis amicitia, non diſtinguetur inter fornicationem jure naturali prohibitam, & legitimas nuptias; proles, ſine certo patre, ac debita educatione relinquetur. Graviſſimis hiſce incommodis, tum occurrit primus hominum parens, cum nullà lege poſitiva duce protulit, Geneſ. 2. v. 24. *relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Gentiles, quandiu non exuerunt hominem, hanc naturæ legem ſecu-

ſecuti ſunt. Primus ex Romanis, inquit Valerius Maximus lib. 2. cap. 7. uxorem repudiavit Spurius Carnilius ſterilitatis cauſſa, quæ licet tolerabilis videretur, reprehenſione tamen non caruit; *quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuiſſe arbitrabuntur*.

Confirmatur. Infidelis, qui repudiata prima uxore alias duxit, ſi ad Religionem Chriſtianam convertatur, dimiſſis poſterioribus uxoribus, cogitur priori reconciliari, præſertim ſi ipſa facta ſit Chriſtiana, ex cap. *Gaudemus*, tit. *de divortiis*. Quid ita, niſi quia matrimonium infidelium lege naturali cenſetur indiſſolubile?

Secunda pars, quæ eſt de lege poſitiva, probatur ex cap. 19. Matthæi, *qui fecit hominem ab initio*, ait Chriſtus, *maſculum & feminam fecit eos*, *& dixit*, *propter hoc dimittet homo patrem & matrem*, *& adhærebit uxori ſuæ*, *& erunt duo in carne una*. *Itaque jam non ſunt duo*, *ſed una caro*: *Quod ergo Deus conjunxit*, *homo non ſeparet*. Quibus poſterioribus verbis declarat Chriſtus, non eſſe humanæ poteſtatis, ſed divinæ dumtaxat diſpenſare in hac parte, quæcumque cauſſa aut neceſſitas fingi poſſit.

Confirmatur utraque reſponſionis pars auctoritate SS. Patrum.

Sanctus Ambroſius lib. 8. in Lucam, de indiſſolubilitate matrimonii hæc habet: *Audi legem Domini*, *cui obſequuntur etiam qui leges ferunt*, quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Sed non ſolum hic cæleſte præceptum*, *ſed quoddam etiam opus Dei ſolvitur*. Quibus verbis ſanctus Doctor innuit, repudium adverſari non ſolum Dei præcepto, ſed etiam naturæ inſtitutioni.

Sanctus Chryſoſtomus homil. 63. in Matth. ubi laudat Chriſti verba expendens ſic ſcribit: „ nunc & „ creationis & ſanctionis modo unam uni perpetuo „ conjungit, & numquam reſcindi oportere docuit. „ Et nota quomodo loquatur, *erunt duo in carne una*, „ neque virum ad uxorem ſuam accedere debere ſimpliciter ſanxit, ſed etiam agglutinari, ea loquendi

„ ratione indiſſolubilitatem oſtendens... quemadmo-
„ dum igitur ſcelus eſt in duo dividere carnem unam,
„ ſic & mulierem a viro ſuo disjungere iniquiſſimum
„ eſt. Neque in hoc ſtetit, ſed Deum quoque attulit
„ dicens; *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ita
„ oſtendit, & præter naturam quidem, quia una ca-
„ ro diſcinditur; contra legem autem, quia Deus
„ conjunxit, ac juſſit non ſeparari. „

Merito igitur Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 5. anathemate percuſſit Lutherum & ejus aſſeclas docentes matrimonium multis de cauſſis ſolvi poſſe. Verba Concilii ſunt: „ ſi quis dixerit, propter hæreſim,
„ aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſen-
„ tiam a conjuge, diſſolvi poſſe matrimonii vincu-
„ lum, anathema ſit. „

Objicit Launojus adverſus indiſſolubilitatem matrimonii, multas leges imperatorum etiam Chriſtianorum, puta Conſtantini Magni lib. 3. Codicis Theodoſiani tit. 16. de repudiis, Juſtiniani novella 117. Sed fruſtra, quia, ut ait Tertullianus apologet. c. 4. de pluribus Romanorum legibus, *cum iniquæ recognoſcuntur, merito damnantur*. Porro SS. Patres iniquas uno ore pronuntiant civiles leges de repudiis.

Sanctus Hieronymus epiſtola ad Oceanum; *aliæ ſunt*, inquit, *leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit.*

Sanctus Ambroſius lib. 8. in cap. 16. Lucæ; *dimittis uxorem... quia lex humana non prohibet, ſed divina prohibet.*

Sanctus Auguſtinus ſermone 392. alias homil. 46. ex 50. *hoc non licet jure poli, etſi liceat jure fori.*

S. Chryſoſtomus in cap. 7. ad Romanos, „ ne
„ mihi recites leges externas, atque profanas, quæ
„ libellum repudii dare, ac divortium facere præci-
„ piunt, non enim profecto ſecundum has leges ju-
„ dicaturus eſt Deus, ſed juxta eas, quas ipſe po-
„ ſuit. „ Similia habent S. Gregorius Nazianzenus epiſt. 176. ſeu 24. S. Gregorius lib. 9. epiſt. 39. Nicolaus I. epiſt. 32.

Jam vero inquirendum ſupereſt, num Deus ſuprema

ſua

ſua auctoritate matrimonii nexum aliquando ſolverit in lege Moſaica, aut ſolvi permiſerit in lege Evangelica?

Ratio dubitandi circa matrimonia in lege veteri contracta naſcitur ex Deuteronomii cap. 24. v. 1. ubi ſic legitur: „ ſi acceperit homo uxorem, & habuerit „ eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus „ propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repu- „ dii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de „ domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxe- „ rit, „ &c.

Circa matrimonia vero poſt promulgatum Evangelium contracta triplex movetur quæſtio.

Prima, utrùm per profeſſionem Religionis Chriſtianæ ſolvatur matrimonium in infidelitate contractum, liceatque infideli converſo, repudiata uxore, quam antea duxerat, novas nuptias celebrare; ait enim Apoſtolus 1. Corinth. 7. v. 12. *ceteris ego dico, non Dominus: ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ubi Apoſtolos innuit non eſſe Magiſtri præceptum; ſed Diſcipuli dumtaxat conſilium, quod fidelis adhære. uxori infideli.

Secunda, utrum per adulterium diſſolvatur matrimonium, ut videtur colligi ex his Chriſti verbis, Matth. 5. v. 32. *omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat:* Ergo, inquiet aliquis, ſi uxor mœchata ſit, licebit conjugi aliam ducere.

Tertia, utrum matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum, ſolvatur per ſolemnem unius conjugis profeſſionem in Religione approbata, itaut alteri liberum ſit ad alias nuptias convolare, ita enim declararunt plures Summi Pontifices. Quæ quidem quæſtiones cum ſint graviſſimæ, diſtinctis Paragraphis ſunt diſcutiendæ.

§. IV.

Utrum per libellum repudii in lege Moſaica ſolveretur Matrimonii vinculum?

NON conveniunt Theologi circa propoſitam quæſtionem; negant alii, ut S. Hieronymus in cap. 5. Matthæi, Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 33. S. Bonaventura, in eamdem diſtinctionem, & ex recentioribus Dominicus Soto, Eſtius, Sylvius, &c. contenduntque illicitum ſemper fuiſſe repudium, permiſſum tamen, ut impune fieret, cauſſa majoris mali vitandi.

Affirmant alii, ut S. Chryſoſtomus, ſeu auctor operis imperfecti hom. 32. ubi dicit, Legislatorem abſtuliſſe culpam, quando repudium permiſit, Scotus, Durandus, Paludanus in 4. diſt. 33. quibus adhærent ex recentioribus Abulenſis in cap. 19. Matthæi, Ekius, hom. 74. de Sacramentis, Petrus Soto lect. 13. de matrimonio, Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 17. in reſponſionem ad 14. objectionem, & alii fere innumeri.

S. Thomas in ſupplem. q. 64. art. 3. ad 4. noluit quidquam definire circa hancce controverſiam, ſed ſatis ei fuit proponere & ſolvere momenta, quibus nituntur oppoſitæ opiniones: cum tamen Bellarminus loco citato laudat pro ſua ſententia, quæ nobis probabilior videtur. Quare ad propoſitam quæſtionem

R. In lege Moſaica per libellum repudii ſolvebatur matrimonii vinculum.

Probatur 1. ex ipſiſmet verbis legis ſupra laudatis, quæ veram licentiam concedunt tum marito dimittendi uxorem, cum uxori dimiſſæ nubendi alteri, *dimittet eam de domo ſua*, inquit Scriptura, *cumque egreſſa alterum maritum duxerit*, &c.

Probatur 2. ratione triplici.

Prima, quia ſi vinculum matrimonii non fuiſſet ſolutum per libellum repudii, lex parum æqua videre-

deretur, nam viris fas erat alias uxores ducere, cum eſſet eo tempore licita polygamia unius viri cum pluribus uxoribus; mulieres autem viris infirmiores perpetuo caruiſſent remedio adverſus incontinentiam.

Secunda, Mirum eſſet, neque Moyſen, neque Sacerdotes, qui alia vitia populi reprehendebant, nunquam reprehendiſſe adulteria, quæ etſi graviſſima, publica tamen, & frequentia erant cum repudiatis.

Tertia, quia lex prohibebat, ne repudiata poſt mortem ſecundi mariti poſſet unquam recipi a priore marito. At ſi per repudium non ſolvebatur vinculum conjugii, optimum erat, & optandum, nedum prohibendum ut uxor rediret ad ſuum verum maritum.

Dices 1. mulier repudiata, ſi alteri nupſerit, dicitur cit. cap. 24. Deuteronomii, polluta & abominabilis coram Domino: ergo ejus conjunctio cum altero viro verum erat adulterium.

Nego conſeq. ideo enim repudiata dicitur polluta & abominabilis coram Domino, tum quia maritus eam per repudium publica infamia notarat: tum quia non ipſa mulier, ſed reconciliatio cum priori marito dicitur abominabilis curam Domino; in Hebræo enim & Græco textu habetur, *quoniam abominatio eſt coram Domino*; ſcilicet quod mulier repudiata a ſecundo marito, redeat ad primum; videretur enim ad tempus dimiſſa, & quaſi alteri viro commodata; quod eſt abominabile.

Inſtas: Jeremiæ 3. v. 1. ſic legitur: *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Atqui non eſſet apta comparatio repudiatam inter & populum, qui ſpiritaliter fornicatus eſt cum idolis, niſi repudiata ream adulterii ſe conſtitueret nubendo alteri: ergo.

Nego minorem; eſt enim argumentum a minori ad majus: nempe lex prohibet, ne mulier quæ repudiata alteri nupſit, a priori viro recipiatur, ſi defuncto poſteriori ad eum redierit: ergo tamen, ait Do-

minus, redeuntem ad me populum Iſrael recipiam; quamvis non ſolum me dimiſerit, ſed etiam ſpiritualiter fornicatus ſit cum idolis.

Dices 2. libellus repudii permiſſus fuit Judæis ad duritiam cordis, quemadmodum & uſuræ.

Reſpondet S. Thomas in Supplem. q. 67. art. 3. ad 4. „ quamvis duritia cordis non excuſaret a peccato, tamen permiſſio ex duritie facta excuſat; quædam enim prohibentur ſanis, quæ non prohibentur infirmis corporalibus, nec tamen peccant infirmi permiſſione ſibi facta utentes. „ A quibus autem & quam ob cauſſam conceſſum fuerit Judæis uſuras accipere, expoſuimus tractatu de Juſtitia & Jure cap. 14.

§. V.

Utrum Matrimonium in infidelitate contractum dirimatur per profeſſionem Religionis Chriſtianæ?

Certum eſt 1. Matrimonium non dirimi per hæreſim, apoſtaſiam, vel etiam atheiſmum, in quæ fidelis conjugatus labitur. Patet ex dictis, §. 3.

Certum eſt 2. vinculum Matrimonii non ſolvi, ſi uterque conjux Religionem Chriſtianam amplectatur; *cum per Sacramentum Baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur*, ait Innocentius III. cap. *Gaudemus*, tit. *de divortiis*.

Quæſtio igitur ſolum eſt, utrum dirimatur Matrimonium in infidelitate contractum, quando conjugum alter profitetur Religionem Chriſtianorum; altero in infidelitate permanente; ad quam juxta communem Theologorum ſententiam

R. Dirimitur, Deo diſpenſante, in gratiam Religionis Chriſtianæ.

Probatur ex Scriptura 1. Cor. 7. ubi Apoſtolus diſtinguit inter conjugium fidelium & infidelium. De conjugio fidelium ſic habet v. 10. *Iis autem, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſeu Dominus, uxorem a viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit,*

ma-

manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. De infidelibus vero Matrimonio junctis ſic pergit v. 12. *nam ceteris ego dico, non Dominus, ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi quæ mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Et v. 15. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi.* Ex Apoſtolo igitur non homo, ſed Deus ipſe fidelibus conjugibus præcipit uxorem a viro non diſcedere, & viciſſim virum ab uxore, quod ſi alteruter diſceſſerit, manere innuptum. At eadem ratio non eſt fidelis conjuncti cum infideli; de ejuſmodi enim ait Apoſtolus, *ego dico, non Dominus*, nempe non dimittendum conjugem infidelem, ſi conſentiat habitare cum conjuge fideli: ergo in hoc caſu præceptum divinum de indiſſolubilitate Matrimonii ceſſat, Deo diſpenſante in gratiam Religionis Chriſtianæ. Utrum autem laudata Apoſtoli verba, *ergo dico, non Dominus**, contineant præceptum humanum, an ſolummodo conſilium, expendemus poſtea.

Nec dicas textum Apoſtoli intelligendum de ſeparatione quoad thorum & habitationem dumtaxat; niſi enim extendatur ad vinculi diſſolutionem, non ſtabit diſcrimen ab Apoſtolo poſitum inter conjugium fidelium & infidelium, cum illis & iſtis liceat lege divina & humana a ſe invicem diſcedere, propter graves cauſſas, puta fornicationem, modo innupti permaneant; atqui Deus ex Apoſtolo, concedit viro fideli, qui habet uxorem infidelem, & viciſſim uxori fideli, cujus maritus eſt infidelis, quod denegat conjugibus fidelibus: ergo poteſtatem ei facit non ſolum deferendi conjugem infidelem, ſed etiam alteri nubendi.

Confirmatur iſthæc interpretatio ex Innocentio III. cap. *Quanto*, tit. *de divortiis*. „ Si alter infidelium „ conjugum, *inquit*, ad fidem Catholicam converta„ tur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphe„ mia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mor„ tale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinqui-

„ tur ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit, & in „ hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus, *ſi infi-* „ *delis diſcedat, &c.*

Q. 2. *Si conjux infidelis conſentiat pacifice & ſine injuria Creatoris cohabitare cum fideli, liberum ne eſt iſti diſcedere?*

R. Diviſi ſunt in hac parte Theologi. Negant alii, ut Eſtius in 4. diſt. 39. §. 6. ubi S. Hieronymum lib. 1. contra Jovinianum, S. Ambroſium in cap. 16. Lucæ, & alios pro ſua ſententia appellat. Affirmant alii, ut Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 12. & plures ex recentioribus. Alii viam mediam ineunt, cenſentque in propoſito caſu ordinatione quidem divina licere fideli ad alias evolare nuptias; ſed præcepto humano & apoſtolico prohiberi, quando id fieri nequit abſque aliorum offenſione, & ſcandalo, quemadmodum de idolothytis docet Apoſtolus Rom. 14. 1. Cor. 8. & 10. quæ ſecundum legem Evangelicam edere licebat, ſed a quibus abſtinere præcepit Apoſtolus propter infirmorum ſcandalum, quod præſertim cavendum erit in repudio primis Eccleſiæ temporibus, quibus Religio Chriſtiana in odium veniſſet infidelium, ſi divortium permiſiſſet inter conjuges pacifice & amice conviventes. Et hac ſententia, cui adhæremus, eſt S. Aug. lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 18. & recentiorum non paucorum. Verba ſunt S. Auguſtini: „ Tunc autem non expedit id quod licitum eſt, quan„ do permittitur quidem, ſed uſus ipſius poteſtatis „ aliis affert impedimentum ſalutis: ſicut & diſceſſio „ fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Do„ minus præcepto legis, quia coram illo injuſta non „ eſt: ſed prohibet Apoſtolus conſilio caritatis, quia „ infidelibus affert impedimentum ſalutis, non ſolum „ quia pernicioſiſſime ſcandalizantur, offenſi: verum „ etiam quia cum in alia conjugia ceciderint, viven„ tibus eis, a quibus dimittuntur adulterinis nexibus „ colligati difficillime reſolvuntur „. Quæ ſententia facile colligitur ex ipſo Epiſtolæ contextu; de virginitate enim ait Apoſtolus, *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, quia virginem nubere bonum eſt,

eſt, quamvis melius ſit non nubere: at quæ meliora ſunt, non præcipiuntur, ſed conſuluntur. De ſervando autem nexu conjugali cum infideli mutat ſermonem; nec ait, *conſilium do;* ſed loquitur tanquam auctoritatem habens: *ego dico*, *non Dominus*: innuens præceptum illud non eſſe divinum, ſed humanum, ac proinde mutabile pro temporum & circumſtantiarum varietate, ubi ſcilicet plus timendum eſt ex conjunctione fidelis cum infideli, quam ex eorum ſeparatione. Hinc Concilium Toletanum IV. anno 633. can. 61. non ſolum permittit, ſed etiam jubet, ut conjux fidelis ſeparetur a viro Judæo, etiamſi conſentiat habitare cum illa, niſi Chriſtianus fiat; quia cum Judæi præ ceteris infidelibus ſint infenſi Religioni Chriſtianæ, difficiliuſque ad fidem adducantur, conjux fidelis non ſine propriæ ſalutis periculo cohabitare cenſetur cum Judæo infideli.

Q. 5. *Matrimonium fidelis cum infideli dirimiturne præciſe per profeſſionem Religionis Chriſtianæ?*

R. Minime, quia, ex cap. *Gaudemus*, tit. *de divortiis*, ſi uxor infidelis convertatur priuſquam conjux fidelis ad ſecundas tranſierit nuptias, compellendus eſt fidelis eam recipere, ac proinde huc uſque permanſit vinculum conjugale. Tum ergo dirimitur Matrimonium cum conjux, Chriſtianus factus, tranſit ad ſecundas nuptias; unde mortua poſteriore uxore, non poteſt redire ad priorem, a qua diſceſſerat, niſi novum, cum ea contrahat matrimonium.

§. VI.

Utrum Matrimonium dirimatur per adulterium.

QUæſtio propoſita adeo obſcura & implicata viſa eſt S. Auguſtino, ut lib. de fide & operibus capite 19. fateatur eum venialiter falli, qui propter Scripturæ obſcuritatem exiſtimat Matrimonium dirimi propter fornicationem, & ex ea perſuaſione aliam ducit uxorem: quia nimirum ætate Sancti Doctoris quæſtio

ſtio propoſita nondum eliquata fuerat, ac totius Eccleſiæ judicio definita.

Auguſtinum autem diſtinebant duo Matth. textus. Primus cap. 5. v. 32. qui ſic habet: *omnis qui dimiſerit uxorem, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat*. Secundus legitur cap. 19. v. 9. ubi Chriſtus ſic loquitur: *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimiſſam duxerit mœchatur*. Ex quibus videtur neceſſario colligi, nec dimiſſam cauſſa fornicationis, nec dimittentem mœchari, ſi aliis conjungantur; ſi enim ex iſta propoſitione, *non licet jejunium Quadrageſimale ſolvere, exceptis diebus Dominicis*, certo intelligimus unumquemque liberum eſſe iiſdem diebus a lege jejunii. Et ita interpretabatur laudatos textus Pollentius, ad quem S. Auguſt. duos libros ſcripſit de conjugiis adulterinis.

Græci quoque a pluribus ſæculis eoſdem Matthæi textus eodem ſenſu accipiunt, permittunturque conjuges in cauſſa adulterii ad alias nuptias evolare, atque excuſandam ſuam praxim adducunt auctoritatem veterum Patrum, præſertim Græcorum, & Leges Imperatorum Chriſtianorum, nempe Conſtantini Magni, & Juſtiniani, quas promulgarunt, nemine ex Paſtoribus Eccleſiæ contradicente.

Ex Latinis Scriptoribus non pauci eandem amplexi ſunt ſententiam, ut Tertullianus 3. ſæculo, ſi credimus Maldonato in cap. 19. Matth. & 5. ſæculo PP. Conc. Venetici & 6. ſæculo Avitus Viennenſis, ut perſuaſum eſt Sirmundo. Sed gratis & immerito ejuſmodi error laudatis PP. tribuitur, ut infra patebit.

Eraſmus in annotationibus in ſeptimum cap. prioris ad Corinthios, quas edidit ann. 1515. biennio ſcilicet antequam hæreſis Lutheri erumperet, ſcripſit violatam conjugis fidem dirimere conjugium, & mulierem, quæ alteri viro ſuo fecit copiam, deſiiſſe eſſe uxorem. Quas propoſitiones Facultas Pariſienſis, cum ad eam delatæ fuiſſent, hac ſua cenſura confixit anno 1526. „ Hæ propoſitiones, quatenus per eas præ-

„ ten-

„ tendi videtur Matrimonium per adulterium diſſolvi quantum ad vinculum, hæreticæ ſunt: eſt enim ma„ trimonium jure divino indiſſolubile. „ Apologiam edidit Eraſmus, in qua purgare ſe tentavit adverſus cenſuram, contendens propoſitiones notatas intelligendas de ſeparatione non quoad vinculum, ut placet Cenſoribus, ſed quoad thorum dumtaxat: „ recte, *in„ quit*, additum eſt in cenſura, *prætendi videtur*; „ nam revera nihil minus cogitabam, quam quod in„ terpretantur... ſentio eam deſiiſſe uxorem, quæ ſe „ præſtitit indignam uxoris nomine, & conjugii com„ modis: ſicut filius abdicatus negatur eſſe filius, quod „ amiſerit jus filii, & hominem exuiſſe dicimus eum, „ qui vehementer eſt inhumanus.

Lutherus in libro de captivitate Babylonica, quem ediderat anno 1523. nihil audet ſtatuere circa præſentem quæſtionem. Sed poſt annos tres doctior factus ſcripſit librum in capit. 7. prioris ad Corinthios, ubi cenſet vinculum Matrimonii ſolvi non ſolum propter adulterium, ſed propter plures alias cauſſas. Lutheri errorem ſecutus eſt Bucerus in cap. 19. Matthæi.

Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 19. paragr. ultimo non admittit alias cauſſas quam adulterius, tyrannicamque legem vocat, quæ non permittit aliud conjugium ei, qui ab adultera conjuge divortium fecit.

Cardinalis Cajetanus Commentario in caput 19. S. Matthæi propendet in Calvini ſententiam „ quoniam, „ *inquit*, non audeo ponere me contra torrentem Do„ ctorum & judiciorum Eccleſiaſticorum, ideo dixi tex„ tum (*Matthæi*) nihil diſponere de dimittente forni„ cariam. Intelligo igitur ex hac Domini Jeſu Chriſti „ lege licitum eſſe Chriſtiano dimittere uxorem ob for„ nicationem carnalem ipſius uxoris, & poſſe ducere „ aliam uxorem, ſalva ſemper Eccleſiæ definitione, „ quæ hactenus non apparet; „ obiit enim ante Con„ cilium Tridentinum, ſed poſt exortam Pſeudorefor„ matorum factionem.

Catharinus, qui interfuit Concilio Tridentino, in opuſculo de Matrimonio quæſt. unica concludit, nec ex Evangelio, nec ex Apoſtolo poſſe colligi non licere

cere

cere in cauſſa fornicationis aliud inire matrimonium; quod tamen fieri non debet, niſi accedente judicio & auctoritate Eccleſiæ; cum id variis Canonibus ſit prohibitum. Nam ſupervixit ad ſeſſionem uſque 24. in qua quæſtio ab ipſo agitata definita eſt. His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem

R. Catholicum eſt dogma, Matrimonium non dirimi per adulterium. Ita definiit Concil. Tridentinum ſeſſ. 24. can. 7. his verbis,,, Si quis dixerit Eccleſiam „ errare: cum docuit & docet, juxta Evangelicam & „ Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius „ conjugum Matrimonium non poſſe diſſolvi, & utrumque „ etiam innocentem, qui cauſſam adulterio non „ dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud matrimonium „ contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa „ adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo „ adultero, alii nupſerit; anathema ſit.

Circa hancce Concilii definitionem duo in primis ſunt obſervanda. Primum, Cardinalis Palavicinus ſcribit in ſua hiſtoria Conc. Tridentini lib. 22. cap. 4. num 27. paratum fuiſſe Canonem cum anathemate in eum, qui diceret, Matrimonia conſummata ob adulterium diſſolvi; ſed Oratores Venetos Patribus expoſuiſſe non modicam offenſionem Orientali Eccleſiæ, præſertim vero Inſulis Cretæ, Cypro, Corcyræ, & aliis locis Reipublicæ ſubditis, non ſolum cum publicæ quietis, ſed cum Eccleſiæ Catholicæ detrimento. „ Tametſi etiam, *inquiebant Oratores*, Græca Eccleſia a „ Romana ex parte diſſentiret, non tamen eo deſperationis „ deventum eſſe, ut meliora ſperari non poſſint, „ præſertim cum Græci in ſubjectis Reipublicæ „ locis degentes, quamvis ritu ſuo viverent, tamen „ Præſulibus a Romano Pontifice aſſumptis obtemperarent. „ Eapropter tum rerum convenientia, tum Oratorum „ munere ſe compelli, ne ipſi eos populos percuti „ ſinerent ejuſmodi anathemate, quod ad tumultum, „ integramque a ſede Apoſtolica ſeceſſionem provocarentur. „ Ita Oratores Veneti, qui quod poſtulabant ſunt aſſecuti, canone temperato & reformato eo, quo jam extat, modo.

Secundum: Launoyus Pariſienſis Theologus in Tractatu, quem ſcripſit non ita pridem de Regia in Matrimonium poteſtate, cenſet quæſtionem, in qua verſamur, & Canonem Concilii Tridentini pertinere ad meram diſciplinam; quam Eccleſia pro temporum & rerum opportunitate immutare poteſt; atque inde concludit Synodum Tridentinam abſque præjudicio antiquæ Traditionis & praxis, ſecundum quam (ut falſo exiſtimat) Matrimonium in cauſſa fornicationis dirimi ſolebat, potuiſſe condere Canonem, de quo eſt ſermo, ſed quæro a Launoyo, in quo differat dogma fidei ab iis, quæ ſunt meræ diſciplinæ? Annon in confeſſo eſt apud omnes fidei dogmata habere Chriſtum auctorem, quæ vero ſunt meræ diſciplinæ, Eccleſiam; illa niti verbo Dei, iſta inſtitutione humana? Atqui quæſtio, an per fornicationem ſolvatur Matrimonii vinculum, definitur a Concilio per Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam: ergo ad fidem pertinet.

Probatur autem definitio 1. ex iis Scripturæ locis, ubi Chriſtus abſolute pronunciat Matrimonium eſſe indiſſolubile, ut Marci 10. v. 11. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. Lucæ 16. v. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur*. Nulla hic exceptio *quicunque*, inquit, & quacunque ex cauſſa uxorem dimittit, & ea vivente, aliam ducit, pronuntiatur adulter. Sic Apoſtolus docet Rom. 7. verſ. 2. & 3. *quæ ſub viro eſt mulier*, ait, *vivente viro alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Et 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantum in Domino*. „ Quæ verba expendens S. Aug. lib. 2. de conjugiis adulterinis cap. 5. ait, „ hæc verba Apoſtoli „ toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, „ plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſ„ ſe incipit, niſi prioris eſſe deſiverit; eſſe autem de„ ſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi for-

„ ni-

„ nicetur, Et nonnullis interjectis pergit S. Doctor, pa„ ri ergo forma & vir alligatus eſt, quandiu mulier ejus „ in corpore eſt. Unde ſi vult dimittere adulteram, non „ ducat alteram, ne quod in illa culpat, ipſe committat.

Dices, loca iſta exponi debent ex c. 5. & 19. Matthæi, ubi conceptis verbis Chriſtus excipit fornicationem, propter quam licet viro uxorem dimittere, & aliam ducere; quis enim Chriſtianus teſtimonia Marci, & Lucæ, & Apoſtoli opponat teſtimoniis Matthæi, & ex trium teſtium ſilentio concludat falſum eſſe Matthæi teſtimonium, aſſeratque Chriſtum non excepiſſe fornicationem? Cum igitur fide divina conſtet adhibitam fuiſſe a Chriſto fornicationis exceptionem, ut refert Matthæus, ſequitur Marcum, Lucam, & Apoſtolum omnia Chriſti verba non retuliſſe, ac proinde in eorum textibus intelligendam adulterii exceptionem, qua ſuppoſita liberum eſt conjugibus nova iniri Matrimonia, quemadmodum ſupra dicebamus fideles hoc ipſo intelligi ſolutos diebus Dominicis a lege jejunii Quadrageſimalis, quo lex excipit feſtos illos dies.

Contra: fornicationis exceptio, quæ legitur in textibus Matthæi, non eſt conjungenda cum ſequentibus verbis, ſed cum antecedentibus hoc modo, *quicunque dimiſerit uxorem (quod non licet, niſi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur*.

Suadetur illa expoſitio 1. quia Chriſtus non adjecit exceptionem poſt illa verba, *& aliam duxerit*, non enim ait, *& qui dimiſſam duxerit, niſi ob fornicationem, mœchatur*: ut nimirum indicaret cauſſam fornicationis facere licitam dimiſſionem, minime vero novi conjugii celebrationem. 2. quia Matth. cap. 19. Chriſtus reſpondet Phariſæis ab ipſo quærentibus, num liceret homini uxorem dimittere quacunque ex cauſſa, aitque non licere ex quacumque cauſſa etiam levi ut factitabant, ſed ex gravi dumtaxat, puta fornicationis. Qua prudenti reſponſione Chriſtus eluſit fraudulenta Phariſæorum conſilia; interrogabant enim tentantes eum, inquit ſacer textus, num ſcilicet doctrina ejus eſſet contraria doctrinæ Moyſis, & ipſe clare reſpondit legi eorum conformia, nempe ob fornicatio-

nem

rem uxorem poſſe dimitti; obſcure autem ad vitandas interrogantium calumnias, non licere dimittenti aliam ducere. Sed ubi ſeorſim Diſcipulos edocuit, legem Evangelicam planius expoſuit, *& in domo*, inquit S. Marcus, *iterum diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum, & ait illis, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. 3. Si ſenſus verborum Marci, Lucæ, & Apoſtoli, penderet ex textu Matthæi, decepti fuiſſent Romani, Corinthii, & alii, ad quos non pervenerat Matthæi volumen, (quod certum eſt non perveniſſe ad eos, quos Paulus & Marcus primi ad fidem adduxerunt) intellexiſſent enim ex Marci Evanglio, & ex Epiſtolis Apoſtoli, non licere ex quacunque cauſſa, etiam fornicationis, aliud inire matrimonium, quod tamen falſum eſſet, ſi ut contendunt adverſarii, Chriſtus dixiſſet Matth. 5. & 19. id licitum eſſe. 4. Si lex Evangelica, Matth. 5. & 19. promulgata, vinculum conjugale ſolveret in cauſſa fornicationis, januam aperiret adulteriis, quæ morte non ulciſcitur ſicut lex Moſaica; per ea quippe uxor liberaretur a viro moleſto, & hic viciſſim ab uxore odioſa, & toties nova matrimonia contrahere poſſent, quoties novis amoribus implicarentur; ſicque contractus conjugalis omnium firmiſſimus reſcinderetur pro conjugum libidine, nullum eſſet conjugii vinculum, ſed ſolutus concubinatus. His autem corruptelis & ſocietatis humanæ perturbationibus Chriſtus occluſiſſe, nedum aperuiſſe januam quis negaverit?

Probatur 2. ex Traditione Eccleſiæ, ac 1. Latinæ.

Tertullianus auctor II. & III. ſæculi lib. 4. contra Marcionem cap. 34. objicienti Hæretico, Chriſtum eſſe contrarium Moyſi, utpote qui repudium prohibuerit, quod iſte permiſit, reſpondet Chriſtum non abſolute ſuſtuliſſe repudium, ſed ex parte tantum, & ut loquitur, conditionaliter, hoc eſt, ea conditione ut dimittens & dimiſſa innupti permanerent, *Dico*, inquit, *illum conditionaliter nunc feciſſe divortii prohibitionem, ſi ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat;* qui dimiſerit, *inquit*, uxorem, & aliam duxerit. adulterium commiſit, & qui a marito dimiſſam duxerit,

æque adulterat, „ ex eadem utique cauſſa ; qua non „ licet dimitti, ut alia ducatur ; illicite enim dimiſ„ ſam pro indimiſſa ducens, adulter eſt. „ In mente igitur Tertulliani Chriſtus in cauſſa fornicationis divortium permiſit, ſicut Moyſes, quoad thorum ſcilicet & cohabitationem ; ſuſtulit vero quoad vinculi conjugalis ſolutionem.

Concilium Eliberitanum anno 305. ſic habet can. 9. „ fidelis femina , quæ adulterum maritum reliquerit „ fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur.

Concilium Arelatenſe I. ann. 314. ſtatuit can. 10. „ de his, qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, „ & iidem ſunt adoleſcentes fideles , & prohibentur „ nubere, placuit, ut in quantum poteſt , conſilium „ eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adul„ teris, & alias accipiant. „ Ideo autem dicit Concilium adoleſcentes illos conſilio adhortandos, non vero præcepto urgendos, quia per leges civiles licebat eis alia inire conjugia.

S. Hieronymus epiſtol. ad Oceanum aperit, quæ fuerit IV. ſæculi Sententia, ibi enim deſcribit publicam pœnitentiam Fabiolæ nobili Matronæ a Romano Pontifice impoſitam, eo quod dimiſſo viro adultero alteri nupſiſſet, legum civilium auctoritate ducta, quas vel ex iſto exemplo patet non fuiſſe ab Eccleſia approbatas ſed toleratas, forte ad vitandum majus malum, ſicut meretrices quibuſdam in locis tolerantur. Nec dicas Launoyus prohibitum quidem fuiſſe uxori, nullatenus marito, aliud contrahere matrimonium in cauſſa fornicationis ; nam ſanctus Hieronymus ſcribens in capus 19. Matthæi hæc habet , *ſic priorem dimittere jubetur uxorem, ut ſecundam, prima vivente, non habeat.*

Concilium Milevitanum anno 416. ſic ſtatuit can. 10. „ placuit, ut ſecundum Evangelicam & Apoſtoli„ cam diſciplinam neque dimiſſus ab uxore, neque di„ miſſa a marito alteri conjungatur. „ Decernit inſuper poſtulandum a Principe, ut legem ſanciat, qua ſcilicet præcedentes revocet, & firmitatem præſenti Decreto conciliet.

Con-

Concilium Forojulienſe anno 781. ſic ſtatuit cap. 10. „ Item placuit; ut reſolutio fornicationis cauſſa jugali „ vinculo (*nempe quoad thorum*) non liceat viro, quan„ diu adultera vivit, aliam uxorem ducere.

Concilium Nannetenſe an. 900. „ Si, *inquit*, c. 12. „ cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro „ deprehenſum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, „ ſi voluerit, propter fornicationem.... vir vero ejus, „ illa vivente, nullatenus aliam accipiat.

Innocentius III. lib. 4. Decretalium tit. 19. *de divortiis*, cap. *Gaudemus*, ait: *ſane veridica hæc ſententia probatur etiam de teſtimonio veritatis teſtantis in Evangelio*, quicumque dimittit uxorem ſuam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta.*

Eugenius IV. in Concilio Florentino ſeſſ. 25. ſic Græcos allocutus eſt, „ dico omnes conqueri de ſeparatione matrimonii, idque correctione indiget.„ Et in Decreto pro Armenis,„ quamvis, *inquit*, ex cauſſa „ fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non „ tamen aliud matrimonium contrahere fas eſt, cum „ matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum „ ſit.

Atque hæc pauca ex pluribus teſtimoniis, quæ proferunt Bellarminus & alii Theologi pro traditione Eccleſiæ Latinæ.

Quoad vero traditionem Eccleſiæ Græcæ. Launoyus in cit. tract. de Regia in matrimoninum poteſtate contendit eam eſſe omnino diverſam, unamque fuiſſe Patrum Græcorum ſententiam ſolvi vinculum conjugale in cauſſa fornicationis. Quod ſi ita eſt, e duobus alterutrum fateatur Launoyus neceſſe eſt, nimirum, aut Græcos, qui ſub Apoſtolo militarunt, dum viveret, doctrinam ejus de indiſſolubilitate matrimonii non intellexiſſe, & in ſenſu ab ejus mente alieno ad ſucceſſores ſuos tranſmiſiſſe, aut ſi mentem Magiſtri ſunt aſſecuti, Eccleſiam Romanam, ſeu univerſam Eccleſiam Latinam, ab initio erraſſe, atque etiamnum errare definiendo matrimonium propter adulterium non dirimi

juxta

juxta doctrinam Evangelicam & Apoſtolicam. Hæc autem conſectaria ſunt longe abſurdiſſima, quæ ut declinaret Arcudius, oppoſitum tenuit extremum, conatuſque eſt oſtendere nullum ex antiquis Patribus Græcis faviſſe diſſolutioni matrimonii ex cauſſa adulterii, & ſi qui obſcurius locuti ſunt, eos benigne interpretandos. Sed vanus Arcudii conatus videtur aliis Theologis; exiſtimant enim quoſdam e Patribus Græcis, ut Theodoretum, Aſterium Amazenum manifeſte nobis adverſari: quoſdam vero perplexe locutos, ut Sanctos Baſilium & Epiphanium, adeo ut incertum ſit pro qua ſteterint ſententia, nec propterea mutare in hac parte Traditionem Eccleſiæ, quæ non ex privatorum dictis, ſed ex communi fidelium ac Epiſcoporum ſenſu debet colligi, ut patet vel ex controverſia circa Baptiſmum ab hæreticis collatum, & Beatitudinem non protrahendam ad diem ultimi Judicii; licet enim in hiſce capitibus viri eruditione & ſanctitate conſpicui erraverint, Eccleſia nihilominus ejuſmodi controverſias ex Traditione diremit. Quidni ergo & præſentem ſimiliter dirimere potuerit? Cum Latinis concinunt plures e Patribus Græcis, quorum luculenta teſtimonia hic, ſubjicimus.

Hermas laudatus a S. Clemente Alexandrino, S. Irænęo, Tertulliano, Origene, & aliis, quique is creditur, quem Apoſtolus Rom. 16. v. 14. ſalutat, ſic ſcribit lib. 2. de dimittenda adultera, *dimittat illam vir, & vir per ſe maneat; quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur*. Et infra, *non debet dimiſſa conjuge ſua vir aliam ducere*.

S. Juſtinus II. ſæculo ſcribit Apolog. 1. pro Chriſtianis, eum adulterium committere, qui repudiatam a viro adultero duxerit.

Athenagoras eodem ſæculo in Apologia ad Imperatores pro Religione Chriſtiana ſic habet, „ ut natus „ eſt unuſquiſque noſtrum, manet: vel nuptiis copu„ latur unicis; ſecundæ enim decorum quiddam adul„ terium ſunt; qui enim uxorem ſuam dimiſerit, & „ duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noſter.

Sanctus Clemens Alexandrinus libr. 2. Stromatum ſic

ſic loquitur in fine, „ Legem aperte conſtituit, *non „ dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem:* „ adulterium autem exiſtimat conjungi matrimonio vi„ vo altero ex ſeparatis... qui autem dimiſſam acci„ pit uxorem, mœchatur eam, hoc eſt, cogit eam „ mœchari. Non ſolum autem qui dimiſit eſt ejus „ cauſſa, ſed etiam qui eam ſuſcipit, præbens mulie„ ri peccandi occaſionem; ſi enim non ſuſcepiſſet „ eam, reverteretur ad virum. „ Ergo in mente S. Clementis vinculum conjugale non ſolvitur per adulterium, cum liceat dimiſſæ redire ad eum, qui illam dimiſit, tamquam ad verum maritum; & reus ſit adulterii, qui ſic dimiſſam duxerit, vivente priore marito.

Origenes S. Clementis Diſcipulus Tractatu 7. in Matth. ſic habet, *contra ſcripturæ legem mulieri, vivente viro, nubere quidam Eccleſiæ Rectores permiſerunt, agentes contra id quod ſcriptum eſt*, mulier alligata eſt quanto tempore vir ejus vivit, *& contra illud*, igitur vivente viro, mulier vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: *non omnino tamen ſine ratione; hæc enim contra legem initio latam & ſcriptam ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes eos permiſiſſe veriſimile eſt*. Verba tam clara non obſcurat quod addit Origenes, nempe Chriſtum permiſiſſe diſſolvi matrimonium in cauſſa fornicationis; loquitur enim de diſſolutione quoad thorum & cohabitationem, ut patet ex quæſtione, quam ibidem verſat, num ſcilicet præter fornicationem, quam Chriſtus ſolam excipit, liceat uxorem dimittere propter cauſſas graviores, puta veneficium, infanticidium & rei familiaris dilapidationem; durum quippe videtur Origeni retinere mulierem veneficam & dilapidatricem; *tanta enim*, inquit, *pati & tolerare flagitia, quæ adulterio & ſcortatione pejora cenſeri queant, plane a ratione videbitur eſſe alienum: rurſum contra Servatoris præceptum agere, nemo eſt quin impium confiteatur*. Ex quibus verbis liquet quæſtionem ſolum eſſe de ſeparatione quoad habitationem, per quam maritus liberaretur ab uxore tam noxia, remanente nihilominus nu-

ptiali vinculo; quod ſecundum Origenem ſolvi non poteſt.

S. Chryſoſtomus IV. ſæculo ſic ſcribit hom. 17. in Matth. de eo, qui propter adulterium dimiſit uxorem, *ille enim etſi alteram non duxerit, hoc ipſo ſe conſtituit criminis reum, quod adulteram fecit ex conjuge* (cum illa alteri nupſerit:) *hic vero excipiendo alienam adulter affectus eſt; nequaquam enim mihi referas, quia illam alter ejecit; nam expulſa quoque uxor eſſe ejus, qui eam expulit, perſeverat.* At, inquies, S. Chryſoſtomus ſcribit homil. 19. in cap. 7. epiſt. 1. ad Corinth. nec adulterum eſſe maritum, nec adulteram eſſe uxorem. Verum eſt, ſed eo ſenſu id dicit, quo dicimus, filium erga patrem ingratum & protervum non eſſe filium, *jam non ſum dignus vocari filius tuus*, inquiebat Prodigus ille Luc. 15. ſicut enim filius nequam privatur jure hæreditatis, ita adulter aut adultera juribus matrimonii, puta lecto & ſocietate individua.

Porro ex teſtimoniis allatis liquet unam olim fuiſſe ſententiam utriuſque Eccleſiæ, Orientalis ſcilicet & Occidentalis, modernoſque Græcos receſſiſſe ab antiqua Patrum ſuorum doctrina. Quo autem tempore hæc mutatio facta ſit, non conſtat.

Dices 1. Lactantius lib. 6. cap. 23. divinarum inſtitutionum, ſcribit adulterum non eſſe, qui in cauſſa adulterii dimiſſam duxerit in uxorem.

Reſpondeo, Lactantium attendere ad leges civiles, quæ ſic dimiſſam, ab alio duci permittebant, ſed contra Legem Chriſti, ut Lactantius ibidem agnoſcit; ſic enim pergit, „ ſed divina lex ita duos in matrimo„ nium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjun„ git, ut adulter habeatur quiſquis compagem corpo„ ris in diverſa diſtraxerit.

Inſtas: Idem Lactantius in epitome cap. 6. „ nun„ quam, *inquit*, conjugalis fœderis vinculum, niſi „ quod perfidia ruperit, reſolvatur.

Reſpondeo, Lactantium loqui de diſſolutione quoad thorum & cohabitationem; nam divina lex, inquiebat ſupra, ita duos conjungit, ut adulter habeatur quiſquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit.

Quod

Quod autem ſeparatio quoad thorum & habitationem nonnunquam vocetur a Scriptoribus Eccleſiaſticis diſſolutio vinculi conjugalis, patet ex Concilio Forojulienſi ſupra laudato: *Placuit*, inquiunt Patres cap. 10. *ut reſoluto fornicationis cauſſa jugali vinculo, non liceat viro, quandiu adultera vivit, aliam uxorem ducere*. Et ita exponit Avitum Viennenſem, & Concilium Venetum.

Dices 2. S. Ambroſius in cap. 7. 1. ad Corinthios ſcribit licere viro in cauſſa fornicationis aliam ducere uxorem.

Reſp. 1. S. Ambroſium non eſſe auctorem hujuſce Commentarii, ſed vel Pelagium, vel Hilarium Diaconum Eccleſiæ Romanæ, qui adhæſit Luciferianis, ex S. Hieronymo dialogo adverſus Luciferianos.

Reſpondeo 2. Commentatorem illum loqui juxta legem civilem, non vero juxta Eccleſiaſticam, quæ edicta Imperatorum ſemper improbavit, ut agnoſcit ipſe S. Ambroſius l. de Abraham, cap. 4. & 7. & in Luc. 16.

Dices 3. Joannes VIII. qui ſedit ſæculo IX. hæc habet epiſt. 65. *cum priorem legitimo ſibi matrimonio junctam quiſquam deſerere nequeat; illi conceditur* (in cauſſa fornicationis) *aliam, vivente priore, conducere*.

Reſpondeo corruptum eſſe textum, neque enim cohærent poſteriora verba cum prioribus. Sic autem textus refertur tom. 9. Conciliorum, „ & ideo cum priorem legitimo ſibi matrimonio junctam quiſquam deſerere nequeat, nulla ratione prorſus illi conceditur „ aliam, vivente priore, conducere.

Dices 4. Pœnitentiale Romanum in cauſſa adulterii permittit parti innocenti ad alia tranſire vota; quod ſonti denegat. Idem legitur in Concilio Vermerienſi can. 5. & 9. & in Concilio Compendienſi can. 8. Celebrata autem ſunt duo illa Concilia VIII. ſæculo. Similia habentur cap. *concubuiſti*, quod eſt Zachariæ Summi Pontificis, & cap. *ſi quis cum*, ex Concilio Triburienſi, habenturque cauſſa 32. q. 7.

Reſpondeo, quæ hic objiciuntur, ſpectare diſciplinam, juxta quam qui propter graviora crimina publi-

cæ pœnitentiæ ſubjiciebantur, matrimonium nunquam inire poterant, „ non liceat viro, *inquit Concilium* „ *Forojulienſe*, quandiu adultera vivit, aliam uxorem „ ducere, licet ſit illa adultera: nec adulteræ, quæ „ pœnas graviſſimas vel pœnitentiæ tormentum luere „ debet, alium accipere virum, nec vivente, nec „ mortuo, quem non erubuit defraudare, marito. „ Quin & ipſi marito, qui defuncta uxore adultera, ad alias nuptias tranſibat, pœnitentia imponi ſolebat, quamvis innocenti, quia ut ſupra obſervavimus, ſecundæ nuptiæ, etſi abſolute non prohiberentur, tamen aliquod incontinentiæ ſignum præ ſe ferebant, propter quam viduis nubentibus imponebatur pœnitentia.

§. VII.

Utrum Matrimonium dirimatur per continentiæ votum alterutrius conjugum.

Obſerva 1. duplex eſſe votum, ſimplex, & ſolemne. Simplex continentiæ votum eſt promiſſio proprii corporis ad continentiam ſervandam Deo facta. Solemne vero eſt actualis traditio ſui acceptata a Deo per ſuum Miniſtrum. Hæc habet fuſius explicata tom. 4. tract. de Religione c. 5. §. 2.

Obſerva 2. circa votum ſolemne duplicem eſſe oppoſitum errorem, alius eſt Juſtiniani Imperatoris, qui cod. de Epiſcopis & Clericis, lege finali, decrevit matrimonium etiam conſummatum diſſolvi per Religionis ingreſſum: alter eſt Novatorum, qui docent, matrimoninm ſive ſit ratum & conſummatum, ſive ſit ratum tantum non poſſe diſſolvi per Religionis profeſſionem, ac propterea ſugillant Patres Tridentinos quod definierint, matrimonium ratum dirimi per ſolemne votum. His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem

R. 1. Conſtat apud omnes ſimplex continentiæ votum non dirimere matrimonium ratum, nedum conſummatum.

Probatur 1. ex cap. *Meminimus*, cap. *Conſuluit*, lib. 4. Decretalium tit. 6. *qui Clerici vel voventes*, &c. ubi

ubi Alexander III. declarat votum ſimplex impedire quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimere contractum. Idem habet Cæleſtinus III. cap. *rurſus*, eod. tit.

Probatur 2. ratione qua utitur S. Thomas in ſupplem. quæſt. 53. art. 1. quia votum ſimplex eſt nuda promiſſio Deo facta, matrimonium vero eſt actualis traditio proprii corporis conjugi facta: atqui promiſſio non transfert Dominium rei promiſſæ, ſed promittens tamquam dominus de ea diſponere poteſt prout libuerit, quamvis peccet contra fidem alteri datam: at traditio ſeu donatio rem datam ſeu traditam in donatarii dominium transfert, ita ut ipſe donator de ea diſponere nequeat. Ergo per ſimplex continentiæ votum non diſſolvitur matrimonium, cum in eo conjuges actu & de facto ſibi mutuo tradant poteſtatem in ſua corpora, quemadmodum nulla cenſetur promiſſio donandi vel vendendi domum facta ab eo, qui illam alteri jam donavit aut vendidit.

Dices: vinculum, quo obligamur Creatori, majus eſt vinculo, quo obligamur creaturæ: atqui per votum, etiam ſimplex, obligamur Creatori: per matrimonium vero creaturæ: Ergo vinculum voti ſimplicis majus eſt vinculo matrimonii, ac proinde ſolvit matrimonium.

Diſtinguo majorem: ſi vincula illa ſpectentur in eodem genere: ſi v. g. vinculum promiſſionis Deo factæ conferatur cum vinculo promiſſionis homini factæ, Concedo: unde votum ingrediendæ Religionis majus eſt promiſſione nubendi, ſeu ſponſalibus, eaque ſolvit: ſi vincula ſpectentur in diverſo genere, conferaturque promiſſio Deo facta cum donatione ſeu traditione proprii corporis in gratiam conjugis, Nego majorem; falſum eſt enim eum qui vovit ſe oblaturum Templo aliquam ſummam pecuniæ, quam prius gratuito dono tradidit alteri, poſſe illam auferre voti ſolvendi cauſſa; quia pecunia ſic tradita ad illum non pertinet. Porro per matrimonium fit actualis traditio proprii corporis; per ſimplex autem votum promittitur ſolum.

Sed cum in ſolemni profeſſione, ſicut in matrimonio fiat actualis traditio proprii corporis, & conferatur traditio facta Deo cum traditione facta creaturæ, ulterius quæritur, utrum profeſſio ſolemnis ſolvat matrimonium, quemadmodum ſimplex continentiæ votum ſolvit ſponſalia; quia vinculum, quo aſtringimur Deo, majus eſt vinculo, quo aſtringimur creaturæ.

R. 1. Matrimonium conſummatum non dirimitur per ſolemnem Religionis profeſſionem.

Probatur iis omnibus momentis, quibus ſupra demonſtravimus, matrimonium Chriſtianorum jure naturali & divino poſitivo non diſſolvi, niſi per mortem alterius conjugis. Momenta enim illa efficacius concludunt pro matrimonio conſummato, quam pro rato tantum; cum illud ſit longe firmius.

Confirmatur reſponſio, tum ex S. Gregorio lib. 9. epiſt. 39. ad Theactiſtum, in qua reprehendit legem civilem, quæ permittit contrarium: tum ex cap. *Quidam*, quod eſt Alexandri III. & cap. *Placet*, quod eſt Cæleſtini III. lib. 3. Decretalium tit. 32. *de converſione Conjugatorum*, ubi Religionem profeſſus ignorante vel invita conjuge, ad eam redire compellitur.

Dices: Chriſtus Luc. 14. v. 26. pronuntiat eum non poſſe eſſe ſuum Diſcipulum, qui non odit uxorem ſuam, cui præcepto parere debet, juxta S. Baſilium in quæſtionibus fuſius diſputatis q. 12. qui non poteſt ab uxore impetrare licentiam tranſeundi ad Religionem: & revera paruiſſe Abbatem Theonam miraculis clarum ſcribit Caſſianus collat. 21. cap. 9. poſtquam enim quinque annis cum uxore vixiſſet, ea invita, matrimonium ſolvit, & Monachus effectus eſt. Ergo matrimonium conſummatum ſolvitur per Religionis profeſſionem.

Nego conſequent. Namque ex Chriſti mandato Chriſtianus eo modo debet odiſſe patrem & uxorem, quo animam ſuam, ut ibidem dicitur, ſcilicet quatenus parentes, uxor, & animæ propriæ affectus contrarii ſunt legi divinæ, quemadmodum ipſemet Chriſtus exponit Matth. 10. v. 37. qui amat patrem aut matrem, pluſquam me, non eſt me dignus. Nec alio

ſen-

ſenſu S. Baſilius intellexit laudatum textum, ſcilicet poſito quod maritus cum uxore abſque ſalutis periculo cohabitare nequeat; ait enim, „ ſi vero diffidens ſit „ adultera pars, & aſſidue uſque ex adverſo cum al- „ tera contendat, quod videlicet minus ſollicita ſit „ quomodo placeat Deo: hic ea convenit meminiſſe, „ quæ dicta ſunt ab Apoſtolo, in pace autem voca- „ vit nos Deus, & ſic parendum præcepto Domini, „ qui dixit: „ ſi quis venit ad me, &c. Ad id vero „ quod Caſſianus refert de Abbate Theona viro ſanctiſſimo, reſpondet Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 38. illud eſſe unum ex eis factis Sanctorum, quæ ſunt admiranda. *Credendum enim eſt*, inquit, *peculiari Spiritus ſancti admonitu id factum eſſe præter communem ordinem ac legem*. Denique textus Sancti Baſilii & ſanctorum exempla ad ſummum probant licitum eſſe aliquando ſtudio vitæ præfectioris divortium poſt conſummatum matrimonium quoad thorum tantum & cohabitationem, non vero quoad vinculi diſſolutionem.

R. 3. Matrimonium ratum, & nondum conſummatum, dirimitur quoad vinculum per ſolemnem conjugis profeſſionem in Religione approbata, ita ut liceat alteri parti ad alias nuptias tranſire; ſic enim definiit Concilium Trid. ſeſſ. 24. can. 3. „ ſi quis dixerit „ matrimonium ratum, non conſummatum, per ſo- „ lemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum, „ non dirimi, anathema ſit.

Probatur Concilii definitio eo cap. *Verum*, lib. 3. Decretalium tit. 32. *de converſione conjugatorum*. „ Ve- „ rum, *inquit Alexander III.* poſt conſenſum legiti- „ mum de præſenti licitum eſt alteri, altero etiam „ repugnante, eligere Monaſterium (ſicut ſancti qui- „ dam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis „ commixtio non intervenerit inter eos; & alteri re- „ manenti, ſi commonitus continentiam ſervare nolue- „ rit, licitum eſt ad ſecunda vota tranſire, quia cum „ non fuiſſent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus „ ad Deum tranſire, & alter in ſæculo remanere. „ Et capite *Ex publico*, titulo eodem, laudatus Ponti-

ſex cupienti profiteri duos menſes concedit ad deliberandum, quibus elapſis aut Religionem ingrediatur, aut uxori adhærere compellatur. Solvit deinde objectionem, quæ peti poſſet ex Evangelio prohibente virum ab uxore diſcedere, excepta fornicationis cauſſa. „ Sane, *inquit*, quod Dominus in Evangelio dicit, „ non licere viro niſi ob cauſſam fornicationis uxorem „ ſuam dimittere, intelligendum eſt, ſecundum inter„ pretationem ſacri eloquii, de his, quorum matrimo„ nium carnali copula eſt conſummatum, ſine qua „ conſummari non poteſt.

Innocentius III. cap. *Ex parte* 2. eodem tit. confirmat quod Alexander III. prius decreverat. „ Nos ta„ men, *inquit*, nolentes a prædeceſſorum noſtrorum „ veſtigiis declinare, qui reſpondere conſulti, ante„ quam matrimonium ſit per carnalem copulam con„ ſummatum, licere alteri conjugum, reliquo incon„ ſulto, ad Religionem tranſire, ita quod reliquus „ ex tunc legitime poterit alteri copulari, hoc ip„ ſum tibi conſulimus obſervandum.

Dices: nec Concilium Tridentinum, nec ſummi Pontifices definire potuerunt matrimonium ratum ſolvi per ſolemnem Religionis profeſſionem, niſi ex divina revelatione, quæ Eccleſiæ innoteſcit per Scripturam ſacram, vel per Traditionem: atqui neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligi poteſt matrimonium ratum dirimi per ſolemnem religionis profeſſionem.

Non ex Scriptura, quæ abſolute & abſque exceptione pronuntiat, *quod Deus conjuxit, homo non ſeparet*, Matth. 19.

Non etiam ex Traditione, nihil quippe occurrit in Hiſtoria priorum decem ſæculorum, quo poſſit ſtabiliri Concilii Tridentini definitio. Proferuntur quidem plura exempla Sanctorum, qui poſt celebratas nuptias amplexus carnales ſpreverunt, ut totos ſe divino obſequio manciparent. Id de S. Thecla referunt S. Epiphanius hæreſi 78. & S. Ambroſius lib. 2. de Virginibus: de S. Cæcilia, & S. Alexio Metaphraſtes: de duobus militibus S. Aug. lib. 8. Confeſſionum cap. 6.

Ve-

Verum, ut ex hujuſmodi exemplis efficax argumentum conficiatur, duo conſtare debent: primum, S. Theclam, S. Cæciliam, S. Alexium, & alios, ſolemne votum emiſiſſe in Religione approbata. At contrarium conſtat ſaltem de Thecla & Cæcilia, quæ non vixerunt ſub regulari diſciplina. S. Alexius, cujus hiſtoriam texuit Metaphraſtes, Hiſtoricus alioquin dubiæ fidei, ut omnes norunt, non militavit, in approbata Religione; ſed poſt varias peregrinationes tandem in domo paterna tanquam pauper peregrinos hoſpitatus eſt: Alterum etiam deberet eſſe extra controverſiam, nempe matrimonia illa, de quibus eſt ſermo, ſoluta fuiſſe non ſolum quoad thorum & cohabitationem, ſed etiam quoad vinculum conjugale: atqui illud ipſum eſt in controverſia; namque in confeſſo eſt apud omnes, non fore diſſolutum matrimonii vinculum, ſi quis, uxore intacta, ſe totum Deo devoveret in Congregatione, in qua emittuntur vota ſimplicia paupertatis, caſtitatis & obedientiæ, ut in Congregationibus Miſſionariorum S. Lazari, & Doctrinæ Chriſtianæ: atqui ſolemniora non fuere vota S. Theclæ, S. Cæciliæ, S. Alexii, & aliorum Veterum: nec proferri poteſt approbata Religio, in qua emiſſa ſint. Unde ergo habetur ſolutum fuiſſe matrimonium in S. Thecla, S. Cæcilia, & S. Alexio, minime vero in iſtis Congregationibus?

Hinc Cardinalis Palavicinus lib. 23. hiſt. Concilii Trid. cap. 9. refert plures ex Patribus cenſuiſſe laudatum Concilii can. 6. non eſſe condendum. Quin Maldonatus de matrimonio cap. 9. ſcribit momenta mox allata & alia ſimilia vim nullam habere, „ niſi, *inquit*, „ aut concedatur matrimonium ratum, & nondum „ conſummatum, non eſſe verum matrimonium, & „ verum Sacramentum: aut certe Eccleſiam ita exiſti- „ maſſe; dum decrevit licere poſt matrimonium ratum „ conferre ſe ad Religionem, altero conjuge invito, „ & licere alteri adire alias nuptias. „ Sed iſta liberiori ſtylo, ne quid dicam gravium, videntur ſcripta a Maldonato; abſit enim a Theologo Catholico, ut credat matrimonium ante conſummatio-

nem non eſſe matrimonium, nec verum Sacramentum, falſamque ejuſmodi opinionem tribuat Patribus Tridentinis; inde enim ſequeretur Concilium falſo definiiſſe matrimonium ratum per ſolemnem Religionis profeſſionem diſſolvi, quia quod revera non exiſtit, ſolvi non poteſt. Ne igitur inutilis ſit ac vana Concilii definitio, fateamur neceſſe eſſe matrimonium exiſtere, & habere rationem veri Sacramenti priuſquam conſummetur. Sed faciendum eſt ſatis iis omnibus momentis, quæ contra definitionem objiciuntur. Itaque

Reſpondeo diſtinguendo majorem; Eccleſia definire non poteſt, niſi ex Dei revelatione ea quæ ſunt Juris divini poſitivi, Concedo: quæ ſunt juris naturalis, Nego major. Illud igitur eſt diſcrimen inter ea quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, & res ordinis naturalis; quod priora, cum rationem ſuperent, aut a libera Dei voluntate pendeant, ea noſſe non poſſumus, niſi per Dei revelationem, quæ continetur in ſacris Scripturis, & Traditione: poſteriores vero, cum ſint in animis noſtris impreſſæ, vel clarius, ut prima principia; vel obſcurius, ut plures concluſiones ex primis principiis deductæ, nobis innoteſcere poſſunt abſque Dei revelatione. Unde quando res ſupernaturales & divinæ in controverſiam adducuntur, an v. gr. ſit in Chriſto una aut duplex perſona, an ſeptem ſint Sacramenta, vel pauciora, Eccleſia nihil ſtatuere poteſt, niſi ex verbo Dei ſcripto vel tradito. Ubi vero controverſia verſatur circa legem naturalem, utrum v. g. ipſi repugnet lucrum percipere ex contractu conſignativo, Sanctorum Imagines venerationi fidelium in templis exponere; Eccleſia abſque Dei revelatione dirimere poteſt ejuſmodi controverſiam, nec recurrat neceſſe eſt ad Scripturam & Traditionem, niſi ut definiat rem controverſam neutri adverſari; Eccleſiæ enim eſt interpretari legem Dei: lex autem naturalis eſt lex Dei, ejus digito ſcripta in cordibus noſtris, adeſtque ipſi Spiritus Sanctus, ne erret in iis quæ ſpectant fidem & mores, *Docebit vos omnem veritatem*, ait Chriſtus ad diſcipulos & eorum ſucceſſores, Joan. 16. Quemadmodum igitur certo pronuntiavit Eccleſia contractus conſigna-

ſigna-

ſignativos eſſe licitos, ſacras Imagines in templis licite pingi & coli, quamvis nec Scriptura, nec Traditio priorum ſæculorum iſta doceant, ſatis quippe illi fuit, quod non repugnent Scripturæ ſacræ, nec Traditioni, ſed conſentanea ſint legi naturali: pari modo Summi Pontifices, & poſt eos Concilium Tridentinum decernere potuerunt matrimonium nondum conſummatum dirimi per ſolemnem Religionis profeſſionem, quia ejuſmodi disjunctio congruit admodum legi naturali, nec adverſatur verbo Dei ſive ſcripto, ſive tradito, licet ex eo poſitive non eruatur. Sed iſthæc planiora fient ex objectionum ſolutione. Itaque

Dices 1. Deus per matrimonium ratum conjuges inter ſe conjungit: atqui divinum eſt oraculum, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: Ergo nec Summus Pontifex, nec Concilium illos ſeparare poteſt.

Diſtinguo majorem, quos Deus conjunxit in carne una, homo non ſeparet, Concedo: quos conjunxit in uno ſpiritu duntaxat, homo non ſeparet. Nego majorem. Namque Chriſtus verba ſua reſtrinxit ad eos conjuges, qui ſunt unum quid in carne una, *jam non ſunt duo*, inquit, *ſed una caro*; atqui conjuges non ſunt una caro, niſi per copulam; „ ſane, *inquiebat* „ *ſupra Alexander III. cap.* Ex publico, quod Domi„ nus in Evangelio dicit non licere viro niſi ob „ cauſſam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intel„ ligendum eſt ſecundum interpretationem ſacri eloquii „ de his, quorum matrimonium carnali copula eſt „ conſummatum, ſine qua conſummari non poteſt.

Diſtinguo ſimiliter minorem, Deus in matrimonio rato conjuges conjunxit in uno ſpiritu; Concedo, in una carne, Nego minorem.

Dices 2. jus naturale ſolvi non poteſt: atqui matrimonium ſolummodo ratum, eſt jure naturali firmum & indiſſolubile. Ergo.

Diſtinguo majorem, jus naturale non poteſt ſolvi, manentibus iiſdem circumſtantiis, in quibus neceſſario obligat, Concedo: mutatis circumſtantiis, Nego majorem; nam obligatio voti & cujuſvis promiſſi, aſſidua commoratio Paſtoris in loco Beneficii, &c. ſunt

 ju-

juris naturalis, cauſſæ tamen adeo graves nonnunquam ſuperveniunt, propter quas auctoritate ſuperioris ſolvitur obligatio voti, reſcinditur promiſſum, & Paſtorem ad tempus abeſſe conceditur, lege naturali non repugnante.

Diſtinguo etiam minorem: jure naturali matrimonium ſolummodo ratum, eſt firmum & indiſſolubile, ſi nulla diſſolvendi cauſſa accedat, Concedo; ſi accedat, ut ſolemnis Religionis profeſſio, Nego minorem. Quia ex dictis, rationes, propter quas matrimonium jure naturali eſt indiſſolubile, ſunt prolis generatio & congrua educatio, ad quas requiritur individua viri & mulieris ſocietas: quæ rationes in matrimonio rato non concurrunt, cum nulla ſupponatur proles, nec ſpes prolis ſuſcipiendæ, ac proinde ejus diſſolutio voti ſolemnis cauſſa juri naturali non repugnat. Jus itaque naturale aliud eſt immutabile, ut, *falſam teſtimonium non dices, non facies tibi ſculptile, ut adores illud:* alind mutabile, ut in exemplis allatis. Conſule quæ in hanc rem fuſius tradidimus tractatu de legib. c. 8.

Ergo, inquies, matrimonium nondum conſummatum diſſolvi poteſt non ſolum propter ſolemnem Religionis profeſſionem, ſed etiam propter quamcumque gravem cauſſam, quemadmodum multiplex poteſt eſſe cauſſa relaxandi obligationem voti, & reſcindendi promiſſi.

Reſpondeo, plures Theologos, quos Sanchez appellat & ſequitur lib. 2. de matrimonio diſp. 4. eſſe in ea ſententia, quod Summus Pontifex, propter alias cauſſas, quam voti ſolemnis, matrimonium nondum conſummatum diſſolvere poſſit. Quin Pyrrhus Conradus in praxi lib. 8. c. 6. exempla diſpenſationum, quas in hanc rem conceſſere Clemens VIII. & Urbanus VIII. adducit, S. Antoninus 3. parte tit. 1. capite 21. §. 3. affirmat ſe vidiſſe Bullas Martini V. & Eugenii IV. pro hujuſmodi diſpenſationibus, Navarrus Enchiridii cap. 22. n. 22. teſtatur Paulum III. & Pium IV. ad petitionem ſuam diſpenſaſſe. Cajetanus in opuſculis tom. 1. cap. 28. de matrimonio q. unica, refert

ſua

ſua ætate idem ſæpius factitatum. Henriquez lib. 2. de matrimonio cap. 8. num. 2. aſſerit Gregorium VIII. unica die cum undecim diſpenſaſſe. Fatendum tamen eſt alios Theologos in magno etiam numero oppoſitam tueri ſententiam, ac pro ea laudare etiam Summos Pontices.

Dices 3. matrimonii diſſolutio non poteſt fieri abſque injuria alterius conjugis retinentis: Ergo eſt contra jus naturale.

Nego ant. tum quia ex omnium conſenſione ſponſalia diſſolvi poſſunt voti ſolemnis cauſſa abſque injuria alterius non cenſentientis: ergo & matrimonium ratum, cum conjux derelicta maneat integra, nihilque decoris aut honoris amiſerit quominus ab alio in conjugem aſſumi poſſit; tum quia in contractu ſponſalium & matrimonii intelligitur hæc tacita conditio, *niſi intra duos menſes inceſſerit animus profitendi in Religione approbata*, ante quem terminum nec ſponſa tenetur matrimonium celebrare, ne conjux matrimonium conſummare, fieretque illi injuria, ſi copula per vim extorqueretur.

Dices 4. matrimonium non conſummatum eſt verum Sacramentum, & ſignum perpetuæ unionis Chriſti cum Eccleſia: atqui per violationem violaretur ſacrum illud ſignum: Ergo.

Diſt. maj. eſt ſignum unionis ſpiritalis Chriſti cum Eccleſia, quæ unio fit per caritatem, Conc. unius corporalis per incarnationem, Nego maj. hujuſmodi enim unionem matrimonium non ſignificat, niſi ſit conſummatum; quia in eo ſolo ambo conjuges fiunt una caro. Porro ſicut unio ſpiritalis Chriſti cum Eccleſia, ex parte Chriſti eſt firma & indiſſolubilis; ſolvitur tamen ex parte fidelium per peccatum mortale; ſimiliter qui ſanctioris vitæ ſtudio a conjuge corporaliter ſeparatur; cum illa arctioris amoris vinculo conjungitur; quia quo purius adhæremus Deo per caritatem, eo perfectius proximum diligimus; nec repugnat ſpiritali unioni Chriſti cum Eccleſia, quod pars derelicta ad ſæcularia vota tranſeat.

Q. 1. *Quandonam matrimonii rati vinculum ſolvitur*,

tur, an in ipſo ingreſſu & ſuſceptione habitus religioſi, an in profeſſione?

R. Non ſolvitur, niſi in ipſa profeſſione, quam ſi non emiſerit Novitius, tenetur ad conjugem redire, & matrimonium conſummare, ipſa exigente. Unde conjux derelicta tenetur expectare, donec alter conjux ſolemniter ſit profeſſus, priusquam alteri nubere poſſit.

Q. 2. *Solviturne matrimonium ratum per ſuſceptionem Ordinis ſacri?*

R. Negat Jo: XXII. in Extrav. antiquæ, *tit. 6.* de voto, in qua ſic habet: „ De fratrum noſtrorum „ conſilio præſenti declaramus edicto, quod licet vo„ tum ſolemnizatum per ſacri ſuſceptionem Ordinis, „ quantum ad impediendum matrimonium contrahen„ dum, ac ad dirimendum, ſi poſt contractum fue„ rit, ſecundum ſtatuta Canonum ſit efficax reputan„ dum; ad diſſolvendum tamen prius contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, „ cum nec jure divino, nec per ſacros reperiamus „ Canones hoc ſtatutum, invalidum eſt cenſen„ dum.

§. VIII.

Utrum inter Chriſtianos conjuges, licitum ſit divortium quoad thorum tantum & cohabitationem?

Lutherani, quamvis doceant matrimonium dirimi poſſe ex qualibet gravi cauſſa, negant tamen conjuges licite ſeparari quoad thorum & cohabitationem, manente matrimonii vinculo: quem errorem Concil. Trid. confixit ſeſſ. 24. Can. 8. his verbis: „ Si quis „ dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſſas „ ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu „ quoad cohabitationem, ad certum incertumve tem„ pus fieri poſſe decernit: anathema ſit „. Quare ad propoſitam quæſtionem

R. Conſtans eſt Eccleſiæ doctrina, Chriſtianos conjuges

Juges aliquando licite poſſe ſeparari quoad thorum & cohabitationem, ſalvo matrimonii vinculo.

Prob. 1. ex Scriptura, Matth. 5. & 19. ubi Chriſtus permittit uxorem dimitti cauſſa fornicationis 1. Cor. 7. v. 10. & 11. *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Quibus verbis Apoſtolus duo ſupponit. Primum, per divortium, de quo loquitur, matrimonium non dirimi, cum decernat mulierem ſeparatam debere manere innuptam. Secundum divortium illud eſſe licitum; optionem enim permiſit mulieri, vel redeundi ad maritum, vel non redeundi, modo alteri non nubat: ſi autem illicitum eſſet divortium, procul dubio eam compelleret ad reconciliationem.

Prob. 2. Ex communi Eccleſiæ praxi, quæ conſtat ex titulo de divortiis.

Q. 1. *Quibus in caſibus licitum eſt inter Chriſtum conjuges divortium?*

Certum eſt 1. licite fieri ex communi conjugum conſenſu, ſtudio vitæ ſanctioris; iis enim amplam mercedem promittit Chriſtus Matt. 19. *omnis qui reliquerit domum..... aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet*: quibus promiſſis accenſi plures ſanctitate conſpicui ex conſenſu uxorum vel Monaſticam vita profeſſi ſunt, vel ſacris Ordinibus ſunt initiati, ut SS. Paulinus, Germanus Antiſſiodorenſis, Lupo Trecenſis, &c.

Certum eſt 2. divortium licite fieri ob crimen alterius conjugis; expreſſa eſt enim Chriſti Sententia citatis Matthæi locis, ubi Chriſtus permittit uxorem dimitti in cauſſa fornicationis. Sed quia Chriſtus ſolius fornicationis meminit, propter quam liceat uxorem dimittere: naſcitur difficultas, circa quam Origenes ſupra laudatus §. 6. non auſus eſt quidquam definire, num ſcilicet ob alias cauſſas, quam fornicationis, licitum ſit divortium. S. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 26. cenſet nomine fornicationis intelligendum eſſe peccatum mortale, per quod ani-

anima fornicatur a Deo. Sed expendens poſtmodum lib. 1. Retractationum cap. 19. quæ hic ſcripſit, lectorem monet huicce interpretationi non eſſe ita adhærendum, ut meliorem non quærat, *Nec volo*, inquit, *in re tanta, tamque ad dignoſcendum difficili putare lectorem iſtam ſibi noſtram diſputationem debere ſufficere*. Ac merito quidem, tum quia dubium non eſt, quin Chriſtus loquatur de fornicatione carnali: tum quia falſum eſt licitum eſſe dimittere uxorem propter quodlibet peccatum mortale. Cum autem iſthæc quæſtio, quam S. Auguſtinus ibidem vocat latebroſiſſimam, jam elucidata ſit ab Eccleſia,

R. Licitum eſſe divortium non ſolum ob fornicationem; ſed etiam ob alia crimina, quæ vergunt in detrimentum ſive ſpirituale, ſive corporale alterius conjugis.

Prob. 1. ex Scriptura, Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te*, in quem locum S. Hieronymus docet ſententiam Domini eſſe, ut ſi ii, qui nobis conjuncti ſunt & cari inſtar oculorum, ut parentes, filii, uxor, ſunt ruinæ cauſſa, ab iis recedamus. Epiſtolæ ad Titum cap. 3. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem vitare*.

Prob. 2. ex cap. *quæſivit*, tit. *de divortiis*, in quo Alexander III. declarat uxorem poſſe ſeparari a viro ſuo, qui eam ad crimen impellit. Idem ſtatuit Urbanus III. cap. *De illa*; eodem titulo, & Innocentius III. cap. *Litteras*, de reſtitutione ſpoliatorum ſcribit viri ſævitiem eſſe juſtam divortii cauſſam.

Q. 2. *Cur Chriſtus meminit ſolius fornicationis in juſta cauſſa divortii?*

R. Duabus de cauſſis. Prima; quia fornicatio ſeu adulterium directe ac ſpeciatim opponitur fidei conjugali, & ſubſtantiæ ipſius matrimonii; cetera vero crimina aliis nociva, ſunt ſeparationis cauſſæ omnibus confœderationibus, filius a Patre, famulus a domino æque debent ſeparari, ac uxor a viro, quando ex convictu trahuntur ad hæreſim, & ad aliud quodlibet flagitium: at propter fornicationem præciſe neque filius, neque

fa-

famulus jus habent dimittendi, ille patrem, iſte dominum, quemadmodum uxor virum adulterum, etiamſi non ſit illi cauſſa ruinæ. Secunda, quia Chriſtus citato loco loquitur de divortio perpetuo; quærentibus enim Judæis, num liceat uxorem dimittere per libellum repudii quacumque ex cauſſa? (libellus autem repudii apud eos erat in perpetuum, ita ut mulier repudiata nunquam poſſet redire ad maritum.) Chriſtus conſentanee ad interrogata reſpondet, id non licere niſi in cauſſa fornicationis, quia propter alia crimina divortium ſit ſulummodo ad tempus, nimirum donec conjux nocens reſipiſcat; ſi enim ſerio convertatur, innocens tenetur pœnitentem recipere, eique affectu maritali cohabitare, quia iſta crimina per accidens opponuntur matrimonio. At propter adulterium, etiamſi ſemel fuerit patratum, & mox qui peccavit, reſipiſcat; alter tamen conjux per totam vitam liberatur a debito reddendo; ac proinde ſola fornicatio eſt juſta cauſſa divortii perpetui.

Atqui ex hac ratione inferunt Theologi, ſuperveniente adulterio, conjugem innocentem poſſe in Religione approbata ſollemniter profiteri, etiam abſque conſenſu conjugis nocentis, non vero ipſum nocentem, niſi alter prius fuerit profeſſus, quia adulter amiſit jus in corpus alterius, ſed non viciſſim innocens in corpus nocentis, a quo poteſt exigere debitum conjugale; cum divortium in ejus gratiam duntaxat concedatur.

Q. 3. *Quid nomine fornicationis intelligitur cap. 5. & 19. Matthæi?*

R. Non ſolum intelligitur adulterium, ſed etiam omnis illicitus concubitus, ex cap. *Meretrices*, cauſſa 32. quæſt. 4. in quo ſic habetur, *profecto & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus debet intelligi*. Unde Sanctus Thomas in Supplem. quæſt. 6. 2. art. 1. ad 4. docet peccatum contra naturam eſſe ſufficientem cauſſam divortii.

Q. 4. *Licitumne eſt divortium, quoties intercesſerit fornicatio?*

R. Li-

R. Licitum non eſſe, 1. ſi fornicatio fuerit ſine crimine, puta ſi uxor vim fuerit perpeſſa, aut bona fide alteri nupſerit, virum ſuum credens mortuum. 2. Si uterque conjux eodem fornicationis crimine teneatur. 3. Si adulterium cognitum ſecuta ſit reconciliatio, quæ cenſetur facta per actum conjugalem. 4. Si vir fornicatus fuerit, ſive ante, ſive poſt uxoris adulterium, non poteſt in conſcientia illam expellere. 5. Si vir ipſe uxorem proſtituerit, aut fornicandi dederit cauſſam, v. g. debitum conjugale illi pertinaciter denegando. Ita fere S. Thomas citata q. 62. art. 1.

Advertens tamen quod ſi noverit uxor virum adulterum pœnituiſſe, & ipſa nihilominus perſeveret in adulterio, licite dimitti poterit.

Q. 5. *Conjux innocens poteſtne privata auctoritate divortium facere in cauſſa fornicationis?*

R. Poteſt quod thorum, modo certus ſit de alterius adulterio: ſed non poteſt quoad habitationem; cum enim hujuſmodi divortium ſit publicum; fieri non poſſet ſine ſcandalo & perturbatione ſocietatis, niſi accederet auctoritas Judicis, ex cap. *porro*, tit. *de divortiis*.

Q. 6. *Teneturne conjux facere divortium cum uxore adultera?*

R. Tenetur, niſi ipſa reſipiſcat.

Probatur 1. ex Scriptura. Proverbiorum 18. *qui tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*. Ad quem ſententiam attendens S. Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 19. revocat quod ſcripſerat lib. 1. de Sermone Domini, ſcilicet permiſſum, non juſſum divortium.

Probatur 2. ex ſacris Canonibus, ſic enim habetur cap. „ Si vir, *tit.* de adulteriis. Si vir ſciens uxorem „ ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed „ permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus „ erit, & ejus peccati particeps: „ quia ſcilicet tegumentum ejus flagitiis præbet. Et cap. *Si quis uxorem*, cauſſa 32. q. 1. maritus, qui cohabitaverit cum uxore adultera, tribus annis ſubjicitur pœnitentiæ.

Dixi, *niſi reſipiſcat*, quia hujuſmodi exceptio habetur cit. cap. *ſi vir*. *Quod ſi mulier dimiſſa egerit pœniten-*

ſitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, *debet*; *ſed non ſæpe*, *recipere peccatricem*. Quo autem titulo debeat, exponit Gloſſa ibidem, *debet*, inquit, *debito honeſtatis*, *& non neceſſitatis*; *quia etiam poſt pœnitentiam poſſet eam accuſare de adulterio*. Lege tamen caritatis teneretur cedere de jure ſuo, ſi uxor dimiſſa in magno æternæ damnationis periculo verſaretur non revocata; ordo quippe caritatis poſtulat, ut ſpiritualem proximi ſalutem temporali noſtro commodo præferamus. Unde S. Auguſtinus lib. 2. de conjugiis adulterinis cap. 6. ſic ſcribit, „ poſteaquam Chriſtus „ ait adulteræ, nec ego te condemnabo, vade, deinceps „ noli peccare; quis non intelligat debere ignoſcere „ maritum, quod videret ignoviſſe Dominum amborum: „ nec jam ſe debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miſeratione deletum? „

Ceterum non eadem eſt obligatio in uxore dimittendi virum in adulterio perſeverantem, quia ex eo non cenſetur conſentire in peccatum ejus: quod non poſſit illum cum auctoritate corripere, ſicut vir poteſt mulierem, cujus eſt caput. 2. quia non idem incommodum imminet cohabitando cum viro adultero; neque enim incertus erit pater prolis, nec falſus hæres ſupponetur. 3. quia rarum eſt maritum adulterum corrigi propter ſeceſſionem uxoris; quin potius metuendum eſt, ne fiat deterior; quare ut plurimum conſulendum eſt uxori, ne dimittat virum adulterum. Dico, *ut plurimum*, quia ſi ex divortio probabiliter ſequeretur correctio mariti adulteri, uxor innocens teneretur illum deſerere.

Q. 7. *Eſtne jus æquale divortii in utroque conjuge ex cauſſa adulterii?*

Reſpondeo affirmative, quia in iis, quæ pertinent ad thorum, pares ſunt maritus & uxor, ex Apoſtolo 1. Cor. 7. *mulier*, inquit, *ſui corporis poteſtatem non habet*, *ſed vir*. *Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet*, *ſed mulier*.

Q. 8. *Uter conjux adulterando gravius peccat?*

R. Cum in adulterio duplex reperiatur malitia, altera impudicitiæ, altera injuſtitiæ, adulterium ratione

ne impudicitiæ gravius eſt in viro, quam in muliere; ratione vero injuſtitiæ gravius eſt in muliere, quam in viro, qui cum ſoluta adulterat.

Prima pars probatur auctoritate S. Auguſtini, & ratione, qua utitur lib. 2. de conjugiis adulterinis c. 8. ubi refellens querelas maritorum, quod in luendis pœnis adulterii mulieribus comparentur, „ quaſi non „ propterea, *inquit*, magis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frænare, quia viri ſunt: quaſi non „ propterea magis debeant mulieribus ſuis ad virtutis „ hujus exemplum ſe præbere, quia viri ſunt; quaſi „ non propterea minus debeant a libidine ſuperari, „ quia viri ſunt? Et tamen indignantur, ſi audiant „ adulteros viros pendere ſimiles adulteris feminis pœnas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, „ quanto magis ad eos pertinet & virtute, & exemplo vincere feminas. Chriſtianis equidem loquor, „ qui fideliter audiunt, *caput mulieris vir*, ubi ſe „ agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere; „ & ideo cavendum viro illac ire vivendo, qua timet „ ne uxor ſequatur imitando. „

Secunda pars probatur; quia uxor adultera injuriam facit tum prolis, cujus incertum reddit patrem, tum marito, cui falſum hæredem inſtituit. Adde quod virum majori infamia aſpergat, quam ipſam maritus adulter. Unde ſimpliciter & abſolute gravius eſt adulterium uxoris, quam mariti, propptereaque per leges civiles punitur ſeverius.

CAPUT III.

De Matrimonium quatenus eſt Sacramentum.

Q. 1. **M***Atrimonium fuitne verum Sacramentum ante adventum Chriſti?*

Affirmant Alphonſus a Caſtro lib. 11. adverſus hæreſes, Petrus Soto lect. 2. de Matrimonio, Catharinus

nus opuſculo de Matrimonio, Maldonatús de Matrimonio, quibus ſe adjunxit Lannoyus lib. de Regia poteſtate in matrimonium, quorum opinionem minime tutam judicat Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 5. ad ſecundum Lutheri argumentum. Quare juxta communem ſententiam

R. Matrimonium ante adventum Chriſti non fuit verum Sacramentum; in latiori tamen, & minus propria ſignificatione dici poteſt Sacramentum, quatenus ſcilicet fuit ſignum rei ſacræ.

Prima pars probatur, quia ad verum Sacramentum duo inter cetera requiruntur, ex dictis tractatu de Sacramentis in genere cap. 2. primum, ut ſit ſignum ſacrum, cujus uſus ſit religioſus & cæremonia ſacra. Secundum, ut ſit efficax alicujus ſanctitati, ſive exterioris, & legalis, ſive interioris: atqui utrumque defuit matrimonio ante adventum Chriſti, tum in ſtatu innocentiæ, tum in lege naturæ, tum in lege ſcripta; nuptiæ ſiquidem non erant cæremonia legalis, ſeu religioſa quædam profeſſio, per quam nubentes ſanctificarentur, quemadmodum ſanctificabantur per ſacrificia, circumciſionem, eſum agni Paſchalis, &c. Sed celebrabantur duntaxat in officium naturæ. Adde quod in ſtatu innocentiæ nulla fuerint Sacramenta, ut diſputavimus tractatu de Sacramentis in genere: Ergo.

Dices 1. cum Maldonato: Catholici probant ex cap. 5. ad Epheſios, matrimonium in lege nova eſſe verum Sacramentum, atqui Apoſtolus eo loci manifeſte loquitur de matrimonio Adami cum Eva; ex ejus quippe verbis Gen. *relinquet homo patrem & matrem*, &c. ſic concludit, *Sacramentum hoc magnum eſt*, *ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, hoc eſt, quatenus præfiguravit unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ educta eſt ex latere Chriſti in Cruce dormientis potius quam mortui; cum eſſet brevi reſurrecturus, ſicut Eva extracta eſt ex latere Adami ſomno myſtico conſopiti: Ergo matrimonium Adami & ejus poſterorum eo modo fuit Sacramentum, quo matrimonium Chriſtianorum; licet iſtud poſterius plus gratiæ contineat.

Nego minorem, quia ex hoc Apoſtoli textu ſolum con-

concludi poteſt matrimonium Adami præfiguraſſe unionem Chriſti cum Eccleſia, ac conſequenter matrimonium Chriſtianorum; atque adeo Apoſtolum ex figura explanaſſe rem ſignificatam, quemadmodum Chriſtus per ſerpentem æneum a Moyſe in deſerto erectum, ſuæ paſſionis myſterium probavit, & in Jona demerſo in mare exhibuit ſuam reſurrectionem, ipſe quoque Apoſtolus ex ritu, quo Judæi comedebant agnum Paſchalem, incitat Corinthios ad ſancte percipiendam Euchariſtiam, *Paſcha noſtrum*, inquit 1. Cor. 5. *immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur, non in fermento, veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. At inde non ſequitur ſerpentem æneum, ſubmerſionem Jonæ fuiſſe ſacra Religionis ſigna, ſeu Sacramenta proprie dicta, & in ritu Agni Paſchalis eandem repoſitam fuiſſe gratiam, ac in perceptione Euchariſtiæ. Apoſtolus igitur Epheſ. 5. meminit matrimonii Adami tanquam præcipuæ figuræ matrimonii Chriſtianorum: laudat quæ prophetice cecinit primus parens in gratiam tanti Sacramenti, docetque ea per Chriſtum fuiſſe impleta. Sed de hoc textu iterum in reſponſione ad ſequentem quæſtionem.

Dices 2. Matrimonio Adami, & ejus poſterorum erat annexa gratia. Namque 1. Deus illi benedixit, Geneſ. 1. verſ. 28. 2. Tobiæ 6. non defuit divina gratia matrimonio veterum, qui, ut ait Angelus, conjugium ita ſuſcipiebant, ut Deum a ſe & a ſua mente non excluderent; ergo.

Nego antecedens: tum quia benedictio, de qua Gen. 1. non conferebat animæ ſanctitatem, ſed corporis fæcunditatem; eodem enim modo Deus benedixit brutis animantibus, ut obſervet S. Auguſtinus, tum quia Tobiæ promittitur Dei auxilium & protectio, ſicut Salomoni, & ceteri, qui Deo vocante officium aliquod ſuſcipiunt cum recta intentione. Sed inde non ſequitur conjugum Tobiæ, regimen Salomonis, & quodlibet aliud officium eſſe ſigna practica & per ſe efficacia gratiæ.

Secunda pars, nempe matrimonium in ſtatu innocen-

cen-

centiæ; & in lege tum naturæ, tum ſcripta; fuiſſe Sacramentum in latiori & minus propria ſignificatione, quatenus erat ſignum rei ſacræ, hoc eſt, unionis Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem & caritatem, probatur ex Patribus.

Tertullianus lib. de anima c. 11. *Adam*, inquit, *ſtatim prophetavit magnum illud Sacramentum in Chriſtum & Eccleſiam, dicens*, hoc nunc os ex oſſibus meis.

Sanctus Hieronymus in c. 5. ad Epheſios ſic ſcribit, *primus homo & primus vates Adam hic de Chriſto & de Eccleſia prophetavit*.

Sanctus Auguſtinus lib. 9. de Geneſi ad litteram c. 19., evigilans, *inquit*, Adamus ex exſtaſi, tanquam „ prophetiæ plenus, cum ad ſe adductam coſtam mu„ lierem ſuam videret, eructavit continuo quod ma„ gnum Sacramentum commendat Apoſtolus, „ hoc „ nunc os ex oſſibus meis.

Q. 2. *Matrimonium in lege nova, eſtne verum Sacramentum?*

Præter veteres hæreticos, qui damnabant nuptias, quoſque ſupra confutavimus capite 1. Lutherani, duce Luthero, matrimonium expunxerunt e numero Sacramentorum novæ legis. Melancthon & Kemnitius admittunt matrimonium poſſe dici Sacramentum, ſed improprie. Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 34. affirmat Sacramenti rationem non magis convenire matrimonio, quam agriculturæ, aut ſutoriæ arti. Adverſus quem errorem extat hic Canon numero primo ſeſſionis 24. Conc. Tridentini, „ ſi quis dixerit, ma„ trimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſe„ ptem legis Evangelicæ Sacramentis, a Chriſto Do„ mino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia in„ ventum, neque gratiam conferre; anathema ſit. „ Unde ad propoſitam quæſtionem

R. De fide eſt, matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis proprie dictum, & a Chriſto Domino inſtitutum; ſic enim definit Concilium Tridentinum citato Canone.

Probatur 1. ex Scriptura, Epheſ. 5. ubi de matrimonio ſic habet Apoſtolus, *Sacramentum hoc magnum*

eſt

eſt, *ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Quod autem ex hiſce Apoſtoli verbis colligatur matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis proprie dictum, ſic demonſtratur.

Ad verum novæ legis Sacramentum tria requiruntur, 1. ut ſit ſenſibile ſignum rei ſacræ. 2. ut ſit a Chriſto inſtitutum. 3. ut ſit efficax & productivum gratiæ ſanctificantis: atqui tria iſta habemus ex laudato Apoſtoli textu. Ergo. Major ab omnibus admittitur. Minor vero, quam pernegant Novatores, probatur quoad ſingulas ejus partes, nempe quod Apoſtolus eo loci exhibeat matrimonium. 1. ut ſenſibile ſignum rei ſacræ. 2. ut a Chriſto inſtitutum. 3. ut productivum gratiæ ſanctificantis.

Ac 1. quidem matrimonium, ex Apoſtoli verbis, eſt ſenſibile ſignum rei ſacræ; namque conjunctio conjugalis, propter quam vir, ex Apoſtolo ibidem, debet relinquere patrem & matrem, ut adhæreat uxori ſuæ, procul dubio eſt quid ſenſibile. Quod autem ſit ſignum rei ſacræ affirmat idem Apoſtolus, *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum eſt*. In quo vero magnum ſit, ſtatim exponit, *ego autem dico in Chriſto*, *& in Eccleſia*. In Græco textu legitur, *in Chriſtum & in Eccleſiam*, ut ſenſus ſit, unio conjugalis Sacramentum magnum eſt, quatenus refertur ad Chriſtum & Eccleſiam, tanquam ad terminum & rem ſignificatam; & ita præcluditur Novatorum effugium, qui contendunt in mente Apoſtoli non matrimonium Chriſtianorum, ſed ipſam Chriſti unionem cum Eccleſia eſſe magnum Sacramentum. Quamquam poſſunt & alio modo refelli; ſiquidem pronomen, *hoc*, quo utitur Apoſtolus, eſt demonſtrativum rei, de qua agitur: atqui de matrimonio Chriſtianorum agit Apoſtolus; ait enim, *propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam*, *& adhærebit uxori ſuæ*, *& erunt duo in carne una*, moxque ſubjicit, *Sacramentum hoc* (græce, *myſterium hoc*) nexus ſcilicet conjugalis, *magnum eſt*. Atque ut auferatur Eraſmo ridendi locus, ex eo quod conjunctio viri & mulieris nullum contineat myſterium, cum ſimilis cernatur in beſtiis, pergit Apoſtolus, *ego*

au-

autem dico in Chriſto, & in Eccleſia, hoc eſt, nexus ille in ſe præciſe non eſt magnum Sacramentum, ſeu myſterium, ſed quatenus ſignificat unionem filii Dei cum Eccleſia, propter quam reliquit quodammodo patrem cæleſtem, & matrem Synagogam, & factus eſt cum ea una caro, & unus ſpiritus.

Confirmatur expoſitio ex Patribus.

S. Chryſoſtomus hom. 56. in Geneſim, *annon audis*, inquit, *Paulum dicentem, quod Sacramentum ſunt nuptiæ, & imago dilectionis Chriſti, quam erga Eccleſiam declaravit*.

S. Hieronymus in hunc Apoſtoli locum ſic ſcribit, *idipſum* (matrimonium) *per allegoriam in Chriſto interpretatur & in Eccleſia, ut Adam Chriſtum & Eva præfiguraret Eccleſiam*. Mitto alios Patres, ut S. Gregorium Nazianzenum orat. 31. S. Auguſtinum lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10.

2. Licet matrimonium fuerit ab initio inſtitutum in ſignum rei ſacræ, nimirum unionis Verbi cum natura humana: colligitur tamen ex Apoſtoli textu Chriſtum, utpote auctorem omnium Sacramentorum novæ legis, contuliſſe matrimonio Chriſtianorum, ut eſſet novo ac nobiliori modo ſignum ejuſdem rei ſacræ. Veterum quippe matrimonia præfigurabant futuram unionem Chriſti cum Eccleſia: matrimonium vero Chriſtianorum jam factam ſignificat; atqui Chriſtus poſt adventum ſuum ſuſtulit Sacramenta ipſum promittentia, & alia auguſtiora inſtituit, quæ exhiberent quod vetera promittebant: ergo ſicut loco circumciſionis v. gr. & Agni Paſchalis, Baptiſmum & Euchariſtiam nobis dedit; ita a matrimonio ſignum futuram ejus unionem promittens amovit, & novum longe præſtantius in eo repoſuit, quod Apoſtolus hiſce verbis commendat, „ Viri, diligi„ te uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccle„ ſiam, & ſeipſum tradidit pro ea .... ut exhi„ beret ſibi glorioſam Eccleſiam .... ita & vi„ ri debent diligere uxores ſuas ut ſua corpora .... „ ſicut & Chriſtus Eccleſiam; quia membra ſu„ mus corporis ejus. (*ſcilicet Chriſti*) de carne „ ejus,

„ ejus, & os de oſſibus ejus. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia. „ Utique in Eccleſia, inquit, non in Synagoga, utpote quæ eſſet ancilla, in ſervitutem generans, Gal. 4. ac proinde eam non decebant eximia illa dona, quibus Chriſtus Eccleſiam ſibi exhibuit glorioſam ſponſam: cujus ineffabilis myſterii Symbolum voluit eſſe matrimonium Chriſtianorum, atque ita corruit objectio contra veritatem Sacramenti matrimonii in hunc modum propoſita: Sacramentum novæ legis eſt ſignum rei ſacræ a Chriſto inſtitutum: atqui matrimonium non eſt ſignum rei ſacræ a Chriſto inſtitutum, cum id haberet longe ante adventum Chriſti. Reſpondendum enim eſt matrimonium habere ex inſtitutione Chriſti, quod ſignificet peractam unionem ejus cum Eccleſia, quæ eſt corpus ejus, efficiatque, ut gratia quæ ex ineffabili hujuſmodi unione effluit, derivetur in conjuges ejuſdem corporis membra, quod ſane magnum eſt Sacramentum.

Quemadmodum igitur Chriſtus virtutem pœnitentiæ, quæ in omni ſtatu fuit lapſis neceſſaria, evexit ad Sacramenti dignitatem: ita matrimonium, quod ab Adamo ad ejus uſque adventum fuerat ſignum rei ſacræ, novo ac auguſtiori modo inſtituit ſignum ſuæ conjunctionis peractæ cum Eccleſia.

3. Colligitur ex eodem textu, matrimonium Chriſtianorum non eſſe ſignum vacuum & inefficax, ſicut matrimonium veterum, ſed practicum & efficax gratiæ, quæ conciliet animos conjugum, eoſque ita vinciat, ut ea caritate ſe mutuo diligant ac foveant, qua Chriſtus Eccleſiam. Ita textum hunc interpretantur Patres Tridentini ſeſſ. 24. cap. unico de matrimonio, „ gratiam vero, *inquiunt*, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum inſtitutor atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit; quod Paulus Apoſtolus innuit dicens: Viri diligite uxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: mox ſubjungens: Sacramentum hoc magnum

„ eſt:

„ eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. „ Quibus verbis Concilium docet ex Apoſtoli textu meritum paſſionis Chriſti in matrimonium novæ legis derivari, ut non ſolum ſignificet Caritatem, qua Deus dilexit Eccleſiam, ſed etiam gratiam conferat conjugibus, qua ſimiliter mutuo ſe diligant.

Probatur 2. ex Traditione univerſalis Eccleſiæ; utraque enim Eccleſia, Latina ſcilicet & Græca, in hunc fidei articulum conſentit.

Pro Eccleſia Latina teſtes ſunt, præter Concilium Tridentinum, Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, in quo matrimonium numerat inter novæ legis Sacramenta; Concil. Conſtantienſe ſeſſ. 15. in qua damnatur Joannes Hus, quod de Sacramento matrimonii male ſentiret; Lucius III. creatus ſummus Pontifex ann. 1181. qui cap. *ad abolendum*, tit. de hæreticis, matrimonium inter Eccleſiæ Sacramenta recenſet, & anathema pronuntiat in eos, qui aliter docent aut ſentiunt, „ univerſos, *inquit*, qui de Sacramento Cor„ poris & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel „ de Baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, ma„ trimonio vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis, ali„ ter ſentire aut docere non metuunt, quam ſancta „ Romana Eccleſia ſentit & obſervat... vinculo per„ petui anathematis innodamus. „ Ergo ante ſæculum duodecimum conſtans erat Eccleſiæ Romanæ Traditio, matrimonium unum eſſe e ſeptem Eccleſiæ Sacramentis.

Pro Eccleſia Græca inſigne teſtimonium reddit Synodus Conſtantinopolitana anno 1647. celebrata ſub Parthenio Patriarcha Conſtantinopolitano adverſus Cyrillum ejus prædeceſſorem, qui pecunia corruptus, ſicut Judas alter, Calvinianam hæreſim in ſuam Eccleſiam introducere tentaverat; in ea quippe Synodo articulus 15. ſic habet: „ Negat, *inquit Synodus*, Ec„ cleſiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, ſacram un„ ctionem, ſacrum oleum, confeſſionem cum pœni„ tentia, & honorabiles nuptias, quæ omnia ut Sa„ cramenta, & divinam gratiam conferentia, antiqua „ nobis traditio reliquit. „

Jeremias etiam Patriarcha Conſtantinopolitanus, ad

quem Lutherani in Concilio Tridentino proſcripti confugerant, eique obtulerant Confeſſionem Auguſtanam, ut ei ſubſcriberet, conceptis terminis definiit adverſus illam confeſſionem matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis. *Propterea*, inquit c. 7. *& ipſe Chriſtus benedixit nuptiis, ut non ſine cæleſti benedictione ortus noſtri principia jaciantur*.

Una ergo Latinorum ac Græcorum traditio circa matrimonium, ſaltem a nono ſæculo, ex quo Græci ſimultates cum Eccleſia Romana exercere cœperunt agente Photio in ſedem Conſtantinopolitanam intruſo: idque ex eo patet; quod neque ipſe Photius, neque Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & aperti ſchiſmatis auctor ſæculo undecimo, Latinis exprobraverint, quod matrimonium in Sacramentorum numero ponerent; cum tamen ad excuſandum ſuum ſchiſma, leviora quæque, ut cœlibatum Clericorum, jejunium ſabbati, conſecrationem in azymis, in quibus Eccleſia Romana ab iis diſcrepat, in crimen ipſi verterint: ſimiliter nec Latini Græcis objecerint, quoties pax inter eos redintegrata eſt, ut in Concilio Lugdunenſi II. & Florentino, quod male de Sacramento matrimonii ſentirent; quæ evidenter demonſtrant miram eſſe utriuſque Eccleſiæ conſenſionem in hoc fidei art. ſaltem ab octingentis aut nongentis annis. Tempus jam figant Novatores, quo Latini & Græci relicta veterum Patrum traditione, ad cudendum (ut ajunt) novum iſtud dogma conſenſerint.

Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 19. part. 24. contendit, quod ante Gregorium, qui regebat Eccleſiam ſexto labente ſæculo, nequidem Sacramenti nomen Matrimonio inditum legatur; ac proinde matrimonium nonniſi a ſeptimo ſæculo inter Sacramenta relatum fuerit. Quare operæ pretium eſt, ut demonſtremus matrimonium Chriſtianorum a primis Eccleſiæ ſæculis habitum fuiſſe ut rem ſacram & ſanctificantem, nomenque Sacramenti obtinuiſſe.

S. Ignatius vir Apoſtolicorum temporum in ep. ad Polycarpum, *decet*, inquit, *ut ſponſi & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant; quo nuptiæ ſint*

ſecun-

ſecundum Dominum, & non ſecundum cupiditatem, ut ſcilicet eam conſequerentur benedictionem, & gratiam, quæ a Chriſto Domino annexa eſt conjugio Chriſtianorum.

S. Clemens Alexandrinus auctor II. ſæculi, l. 3. Stromatum, ſic invehitur in mulieres, quæ capillis aſciticiis caput ſuum dedecorant potius, quam exornant, *cui manum imponet Presbyter? cui benedicet? Non mulieri* (nubenti) *quæ eſt ornata, ſed alienis capillis, & per illos alii capiti.*

Tertullianus, qui floruit ſecundo & tertio ſæculo, lib. 2. ad uxorem cap. ultimo de matrimonio Chriſtianorum ſic ſcribit, *unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet?* Ergo ætate Tertulliani matrimonium, ſicut nunc, celebrabatur coram Sacerdote inter Miſſarum ſolemnia, & benedictione Sacerdotali obſignabatur. Unde lib. de pudicitia cap. 4. de clandeſtinis matrimoniis hæc habet, *penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.*

Concilium Carthaginenſe IV. cui interfuit Sanctus Auguſtinus anno 398. cap. 13. de ſponſo & ſponſa benedicendis ſic ſtatuit, „ ſponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus ſuis, vel „ paranymphis offeruntur; qui, cum benedictio„ nem acceperint, pro reverentia ipſius benedictio„ nis in virginitate permaneant; „ ſcilicet prima nocte.

Sanctus Ambroſius eodem ſæculo IV. lib. 1. de Abraham c. 7. *qui ſic egerit*, inquit de eo qui alteri nuptam ducit, *peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam ſolvit: & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium.* Audis matrimonium eſſe Sacramentum, & gratiam conferre.

Syricius Papa Ambroſii æqualis epiſtolæ ad Hymerium cap. 4. *illa benedictio*, inquit, *quam nupturæ Sa-*

cerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur: ergo juxta Syricium matrimonium fidelium eſt res ſacra propter benedictionem Sacerdotalem; cum violari nequeat abſque ſacrilegio.

Sanctus Chryſoſtomus ſupra laudata homil. 56. in Geneſim, *Sacramentum*, inquit, *ſunt nuptiæ, & imago dilectionis Chriſti, quam erga Eccleſiam declaravit*.

Innocentius I. quinto ineunte ſæculo ſic ſcribit epiſt. 9. ad Probum, *ſtatuimus fide Catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum*. Hic declaratur matrimonium divina gratia fundari.

S. Auguſtinus eodem ſæculo matrimonium Chriſtianorum paſſim vocat Sacramentum, ut lib. de bono conjugali c. 18. & 24. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 10. lib. de fide & operibus c. 7. Tractatu 9. in Joan. lib. 9. de Gen. ad litteram cap. 7. Ex quibus vides quanta impudentia Calvinus aſſeruerit neminem ante S. Gregorium Sacramenti nomen matrimonio tribuiſſe; nam SS. Ambroſius, Chryſoſtomus & Auguſtinus ducentis fere annis ante S. Gregorium ſcripſerunt. Quod autem S. Auguſtinus nomen Sacramenti in propria ſignificatione uſurpet, inde patet, quod matrimonium Chriſtianorum opponat matrimoniis non ſolum gentilium, ſed etiam veterum Patriarcharum, quæ in latiori ſignificatione ſunt Sacramenta, ut ſupra diximus, „ Bonum nuptiarum, *inquit lib. de bono conju-* „ *gali, cap.* 24. per omnes gentes, atque omnes ho- „ mines in cauſſa generandi eſt, & in fide caſtitatis: „ quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſan- „ ctitate Sacramenti. *Et citato cap. 7. libri de fide &* „ *operibus*, in civitate Domini, in monte ſancto ejus, „ hoc eſt, in Eccleſia, nuptiarum non ſolum vincu- „ lum, ſed etiam Sacramentum commendatur. „

Sanctus Cyrillus Alexandrinus Sancti Auguſtini coætaneus in epiſtola ad Neſtorium probata in Synodo Epheſina, ſic ſcribit, „ hac ipſa de cauſſa, quo no- „ ſtræ quoque ſubſtantiæ ortum ſua benedictione cu-

„ mu-

„ mularet, ſimul cum ſanctis Apoſtolis ad nuptias in
„ Cana Galilæa vocatum huc ſe contuliſſe, ſuaque
„ benedictione eaſdem diſpenſatorie cohoneſtaſſe di-
„ cimus. *Et lib. 2. in Joan. c. 22. docet*, Chriſtum
„ ſanctificaſſe conjugium, & gratiam nuptiis præpa-
„ raſſe, ut aditus hominum in hanc vitam benedice-
„ retur. „

Traditionem univerſalis Eccleſiæ deduximus tandem ad ſæculum S. Gregorii, quem Calvinus facit auctorem traditionis, quæ deinceps obtinuit in utraque Eccleſia, Latina ſcilicet, & Græca, ad noſtram uſque ætatem; unde concludere licet verbis Tertulliani lib. de præſcript. cap. 28. „ ecquid veriſimile eſt, ut tot „ ac tantæ (*Eccleſiæ*) in unam fidem erraverint? Va- „ riaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Ceterum „ quod apud multos unum invenitur, non eſt erra- „ tum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere il- „ los erraſſe, qui tradiderunt. „

Objiciunt Novatores 1. Magiſter Sententiarum lib. 4. diſtinct. 2. negat in matrimonium conferri gratiam, hancque ſententiam plures amplexi ſunt, ut Cardinalis Jacobus de Vitriaco lib. Occidentalis Eccleſiæ cap. 16. Durandus in hanc diſtinctionem, & nonnulli Canoniſtæ in Gloſſa ad caput, *Honorantur*, cauſſa 32. q. 2. & in Gloſſa ad caput *Quidquid*, cauſſa 1. q. 1. docentque cunjuges abſque periculo Simoniæ de dote paciſci, quia matrimonium non eſt Sacramentum proprie dictum; unde S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, & alii in eandem diſtinctionem ſtabilierunt quam tenemus ſententiam non ut certam, ſed tantum ut probabiliorem, & magis communem: ergo Synodus Tridentina definire non potuit ſub anathemate matrimonium eſſe verum novæ legis Sacramentum.

R. 1. Negando conſeq. veritas enim Catholici dogmatis non debet æſtimari ex quorundam privatorum judicio, ſed ex communi Conciliorum, ac SS. Patrum Traditione, ut patet vel ex ſola controverſia circa baptiſmum ab Hæreticis collatum, quem Eccleſia ex Traditione definiit eſſe validum: licet SS. Cyprianus, Firmilianus, & nonnulli alii Epiſcopi contra ſenti-

rent. Nec mirum, quod S. Thomas, & alii noſtram ſententiam docuerit ut probabiliorem tantum; cum eorum ætate nondum acceſſiſſet univerſalis Eccleſiæ definitio.

R. 2. Omnes Theologos in objectione laudatos uno ore aſſeruiſſe matrimonium unum eſſe e ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, quia id erat in confeſſo apud omnes, quamvis in explicandis ejus effectibus errare potuerint.

Magiſtrum Sententiarum benigne interpretatur Sanctus Thomas, & quidem cum fundamento; cum enim Magiſter agnoſcat matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis, doceatque noſtra Sacramenta in eo differre a veteribus, quod iſta gratiam ſollummodo ſignificarent, noſtra vero illam producant; ne ſibi contrarius videatur, dum dicit alia Sacramenta eſſe in ſanctificationem, conjugium vero dumtaxat in remedium, neceſſe eſt, ut interpretemur, Magiſtrum id unum velle, nempe matrimonium primario fuiſſe inſtitutum ad frænandam concupiſcentiam, non vero ad confirmandum in gratia & virtute, quemadmodum Sacramenta Confirmationis, Euchariſtiæ, & Ordinis; at remedium illud ſine gratia interius roborante efficax eſſe non poteſt, ac proinde Magiſter gratiam ab illo non excludit.

Ad Durandum reſpondet Bellarminus lib. 2. de matrimonio cap. 5. ad quintam Calvini objectionem, Durandum, cum videret ſe male audire apud Catholicos, quod ſcripſiſſet matrimonium eſſe Sacramentum æquivoce, voluiſſe poſtmodum tegere ſuum errorem, admittendo matrimonium eſſe vere ac proprie novæ legis Sacramentum, an vero univoce, an æquivoce cum aliis Sacramentis conveniret quæſtionem eſſe Logicam, quæ ad Religionem non pertinet.

Ad Canoniſtas & Gloſſas in objectione citatas reſpondet Eſtius ad diſtinctionem 26. §. 9. Canoniſtas in quæſtionibus, quæ proprie ad Theologum ſpectant, facile labi potuiſſe, ac proinde nullius auctoritatis eſſe citatas Gloſſas, maxime cum pugnent adverſus communem Canoniſtarum ſententiam, ut obſervat Navarrus Enchirid. cap. 22. num. 22.

Ob-

Objiciunt 2. Sacramenta novæ legis operantur quod ſignificant; atqui matrimonium non operatur quod ſignificat, unionem ſcilicet Chriſti cum Eccleſia: ergo.

Diſtinguo maj. quod ſignificant practice, Concedo; quod ſignificant ſpeculative tantum, Nego maj. nam baptiſmus non operatur ſepulturam Chriſti, & ejus reſurrectionem, quia iſta ſpeculative tantum repræſentat; ſed operatur in initiato myſticam ſepulturam, & ſpiritualem reſurrectionem, quatenus in ſacro fonte immerſus, eſt quodammodo ſepultus, moritur peccato, & reſurgit in vitæ novitate. Porro Sacramentum matrimonii ita repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia, ut ſimul producat gratiam, qua conjuges ſint vera hujuſce ineffabilis unionis imago, ſicut ſupra dicebat Sanctus Chryſoſtomus, ac mutuo ſe diligant, quemadmodum Chriſtus & Eccleſia.

Objiciunt 3. verum Sacramentum non pugnat cum aliis Sacramentis: atqui Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis: ergo non eſt Sacramentum.

Nego abſolute minorem; namque 1. conjugatus cum conſenſu uxoris ordinari poteſt, manente vinculo conjugali. 2. non pugnat Sacramentum cum Sacramentum, ſed ſtatus cum ſtatu, ſicut res minus perfecta cum perfectiore. 3. conſentaneum fuit, ut Chriſtus Sacramenta inſtitueret, alia pro infirmis, alia pro validoribus, ad quæ tamen illi pervenire poſſent, cum ex ſua infirmitate convaluerint, conjugatum quippe, ſi virtutibus polleat, ſacris Ordinibus initiate licet, uxore vel conſentiente, vel defuncta.

Objiciunt 4. non poteſt colligi ex Scripturis quando matrimonium fuerit inſtitutum: ergo. 2. Nego conſeq. Nec enim Novatores colligere poſſunt ex Scripturis, quandonam Baptiſmus fuerit inſtitutus, an ante, an poſt Reſurrectionem.

Negari etiam poteſt antecedens: nam plures e Patribus docent Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum matrimonii, quando in Cana nuptiis intererfuit, Joan. 20. *Quomodo*, inquit S. Epiphanius hæreſ. 65. *non erunt*

venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum cœlorum; cum vocatus ſit Salvator ipſe ad nuptias, ut nuptias benediceret? S. Auguſtinus tract. 4. in Joan. docet Chriſtum ideo nuptiis intereſſe voluiſſe, ut caſtitatem conjugalem firmaret. Et S. Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 22. ſcribit Chriſtum in illis nuptiis ſanctificaſſe conjugium.

Objiciunt 5. Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, materia ſcilicet, forma, & Miniſtro; atqui matrimonium tribus illis non perficitur: ergo.

Nego minorem. Reſponſio patebit ex cap. ſequenti.

CAPUT IV.

Quis ſit Miniſter Sacramenti Matrimonii?

R. DUÆ ſunt circa propoſitam quæſtionem ſententiæ, quæ Scholam omnino dividunt.

Prima valde communis apud Canoniſtas & Theologos tum veteres, tum recentiores, affirmat ipſoſmet contrahentes eſſe miniſtros hujus Sacramenti, ita ut vir mulieri & mulier viro illud adminiſtret.

Secunda vero ſententia aſſignat Sacerdotem pro Miniſtro Sacramenti matrimonii, quam ſententiam Dominicus Soto, Vaſquez, & nonnulli alii temeritatis incuſant. Sed immerito; namque propugnata eſt in Concilio Tridentino a Melchiore Cano, & ab uno ex primariis Sorbonæ Doctoribus, ut loquitur Palavicinus hiſtoriæ lib. 22. capite 9. Eandem ſententiam amplexus eſt etiam Simon Vigor, qui in Concilio Tridentino enituit, niſi forte ipſe ſit Doctor ille, quem Palavicinus non nominat; Vigor quippe fuit Theologus Pariſienſis, Paſtor Eccleſiæ Parochialis S. Pauli, ac poſtmodum Archiepiſcopus Narbonenſis. Sed Concilium noluit quidquam definire circa hanc controverſiam. *Omitto*, inquit Palavicinus citato lib. 23. cap. 9. *nunquam declaraſſe Concilium matrimonia clandeſtina fuiſſe Sacramenta, adeo ut graves Theologi id ne-*

negent; ergo nec conjuges eſſe hujus Sacramenti Miniſtros; ſi enim Miniſtri eſſent, procul dubio matrimonia clandeſtina, utpote ante Concilium rata, fuiſſent Sacramenta, cum nihil eis defuiſſet ad rationem Sacramenti. Cuique igitur liberum eſt ampleđi quam ex duabus ſententiis exiſtimaverit probabiliorem. Ut autem Clerici prudenti judicio alteram alteri præferant, momenta utriuſque ſententiæ candide exponemus.

Momenta primæ ſententiæ.

Primum ducitur ab auctoritate Scholaſticorum tum veterum, ut Magiſtri Sententiarum, S. Thomæ in 4. Scoti, Durandi: tum recentiorum, qui communiter docent contrahentes eſſe Miniſtros Sacramenti Matrimonii. In hoc autem argumento Bellarminus magnam vim facit, quia cum Prælati plebem ſuam docere ſoleant juxta communem Theologorum ſententiam, ſequitur primam iſtam ſententiam evaſiſſe doctrinam Eccleſiæ.

Secunda petitur ex natura ipſa matrimonii, quod eſſentialiter eſt contractus a Chriſto elevatus ad Sacramenti dignitatem, atqui ſoli contrahentes mutuo conſenſu efficiunt contractum. Unde Eugenius IV. in Decreto pro Armenis ſic habet, *cauſſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus.*

Tertium momentum nititur traditione Eccleſiæ, quæ uſque ad Concilinm Tridentinum rata ac valida habuit matrimonia clandeſtina: permiſit prioribus ſæculis, ut fideles cum infidelibus contraherent, ac etiamnum communiter contrahunt Catholici cum Hæreticis in Germania, & in aliis regionibus in quibus dominantur Lutherani, & Calviniani: atqui matrimonia illa perficiebantur, atque etiamnum perficiuntur contrahentium conſenſu legitimo abſque benedictione Sacerdotali.

Nec ſatisfacit quod reſpondent Patroni ſecundæ ſententiæ, matrimonia illa, licet vera in ratione contractus civilis, non fuiſſe Sacramenta: tum quia credibile non eſt Eccleſiam permiſiſſe, ut fideles nuptias communi-

muniter celebrarent contra Chriſti inſtitutionem: tum quia Eccleſia non curat, ut conjugati redeuntes ex hæreſi nuptialem benedictionem a Sacerdote accipiant, cum tamen ſolicita ſit, ut Sacramento Confirmationis perficiantur: quod validum eſt argumentum, ipſam habere matrimonia hæreticorum ut Sacramenta.

Quartum momentum ducitur ex Concilio Tridentino, quod in Decreto unico de matrimonio non aliter requirit præſentiam Parochi, quam duorum teſtium ut ratum ſit matrimonium, „ qui aliter, *inquit*, quam præſente Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, „ eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino „ inhabiles reddit, & ejuſmodi contractus irritos & „ nullos eſſe decernit; „ atqui teſtes præſentiam ſuam dumtaxat exhibent, nec ullum exercent miniſterium: ergo & Parochus. Habetur quidem in eodem Decreto ante verba laudata, quod Parochus, audito mutuo contrahentium conſenſu, dicere debeat, *ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris*, &c. *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum*; ſed nihil addit irritans matrimonium ſine ejuſmodi verborum forma celebratum, quemadmodum expreſſe irritum declarat matrimonium, ſi defuerit præſentia Parochi & duorum teſtium, quod ſignum evidens eſt, benedictionem Sacerdotalem non pertinere ad ſubſtantiam matrimonii, & ita ſæpius declararunt Cardinales, qui explicandis Concilii Tridentini Decretis præpoſiti ſunt, *modo*, inquiunt, *Parochus adſit cum duobus teſtibus, licet non benedicat, immo renitatur contractui, nihilominus validum eſt matrimonium*.

Enimvero Concilium in laudato decreto permittit; quando ſuſpicio eſt matrimonium malitioſe impeditum iri, ut Parocho & duobus, aut tribus teſtibus præſentibus celebretur; hortatur tamen, *ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent*. Hic conjuges vocantur ex mutuo conſenſu, qui benedictionem præceſſit,

ceſſit, juſque habent utendi matrimonio, quamvis ex conſilio abſtinere debeant, donec benedictio ipſis ſit impertita, quæ manifeſte demonſtrant Benedictionem non pertinere ad ſubſtantiam matrimonii.

Verum argumentum ex iſto Concilii Decreto ductum nullius videtur ponderis, cum conſtet ex hiſtoria ejuſdem Concilii ipſum noluiſſe quidquam ſtatuere circa controverſiam, in qua verſamur. Id perſpicuum fiet ex analyſi illius Decreti.

Concilium igitur in laudato Decreto agit 1. de matrimoniis clandeſtinis, ac in primis declarat ea eſſe rata quandiu irrita non fecit Eccleſia, ſicut etiamnum irrita non facit quæ contrahuntur juxta conſuetudines locorum, ubi Concilium non eſt receptum. Sed ûtrum matrimonia illa ſint Sacramenta, necne, haud definit. 2. docet Eccleſiam ex juſtiſſimis cauſſis ejuſmodi matrimonia clandeſtina ſemper fuiſſe deteſtatam: *Penes nos*, inquit Tertullianus lib. 1. de pudicitia cap. 4. *occultæ conjunctiones, id eſt, non prius apud Eccleſiam profeſſa, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur*. Ergo ſupra falſo ſupponebatur Eccleſiam probaſſe matrimonia, quæ primis ſæculis frequenter celebrabantur abſque benedictione Sacerdotali. 3. Concilium præcipit, ut in poſterum, *ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat*, ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, &c. *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum*. Quamvis autem Concilium hic non definiat ejuſmodi verba ad ſubſtantiam Sacramenti pertinere; ſed ſolum præcipiat ut proferantur a Parocho juxta ritum in ſua Eccleſia receptum; Patroni tamen ſecundæ ſententiæ arbitrantur ſe inde efficax argumentum deducere, ut mox dicetur. 4. denique Concilium decernit, ut matrimonia deinceps celebrentur coram Parocho, & duobus aut tribus teſtibus, alioquin ea declarat irrita. Nullam, fateor, mentionem ibi facit Sacerdotalis benedictionis, ſed neque ipſum Concilium, neque Congregatio Cardinalium pronuntiant matrimonia

con-

contracta præſente Parocho, ſed reluctante, vel ſaltem nulla verba proferente eſſe Sacramenta.

Circa autem benedictionem, cujus Concilium meminit in decurſu Decreti, obſervandum eſt in ſolemnitate nuptiarum contrahentes bis ſolere benedici. 1. cum dato mutuo conſenſu Parochus dicit: *ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* 2. cum inter Miſſarum ſolemnia Sacerdos bene iis precatur. De hac poſteriore benedictione manifeſte loquitur Concilium, quæ in omnium ſententia eſt inſtitutionis Eccleſiaſticæ, & matrimonio mere accidentalis; cum omittatur in ſecundis nuptiis, ſupponatque matrimonium jam contractum. Priorem ſolam eſſe eſſentialem affirmant Patroni ſecundæ ſententiæ ducti momentis nunc proferendis.

Momenta ſecundæ ſententiæ.

Prob. 1. quia non alio modo intelligitur matrimonium Chriſtianorum evadere Sacramentum, quam pœnitentiam: atqui pœnitentia non evadit Sacramentum, niſi per miniſterium Sacerdotum: ergo neque matrimonium.

Nec dicas diſparitatem eſſe matrimonium inter & pœnitentiam, quod matrimonium ſit in genere contractus, qui ab alio perfici non poteſt, quam ab ipſiſmet contrahentibus; namque pœnitentia ſimiliter, cum ſit mutatio conſilii, & dolor de proprio peccato, ab alio, quam ab ipſo peccatore elici nequit. Sed ſicut accedat neceſſe eſt verbum Sacerdotis ad actus pœnitentis tanquam forma ad materiam, ut conficiatur Sacramentum Pœnitentiæ; ita ad mutuum contrahentium conſenſum accedere debet benedictio Sacerdotalis, ut matrimonium evadat novæ legis Sacramentum.

Confirmatur. Sacerdotes habent per Sacramentum Ordinis, ut ſint legitimi Chriſti & Eccleſiæ Miniſtri, ac diſpenſatores myſteriorum Dei. *Sic nos exiſtimet homo*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 4. *ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quis ergo eis denegaverit poteſtatem conferendi Sacramentum Matrimonii,

nii, quod dicitur ab Apoſtolo magnum Sacramentum; ſeu myſterium, ut illam tribuat mulieri, cui nequidem permittitur in Eccleſia loqui 1. Cor. 4.

Fruſtra opponitur, mulierem licite baptizare in caſu neceſſitatis; quia non agit tunc ut Miniſter a Chriſto conſecratus, & ab Eccleſia deputatus. At oppoſita ſententia mulierem ſtatuit tanquam ordinarium ac deputatum Sacramenti matrimonii Miniſtrum, idque ſine ullo firmo fundamento, ut patebit ex ſequenti argumento. Itaque

Prob. 2. ex perpetua Eccleſiæ traditione. S. Ignatius, S. Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Syricius, Conc. Carthag. IV. docent illud eſſe apud nos verum matrimonium quod coram Sacerdote celebratur, & ejus benedictione ſanctificatur. Eorum teſtimonia cap. præc. protulimus.

Reſpondent Patroni oppoſitæ ſententiæ benedictionem, cujus meminere laudati Patres, eſſe Sacramento accidentalem, & cæremoniam ab Eccleſia inſtitutam. Sed, pace illorum dixerim, ejuſmodi reſponſio favet Novatoribus, & infirmat fidem dogmatis Catholici: Unde enim conſtabit Eccleſiam ſemper habuiſſe matrimonium pro vero Sacramento, ſi id colligi non poſſit ex laudatis teſtimoniis? Præterea Conc. Carthag. IV. monet conjuges, ut prima nocte in virginitate permaneant pro reverentia ipſius benedictionis. Quis autem affirmare audeat Concilium plus reverentiæ tribuere benedictioni ab Eccleſia inſtitutæ, quam ipſimet Sacramento, adeo ut niſi acceſſiſſet benedictio ad Sacramentum, non eſſet cur conjuges ſe continerent, quod dici non poteſt ſine piarum aurium offenſione? Concilium igitur ſanctitatem matrimonii repetit ab ipſa benedictione, per quam exiſtimavit perfici Sacramentum.

Eandem fuiſſe ſententiam poſteriorum ſæculorum, colligitur ex omnibus fere ritualibus tum antiquiſſimis, tum recentioribus, in quibus habetur ſponſum & ſponſam fieri conjuges dicente Sacerdote: *Ego conjungo vos*. Ita Manuale Atrebatenſe anni 1600. Manuale Ypreuſe anni 1576. jubet, ut dicat Sacerdos,

& ego

& ego tanquam Eccleſiæ Miniſter vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, &c. Mechlinienſi anni 1589. ſimiliter præſcribit: *Data ſit utrinque fides: dicat Sacerdos, & ego tanquam Dei miniſter vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* Quam ritum Synodus Tridentina laudato ſæpius decreto præcipit obſervari. Porro qui conjungit in matrimonium tanquam Dei & Eccleſiæ Miniſter, haud dubie, habetur pro Miniſtro hujuſce Sacramenti.

Nec audiendi videntur qui reponunt verba illa, *ego vos in matrimonium conjungo*; accipienda eſſe in ſenſu metaphorico, ita ut eorum ſenſus ſit, ego vos per mutuum veſtrum conſenſum conjunctos declaro, quia ſi liceret ſic detorquere naturalem verborum ſenſum, quidni fas eſſet dicere cum hæreticis has formas, *ego te baptizo, te confirmo, te abſolvo*, ſignificare, declaro te per fidem tuam eſſe ablutum, confirmatum & abſolutum? Adde verba, quibus Eccleſia utitur in adminiſtratione Sacramentorum naturali & proprio ſenſu intelligenda eſſe, quando nihil continent quod repugnet aut bonis moribus, aut Scripturæ, & Traditioni; cum enim verba ſint inſtituta ad ſignificandum aliquid determinate, dubitandum non eſt, quin ab Eccleſia uſurpentur in illo ſenſu, quem habent ex hominum inſtituto, atqui laudata verba nihil continent, quod repugnet aut bonis moribus, aut Scripturæ, aut Traditioni: Ergo.

Reſpondent Patroni primæ ſententiæ laudata verba in ſenſu naturali & obvio accepta repugnare Traditioni, cui teſtimonium reddit concors Scholaſticorum doctrina, ac proinde in ſenſu accommodato debent intelligi.

Contra 1. Non eruitur Apoſtolica Traditio ex communi veterum Scholaſticorum doctrina, niſi ea tradant ut dogma fidei a majoribus acceptum; teſtis enim in foro externo fidem non facit, quando certum ac firmum non dicit teſtimonium, ſed ſolummodo veriſimile ſeu probabile: atqui veteres Scholaſtici doctrinam ſuam de Miniſtro Sacramenti matrimonii tradunt ut opinionem probabiliorem; quomodo enim eſſent firmi

in

in hac ſententia, cum ex dictis ipſe S. Thomas ſcripſerit matrimonium gratiam conferre ſecundum probabiliorem opinionem? Si iſtud poſterius, quod eſt magis indubitatum, ac tandem a Conc. Tridentino definitum, non tradiderunt veteres Scholaſtici, ut fidei dogma, a fortiori nec prius.

Enimvero Patronis ſecundæ ſententiæ non deſunt momenta, quibus probent veteres Scholaſticos non ita conſtantes fuiſſe in hac ſua opinione; nam Scotus in 4. diſt. 26. admittit parentes poſſe eſſe Miniſtros matrimonii filiorum, *aliquando*, inquit, *parentes contrahunt pro filiis, vel filiabus, præſentibus eis, non exprimentibus ſigna propria. Si ergo ibi eſt Sacramentum, oportet dicere quod Miniſter hujus Sacramenti poteſt eſſe indifferenter quicumque poteſt eſſe Miniſter, & eſt in contractu matrimonii.* Quin diſcipuli Doctoris Angelici, ut Petrus Ledeſma, Dominicus Bannes, non arbitrantur ſe recedere a Magiſtri ſententia, ſi Sacerdotem aſſignent pro Miniſtro hujus Sacramenti, quia S. Doctor, inquiunt, jam ætate provectior ſcripſit quæ non ſatis videntur cohærere cum iis, quæ junior ſcripſerat in 4. ſententiarum. Nam lib. 4. contra Gentes cap. 73. ait ea, in quibus gratia illuminans confertur, exhiberi ſolum poſſe a Sacerdotibus. Et c. 77. *Matrimonium*, inquit, *in quantum ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico: ea autem, quæ populo per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, Sacramenta dicuntur.* In ſupplemento q. 22. art. 2. ſic loquitur, *Sacramenta, in quibus gratia confertur, diſpenſare ad ſolos Sacerdotes pertinet.* Et q. 31. art. 1. *nullius Sacramenti diſpenſatio Laicis ex officio competit.* In caſu quidem neceſſitatis Laici baptizant, ſed non ex officio: ſi autem contrahentes eſſent Miniſtri Sacramenti matrimonii, illud miniſtrarent ex officio.

Contra 2. verum non eſt, omnes Scholaſticos veteres aſſignare contrahentes pro Miniſtro Sacramenti matrimonii. Guillelmus enim Parieſienſis ſic habet Tractatu de Matrimonio, *ſine Sacerdotali benedictione numquam celebrandum eſt matrimonium. Matrimonium eſt ſacrans apud fideles virtute benedictionis*: ergo be-

nedictio non eſt cæremonia ab Eccleſia inſtituta; cum ex ea Sacramentum matrimonii habeat efficaciam. Eodem modo loquitur Concilium Colonienſe an. 1536. parte 7. cap. 4. *quod Sacramentum*, inquit, *ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam.*

Hinc matrimonium confert donum Spiritus per benedictionem Sacerdotalem. Et in Enchiridio, quod mandato ejuſdem Concilii editum eſt, cap. penult. de matrimonio hæc leguntur: *quanto magis putandum eſt Sacerdotes qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus Sacramenti Miniſtros eſſe?* Ex quibus ſic argumentari licet. Vel Patres Colonienſes tradunt doctrinam novam, & in Scholis inauditam, vel receptam ut probabilem. Si primum (quod credibile non eſt) corruit argumentum Bellarmini, quo ſupra aſſerebat Paſtores Eccleſiæ docere ſubditos juxta opiniones in Scholis communes, ſicque ejuſmodi opiniones evadere doctrinam Eccleſiæ: ſi ſecundum, ante Melchiorem Canum recepta erat ſaltem, ut probabilis, & in Germania ut probabilior ſententia, quæ aſſerit Sacerdotem eſſe Miniſtrum Sacramenti matrimonii. Poſt Conc. Tridentinum eandem ſententiam amplexi ſunt Toletus lib. 7. Sacerdotalis inſtructionis cap. 6. Petrus Ledeſma Dominicanus loco ſupra citato, Maldonatus de matrimonio quæſt. 1. Eſtius in 4. diſtinct. 26. Sylvius in ſupplementum, Sanctus Thoma quæſt. 24. articul. 1. Petrus de Marca, opuſculo de matrimonio, plures e Profeſſoribus noſtris Sorbonicis, evaſitque adeo communis in Academia Pariſienſi, ut e Baccalaureis, qui licentiam decurrunt, vix unus aut alter propugnet in ſuis Theſibus contrahentes eſſe Miniſtros hujus Sacramenti.

Momentis utriuſque ſententiæ ſic expoſitis & agitatis, nunc Lectoris eſt eligere quam exiſtimaverit probabiliorem, nec roget in quam partem magis propendam, cum non ſim ejus auctoritatis, qui meo ſuffragio aliquod pondus alterutri ſententiæ tribuam. Rem totam remitto ad judicium Prælatorum, qui noſtro labore

utun-

utuntur ad inſtituendos ſuos Clericos; ipſorum enim eſt præſcribere ſubditis quas ſequi debeant opiniones ut ſaniores & doctrinæ Catholicæ magis congruas. Quanquam quæſtio, in qua verſamur, magis pertinet ad Theoriam, quam ad praxim, ſatiſque eſt parochis ut noverint ritum Eccleſiæ, in qua miniſtrant, illumque in celebratione matrimonii accurate obſervent.

Conſectaria doctrinæ præcedentis.

EX iis, quæ diſputata ſunt circa miniſtrum Sacramenti matrimonii, ſequentes ſolvi debent quæſtiones. Prima quæ ſit materia & forma hujus Sacramenti. Secunda, an matrimonium per Procuratorem contractum ſit Sacramentum. Tertia, quid ſentiendum de matrimonio contracto coram teſtibus & Parocho, ſed renitente, & benedictionem denegante. Quarta, utrum matrimonium in facie Eccleſiæ celebratum cum occulto impedimento dirimente, evadat Sacramentum ſublato impedimento. Pro diverſa enim opinione circa Miniſtrum hujus Sacramenti diverſa debet eſſe reſponſio. Quare

Ad primam, materia Sacramenti matrimonii, ſi ejus Miniſter ſit Sacerdos, eſt conſenſus contrahentium: forma vero, verba quæ profert Sacerdos: expreſſius enim ſignificant & conſenſum contrahentium evehunt ad eſſe Sacramentale, quemadmodum in Sacramento Pœnitentiæ actus Pœnitentis habent rationem materiæ, & verba Sacerdotis rationem formæ.

Ergo, inquies, prius perfectum eſt matrimonium in ratione contractus civilis, quam in ratione Sacramenti.

Negant ſequelam Patroni hujus ſententiæ, quia contrahentes conſenſum ſuum tum volunt firmum fieri, cum ab Eccleſia fuerit acceptatus, mentemque ſuam explicant exemplo aliorum contractuum, ad quos lege Principis requiritur aliqua ſolemnitas: prævius enim contrahentium conſenſus, v. g. de fundo aliquo ven-

vendendo, & emendo non habet ſuum robur, & vim contractus, donec ab Actuario fuerit conſcriptus & ſubſignatus.

Quod ſi ipſi contrahentes ſint Miniſtri, difficilius aſſignatur materia & forma; propatereaque hujuſce ſententiæ Patroni in varias diſtrahuntur opiniones. Communior videtur, qua ſtatuitur pro materia Sacramenti mutua corporum traditio pro forma vero mutua contrahentium acceptatio. Quia Sacramentum matrimonii celebratur per modum contractus: atqui in omni contractu conſenſus ut res, de qua contrahitur, tranſeat in dominium alterius contrahentis, cenſetur materia contractus, res quidem materia remota, & conſenſus materia proxima: acceptatio autem rei oblatæ firmat contractum, & quodammodo formam ei imponit. Res fiet magis perſpicua exemplo venditionis, in qua merx eſt materia remota, circa quam verſatur contractus venditionis: oblatio mercis certo quodam pretio inchoat contractum, & mercem venalem ſignificat, ſed contractus tum formam accipit & ligat, cum emptor mercem acceptat eo pretio, quo offertur a mercatore. Similiter in Sacramento matrimonii, quod habet rationem contractus, vir conſentit ut mulier habeat dominium corporis ſui, illa oblatio ſeu traditio eſt materia proxima hujuſce contractus: mulier acceptando contractum claudit, perficit, virumque ligat, ſicque viro adminiſtrat Sacramentum: & viciſſim vir eo ipſo quo acceptat in uſum conjugalem conſenſum mulieris ſeu traditionem ejus corporis, confert illi Sacramentum matrimonii, quia applicat formam materiæ, acceptationem ſcilicet traditionis.

Ad ſecundam, Negant plerique Patroni ſecundæ ſententiæ matrimonium per Procuratores contractum coram Parocho & teſtibus eſſe verum Sacramentum, quia forma hujus Sacramenti, *ego vos conjungo*, præſentes ſupponit contrahentes non ſecus ac forma Sacramenti pœnitentiæ, *ego te abſolvo*; ergo ſicut Sacramentum Pœnitentiæ, inquiunt, non poteſt conferri abſenti;

nec

nec etiam Sacramentum matrimonii. Hinc qui per Procuratorem contraxerunt, ſolent poſtea cum teſtibus præſentes ſe ſiſtere coram Sacedote, benedictionem ab ipſo accepturi.

Patroni vero primæ ſententiæ contendunt hujuſmodi matrimonium, ut eſt verus & legitimus contractus (quod omnes agnoſcunt) ita verum eſſe Sacramentum: quia in eorum ſententia quivis contractus legitimus matrimonii inter Chriſtianos, verum eſt Sacramentum, cum in eo reperiantur materia, forma, & Miniſter.

Ad tertiam 1. Certum eſt apud omnes, eos qui præſumunt contrahere coram teſtibus & Parocho ſine ejus benedictione graviter peccare & ſevere puniri legibus tum civilibus, tum Eccleſiaſticis. In Diœceſi Pariſienſi, & nonnullis aliis, tam contrahentes, quam teſtes, & ſcriba, feriuntur excommunicatione. Conſentiunt etiam Patroni utriuſque ſententiæ matrimonium ſic contractum eſſe validum in ratione contractus, & ita indiſſolubile, quia non eſt clandeſtinum, habetque omnes conditiones ad ſubſtantiam hujuſce contractus præſcriptas a Concilio Tridentino ſæpius laudato decreto. Et illud ſupponunt Senatus conſulta, quæ ſolummodo partibus præcipiunt, ut ſe præſentes ſiſtant coram Parocho, nec eis poteſtatem faciunt alias ineundi nuptias, niſi forte aliquòd impedimentum dirimens irrepſerit, ut ſeductio. Sed matrimonium ſic contractum non eſt Sacramentum, juxta ſecundam ſententiam, bene vero juxta primam, propter rationes ſæpius adductas.

Ad quartam, quando matrimonium in facie Eccleſiæ celebratum eſt cum impedimento dirimente, ſed occulto, ſatis eſt ut partes ſublato impedimento, novum conſenſum occulte præbeant; nec neceſſe eſt ut iterum ſe ſiſtant coram Parocho. Ita ſæpius declaravit ſacra Cardinalium Congregatio; quin & ipſe Pius V. ut refert Fagnanus in caput *Is qui*, titul. *de ſponſalibus*, num. 14. Utrum autem matrimonium illud evadat Sacramentum per occultum illum conſenſum, affirmant Patroni primæ ſententiæ, quia in illa ſententia nihil deeſt huic contractui legitimo, quominus

ſit

ſit Sacramentum, ut ſæpius dictum eſt, negant vero Patroni ſecundæ ſententiæ: tum quia huic contractui deeſt forma eſſentialis, tum quia renovari poteſt conſenſus per copulam carnalem affectu maritali habitam: atqui abſurdum eſt per copulam carnalem perfici Sacramentum: Ergo.

CAPUT V.

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

Q. 1. *Quinam ſunt effectus Sacramenti Matrimonii?*

R. Conjugibus recte diſpoſitis confert 1. gratiam ſanctificantem, non quidem primam, ſed ſecundam: 2. Præbet remedium præſentiſſimum contra mala, quæ per peccatum primorum parentum in nuptiis irrepſere.

Probatur ex communi Catholicorum effato. Sacramenta novæ legis 1. operantur quod ſignificant, 2. præbent ſuſcipientibus auxilia ad conſequendum finem, ad quem inſtituta ſunt.

Atqui Sacramentum matrimonii ſignificat gratiam ſanctificantem, & caritatem ab ea indivulſam, quæ ex unione Chriſti cum ſponſa ſua Eccleſia derivatur in conjuges, utpote membra ejuſdem ſponſæ, & inſuper inſtitutum eſt in remedium contra mala, quæ per peccatum in nuptias irrepſerunt.

Ergo Sacramentum matrimonii 1. confert gratiam ſanctificantem, ſeu caritatem, qua conjuges mutuo ſe diligant ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam; quemadmodum enim Baptiſmus, ut ſupra dicebamus, ita repræſentat Chriſti mortem ac reſurrectionem, ut ſignificet & operetur in baptizatis mortem peccati, & novitatem vitæ, in qua e ſacro fonte reſurgunt: ſimiliter Sacramentum matrimonii ſignum eſt, ſpeculativum quidem caritatis, qua Chriſtus conjunctus eſt Eccleſiæ; practicum vero, & efficax ſpiritualis dilectionis; qua arctiſſime uniuntur fideles conjuges. Ne autem

ma-

mala quæ peccatum induxit in nuptias, ſanctam illam conjunctionem labefactent, Sacramentum matrimonii præſtat inſuper auxilia quibus fideles conjuges ejuſmodi mala vel declinent vel levius ferant. Tantum myſterium nondum intelligebant Apoſtoli Matth 19. cùm nova lex matrimonii, quam Dominus tum ſanciebat, durior eis videbatur in Eccleſia Chriſtiana, quam in Synagoga, dicebantque v. 10. *ſi ita eſt cauſſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Indiſſolubile enim jugum nuptiarum unius cum una, gratia Sacramentali, levius efficitur.

Dixi Sacramentum matrimonii conferre gratiam ſanctificantem, non quidem primam qua deletur peccatum mortale; ſed ſecundam, qua contrahentes augentur ac perficiuntur in ſanctitate, quia matrimonium non eſt Sacramentum mortuorum peccato, ſed vivorum vita Gratiæ. Alias quomodo carnales conjuges referrent puriſſimam Chriſti & Eccleſiæ unionem, aut in tanta morum diſſimilitudine eſſent expreſſa divini iſtius exemplaris imago? ſcriptum eſt enim 2. Cor. 6. *quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Fideles igitur, exemplo Tobiæ cap. 8. prius Deo per caritatem jungantur a cunctis peccatorum ſordibus mundati, ac tum demum ad Sacramentum matrimonii accedant, abundantiorem gratiam recepturi, ut Caritas in illis radicata ac roborata non obruatur ſpumantibus concupiſcentiæ fluctibus, ſed ad votum Apoſtoli Hebr. 13. honorabile ſit eorum connubium in omnibus, & thorus immaculatus, hoc eſt, inſeparabiliter ſervent honeſtatem & decus Chriſtiani conjugii, caventes, ne quid impudenter fiat, neve thorus maritalis ullius peccati labe contaminetur, quia *ſi radix ſancta, & rami*, inquit Apoſtolus Rom. 11. contra vero *ab iniquo thoro ſemen exterminabitur*, Sap. 3. Ramos autem Sanctos, dixit Apoſtolus, non quod fidelium filii ſine peccato originali naſcantur, ut contendit Calvinus: ſed quod Deum exaudire ſoleat pia juſtorum conjugum vota, qui non conveniunt luxuriæ cauſſa, ſed ſola poſteritatis dilectione,

ne, in qua benedicatur nomen Dei ſanctum, ut dicitur Tobiæ 8. v. 9.

Q. *Quot ſunt mala per peccatum inducta, quibus medetur Sacramentum matrimonii?*

R. Quinque, quibus gratia Sacramentalis occurrit, ita ut vel tollantur penitus, vel certe minuantur, ac tolerabilia fiant.

Primum: eſt humana infirmitas, ex qua plura in ſocietate oriuntur incommoda: puta morbi in corpore, vitia in animo, indoles moleſta, & alia hujuſmodi, quæ facile pariunt odia, rixas, diſcordias, &c.

Secundum: ex conjugibus etiam ſanctis naſcitur proles peccato obnoxia, ſicut oleaſter ex fructifera oliva; inquit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. capite 19.

Tertium: præter peccatum originale, quod parentes transfundunt in liberos, ſæpe aliis modis proli nocent, dum videlicet eam vel concipiendam impediunt, vel conceptam extinguunt, vel natam abjiciunt, vel denique prava educatione, aut præpoſtero amore mores ejus corrumpunt.

Quartum eſt, libidinis malum, per quam ſæpius ad varia flagitia homines etiam conjugati impelluntur.

Quintum, miſeriæ, quæ nuptias conſequuntur; puta onus uteri, partus, educationis liberorum, ſollicitudo alendæ & inſtruendæ familiæ, caſus averſi, moleſtiæ, timores &c. quæ Apoſtolus vocat 1. Cor. 7. tribulationem carnis, utpote quæ circa carnalia verſetur, ipſamque carnem affligat.

Quod autem gratia Sacramentalis hiſce malis omnibus ſit ſalutare remedium, probatur. Quia ex dictis tractatu de Sacramentis in genere c. 18. gratia Sacramentalis eſt jus fundatum in gratia ſanctificante ad accipienda opportuno tempore ea auxilia, ſine quibus non obtinerentur finis ad quem inſtitutum eſt Sacramentum. Sic gratia ſanctificans per Sacramentum Confirmationis collata jus tribuit confirmato accipiendi a Deo, occaſione data, auxilia, ut Evangelium profiteri non erubeſcat. Atqui Sacramentum matrimonii inſtitu-

ſtitutum eſt, ut conjuges, ſicut ſunt una caro, ita & in Chriſto ſint per caritatem unus ſpiritus, quo intime ac caſte ſe diligant; ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam; mutuaſque infirmitates benigne & amantes perferant, Eccleſiam ditent pia & fideli prolis educatione, concupiſcentiam coerceant juxta caſtitatis & temperantiæ leges, ac tribulationem carnis æquo animo patiantur. Ergo proprium eſt Sacramenti matrimonii enumeratis malis remedium adhibere.

Ac 1. quidem Apoſtolus laudatus ſæpius cap. 5. ad Eph. probat conjuges eo alacrius mutuas infirmitates debere perferre, quo per Sacramentum matrimonii arctiori caritatis nexu in unum corpus conjunguntur: *viri*, inquit, *debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua.... nemo enim carnem ſuam odio habuit*; licet male affectam, nec membrum propter acerbum, quem facit, dolorem, amputari conſentit, niſi alii ſit noxium & inſanabile, *ſed nutrit, & fovet, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*, quam non abjicit propter membrorum ejus vitia, ſed eam quotidie mundat, nutrit, & fovet donec in futuro ſæculo eam ſibi exhibeat glorioſam ſponſam non habentem maculam aut rugam. Ita Chriſtiani conjuges, ut unionem Chriſti cum Eccleſia perfecte repræſentent, mutuo ſeſe fovere debent; viri uxores infirmiores diligere ut ſua corpora, uxores viris adhærere, ut membra ſuo capiti, a quo licet ægro ſeparari ſumme formidant.

2. Per Sacramentalem matrimonii gratiam fit, ut qui conjugii ſtatum legitime amplectuntur, prolem quærant, quæ per regenerationis Sacramentum mundata, in Dei timore, & ſancta converſatione educetur, creſcat, proficiat, & ad æternam felicitatem perveniat; *naſcituris gratia præparatur, quando matrimonium, quod eſt aditus ad hanc vitam, benedicitur*, inquiebat ſupra Sanctus Cyrillus Alexandrinus. Et Sanctus Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 17. *in nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum; ſed proles, non ut naſcatur tantum, verum etiam ut renaſcatur*; alioquin Chriſtia-

norum nuptiæ non eſſent niſi imperfecta imago unionis Chriſti cum Eccleſia.

Enimvero Chriſtus non alio fine conjunctus eſt Eccleſiæ, quam ut ex divino illo conjugio naſcerentur filii Dei adoptivi; Eccleſia quippe Chriſti ſponſa, ſimul mater eſt & virgo fæcundiſſima, non quidem carne, cum illud ſit ſingulare Virginis Mariæ privilegium; ſed ſpiritu, quia, ut late proſequitur S. Auguſtinus lib. de Virginitate c. 5. 6. & 7. innumeros parit filios: filios, inquam, non hujus ſæculi, ſed regni; illique merito Apoſtolus accommodat Gal. 4. quod ante cecinerat Iſaias c. 54. *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filii deſertæ magis, quam ejus quæ habet virum.*

Atqui Chriſtianorum nuptiæ a Chriſto ſunt inſtitutæ, ſacrum hujuſce fœcundiſſimæ unionis ſignum, atque adeo magnum Sacramentum, „ nunc vero, inquit S. Auguſt. cit. c. 7. lib. de Virgin. quæ adhuc „ tantum viris junguntur, atque miſcentur, ut filios „ habeant, nihilque aliud de filiis cogitant, niſi ut „ eos Chriſto lucrentur, atque mox, ut potuerint, „ faciunt: non tamen Chriſtiani ex earum carne naſcuntur, ſed poſtea fiunt, Eccleſia pariente per „ hoc, quod membrorum Chriſti ſpiritaliter mater „ eſt, cujus etiam ſpiritaliter virgo eſt. Cui ſancto „ partui cooperantur & matres, quæ non Chriſtianos corpore pepererunt, ut fiant quod ſe corpore „ parere non potuiſſe noverunt; per hoc tamen „ cooperantur, ubi & ipſæ virgines matreſque Chriſti ſunt, in fide ſcilicet, quæ per dilectionem operatur, „ ut ſcilicet filii carnis ſuæ per Sacramentum regenerationis fiant viva Chriſti membra, & eatenus filii Dei adoptivi.

Neque vero fideles conjuges ſolum cooperantur Eccleſiæ, ut proles renaſcatur in Chriſto, ſed maxime inſudant, ut religioſe educetur, in pietate adoleſcat, ac tandem hæreditatem cæleſtem conſequatur, in qua non ſolum liberos, ſed & domeſticos conſortes habere peroptant. Cum enim Chriſtus eo duntaxat fine Eccleſiam ſibi adjunxerit, ut ſuſceptos ex ea Dei filios

in gloriam adducat, dubium non eſt quin Sacramentum matrimonii, utpote tanti Myſterii ſignum, in eundem finem inſtituerit, adeo ut completo electorum numero, nullæ futuræ ſint nuptiæ, nulla circa res temporales animorum diſtentio, quemadmodum collectis agri fructibus, deſinit agricolæ cura & ſollicitudo, „ in domo juſti ex fide viventis; & adhuc ab illa cæleſti „ civitate peregrinantis, *inquit S. Auguſtinus lib.* 19. „ *de civ. Dei cap.* 14. etiam qui imperant, ſerviunt „ eis, quibus videntur imperare; neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, „ nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia, *& cap.* 16. juſti patres noſtri, ſic quidem ad„ miniſtrabant domeſticam pacem, ut ſecundum hæc „ temporalia bona, filiorum ſortem a ſervorum con„ ditione diſtinguerent, ſed Deum autem colendum, „ in quo æterna bona ſperanda ſunt, omnibus do„ mus ſuæ membris pari dilectione conſulerent: quod „ naturalis ordo ita præſcribit, ut nomen Patrumfa„ milias hinc exortum ſit, & tam late vulgatum, ut „ inique etiam dominantes hoc ſe gaudeant appellari. „ Qui autem veri patresfamilias ſunt, omnibus in fa„ milia ſua tamquam filiis ad colendum & promeren„ dum Deum conſulunt: deſiderantes atque optantes „ venire ad cæleſtem domum, ubi neceſſarium non „ ſit officium imperandi mortalibus: quia neceſſarium „ non erit officium conſulendi jam in illa immortali„ tate felicibus, quò donec veniatur, magis debent „ patres, quod dominantur, quam ſervi tolerare quod „ ſerviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam „ domeſticæ paci adverſatur, corripitur, ſeu verbo, „ ſeu verbere, ſeu quolibet alio genere pœnæ juſto „ atque licito, quantum ſocietas humana concedit, „ pro ejus qui corripitur, utilitate: ut paci, unde diſſi„ luerat, coaptetur; ſicut enim non eſt beneficentiæ adju„ vando efficere, ut bonum, quod majus eſt, amittatur: „ ita non eſt innocentiæ parcendo ſinere, ut in malum „ gravius incidatur. „ Et hic eſt primarius finis Sacramenti matrimonii, cui ſerviat oportet tota familiæ adminiſtratio, quemadmodum Chriſtus, uti Eccleſiæ ſponſus

& caput, omnia etiam quæ videntur adverſa, dirigit & quantum eſt ex ſe, convertit in ſalutem fidelium.

Ergo Sacramentum matrimonii ſpecialia confert auxilia ad liberos in pietate inſtituendos, & totam familiam religioſe adminiſtrandam. Hinc eſt quod Theologi communiter doceant ſignum eſſe & effectum prædeſtinationis quod quis naſcatur in familia bene morata & bene conſtituta; ſed non ita abſolute pronuntiant de iis qui militant ſub optimo & vigilantiſſimo Paſtore: tum quia facilius eſt teneras mentes ad pietatem informare: tum quia ætate grandiores minus dociles ſe præbent Paſtoribus, quam pueri parentibus: tum denique quia fideles conjuges liberos ex ſacro fonte ſuſcipiunt tamquam puram ac vacuam tabulam, in qua lineas ducunt, ut voluerint. Contra vero Paſtores regere habent ſubditos ut plurimum pravis opinionibus imbutos, & juxta mores ſæculi nequam inſtitutos, quorum animos jam infectos monita Paſtoris leviter tangunt, & ſæpius nihil movent. Quam enim meſſem colliget agricola, qui ſeminat in agro, quem prius non expurgaverit evulſis ſentibus & noxiis radicibus? At quomodo eas evellet Paſtor, ſi ex familiis, veluti errorum ac vitiorum ſeminariis, nova in dies ſerpant ſcandala? Hortulanum cogita, qui obvias erucas obterit, nidos vero, ex quibus continuo ebulliunt noxia hujuſmodi inſecta, intactos prætermittit; ſimilem dixeris Parochum, qui vehementius invehitur in peccata, quæ alios offendunt, & publicam Parochiæ pacem perturbant, cum interim negligat ſacrilegia in nuptiarum celebrationem, & illiberalem quæ inde ſequitur, puerorum educationem, ex quo fonte omnia pene mala in Rempublicam fluunt.

Imitetur ſaltem Ædilium cautionem ac vigilantiam; ne malevolus aliquis receptacula aquarum, quæ derivantur in civitatem, inficiat in omnium civium perniciem; curet in primis ne fideles conjuges cooperentur dæmoni pariendo ipſi filios ſæculi cujus princeps eſt, amplificentque ejus imperium: graviter moneat non ſemel & quaſi in tranſitu, ſed inſtanter, opportune & importune, ne in vacuum gratiam Sacramenti recipiant,

piant,

piant, ſed ea fideliter utantur ad liberos educandos in timore & correptione Domini; *Heli Sacerdos*, inquit S. Fulgentius epiſt. 1. de debito conjugal. cap. 10. *a Domino reprobatus fuit, & abjectus: non quia filiis in iniquitate conſenſit; ſed quia peccantes, manſuetus quamvis ſermone monuerit, prohibere tamen competenti ſeveritate ceſſavit.*

3. Per Sacramentum matrimonii præbentur auxilia, quibus Chriſtiani conjuges concupiſcentiam refrænent, & amore caſto ſe diligant, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam: *abſit enim*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 18. *ut fidelis homo, cum audit ab Apoſtolo*: Diligite uxores veſtras, *concupiſcentiam carnis diligat in uxore, quam, nec in ſeipſo debet diligere, audies alterum Apoſtolum*, 1. Joann. 2. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt; quiſquis dilexerit mundum, non eſt caritas Patris in illo; quia omnia quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis eſt*, &c. Quod autem per Sacramentalem matrimonii gratiam, habeant conjuges, (niſi poſuerint obicem) ut in cordibus eorum non dominetur carnalis concupiſcentia, ſed ſolummodo ſerviat imperanti caritati conjugali, probatur efficaciter hocce argumento Theologico. Ex dictis fide catholica conſtat Sacramentum matrimonii per ſe & ex opere operato, ut ajunt, contrahentibus conferre augmentum gratiæ ſanctificantis ſeu caritatis, & eo majus, quo paratiores ad Sacramentum accedunt: atqui una eſt Theologorum ſententia gratiam ſanctificantem per Sacramentum collatam tribuere ſuſcipientibus jus ad accipienda auxilia fini Sacramenti congrua: is autem eſt finis Sacramenti matrimonii, *ut honorabile ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus*, Hebr. 13. *& unuſquiſque (conjugum) ſciat vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore: non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum*, 1. Theſſalon. 4. hoc eſt, interprete Sancto Auguſtino lib. 1. de nupt. & concup. cap. 8. quilibet conjux ſtudioſe curet corpus tam proprium, quam alterius contrectare non ex mero affectu libidinis, ut in more eſt apud gentes,

quæ ignorant Deum, ſed cum omni puritate & caſtitate, ſicut decet Chriſtianos, quos Deus vocavit, non in immunditiam, ſed in ſanctificationem, *qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis*, ut ibidem dicitur, quo pii conjuges non ſolum cum ſanctitate, ſed etiam cum honore ac reverentia utantur corporibus ſuis, utpote quæ ſint Chriſti membra & Templum Spiritus ſancti; ſcriptum eſt enim 1. Cor. 3. v. 17. *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus; Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Quod non ſit accipiendum eſt*, inquit S. Auguſtinus, „ tamquam prohibuerit Apoſtolus conjugalem, „ hoc eſt, licitum honeſtumque concubitum; ſed ut „ iſte concubitus, (qui nihil morbidæ libidinis habe„ ret adjunctum, ſi non, præcedente peccato, in eo „ periiſſet libertatis arbitrium) quod nunc habet ad„ junctum, non ſit voluntatis, ſed neceſſitatis, ſine „ qua tamen in procreandis filiis ad fructum perve„ niri non poteſt ipſius voluntatis..... hac intentio„ ne cordis qui ſuum vas poſſidet, id eſt, conjugem „ ſuam, proculdubio non poſſidet in morbo deſide„ rii, ſicut gentes quæ ignorant Deum, ſed in ſan„ ctificatione & honore, ſicut fideles qui ſperant in „ Deum. Illo quippe concupiſcentiæ malo utitur „ homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque „ indecoris motibus æſtuantem frænat & cohibet, ne„ que niſi propagini conſulens relaxat atque adhibet, „ ut ſpiritaliter regenerandos gignat, non ut ſpiritum „ carni ſordida ſervitute ſubjiciat. Sic Patres Sanctos „ ex Abraham & ante Abraham, quibus Deus, quod „ ei placuerint, perhibet teſtimonium, uſos fuiſſe „ conjugibus neminem oportet dubitare Chriſtianum „ quando quibuſdam etiam ſingulis plures habere con„ ceſſum eſt, ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non „ variandæ appetitio voluptatis, „ alias quomodo placuiſſet Deo? cum Apoſtolus fidenter pronunciet Rom. 8. *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, ſive illi ſint cœlibes, ſive conjugati.

Ergo pii conjuges illud donum habent ex Sacramento, ut præcipites libidinis impetus cohibere poſſint,

ſint, nihilque ejus gratia faciant, ſed ea caſte utantur ſolo prolis deſiderio. Atque eo nomine æſtimare licet, quantum beneficium Chriſtus contulerit ſeorſum conjugatis, & univerſim Reipublicæ Chriſtianæ, dum nuptias ſanctitate & dignitate Sacramenti decoravit.

Ac primo quidem ſeorſum ipſis conjugatis, quia dum libidini habenas aliquatenus laxant; periculum eſt, ne adverſus eos prævaleat; & exinde dæmonium ut habetur Tob. 6. In vitæ quippe diſcrimen venit, qui immani & perniciosæ beſtiæ vincula remittit; & congeries aquarum, quæ aggeribus concluſa quodammodo quieſcebat, omnia ſubvertit, ubi exitum invenerit; ſic & concupiſcentia venereorum ſolutis continentiæ repagulis, niſi gratia Sacramenti periclitantibus ſuccurrat. Taceo præ pudore impotentes libidinis inſanias, quibus agitantur carnales conjuges; ſed prætermittendum non eſt quod ſcribit S. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 13. nimirum ipſoſmet pios conjuges ex adjacente concupiſcentiæ malo detrimenta pati ut plurimum, ſed levia propter Sacramenti remedium. „ Quem tandem, *inquit*, audivimus inter familiaria colloquia, ſive eorum qui conjugati ſunt, „ ſive qui fuerunt, indicantem nobis nunquam ſe conjugi eſſe commixtum, niſi ſperando conceptum, „ tam magnum eſt, ut multi hodie facilius ſe tota „ vita ab omni concubitu abſtineant, quam modum „ teneant non coeundi, niſi prolis cauſſa, ſi matrimonio copulentur. „

Habent igitur fideles conjuges unde gratias plurimas agant Chriſto Salvatori noſtro, quod eos munierit tam ſalutari præſidio adverſus concupiſcentiæ impetus; *ubi enim caſtitas in majoris periculo eſſe poteſt*, inquit Guillelmus Pariſienſis Tractatu de matrimonio cap. 7. *quam juxta incentivum libidinis, ſcilicet ubi vir juxta uxorem, & uxor juxta virum?* Unde in hæc verba concludit doctiſſimus Antiſtes, „ quia „ conjunctio maris & feminæ proxima eſt contami„ nationi libidinis, ac viciniſſima, & ſola virtute „ divina ſuperabilis; nullum opus eſt magis ad-

„ juvandum, magiſque muniendum oratione, & bene- „ dictione Sacerdotali, „ in qua reponit formam & virtutem Sacramenti.

Sed & omne genus humanum Chriſtus ſibi devicit, dum nuptias ad Sacramenti dignitatem evexit; ex eo quippe bona innumera in cunctos Reipublicæ ordines derivantur, cum ex parentibus, qui virtute Sacramenti corpora ſua poſſident in ſanctificatione & honore: naſci ſoleant liberi eximiæ indolis, & naturæ in bonum propenſæ. *Dos eſt magna parentum virtus*, inquit Horatius lib. 4. Ode 24. & S. Ambroſius lib. 1. in Lucam advertit Scripturam ſacram ſæpius laudare Sanctorum natalitia, ut in eos veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas videatur. *Sic*, inquit, *ſancti Samuel mater Anna laudatur: ſic Iſaac a parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam poſteris dereliquit.* Propterea Angelus naſcituri Samſonis prænuntius, ad ejus matrem ait Judic. 13. *Cave ergo ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas*, ne ſcil. ex ſanguine iis infecto coagularetur corpus pueri, & ideo in eo propenſi, cum tamen nec vinum, nec ſiceram bibiturus eſſet, utpote futurus Nazaræus Dei (ideſt, Deo conſecratus) ex utero matris, ut ibidem dicitur; proles enim per ſemen vitiatum parentum, vitia tum corporis tum animi ſolet contrahere, adeo ut, ſi parentes ſint calculoſi, podagrici, libidinoſi, ebrioſi, filios iiſdem morbis & vitiis obnoxios eſſe contingat, juxta vetus adagium, *mali corvi, malum ovum*. Unde enim immanis illa morum perverſitas, propter quam diluvium inundavit ſuper univerſam faciem terræ? Nonne ex thori nuptialis contaminatione? *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ*, inquit textus ſacer, Gen. 6. *acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant*; concupiſcentia ſcilicet dominante, eiſque ut pulcherrimis ſummo amore & ardore libidinis agglutinati genuerunt gigantes luxuriis famoſos, propter quos *dixit Deus, non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Porro gratia ſacramentalis malorum fontem obturat, quatenus efficit, ut thorus nuptialis ſit immaculatus, conveniantque conjuges

juges non luxuriæ cauſſa, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei ſanctum, ut habetur Tob. 6.

4. Caritas conjugalis, ultimus effectus Sacramenti, firmat conjuges adverſus concurrentes carnis tribulationes, quia fortis eſt ut mors dilectio, nec flumina obruent illam, Cant. 8. hancce benedictionem, inquit Eſtius in 4. diſt. 26. part. 8. Chriſtus nobis inſinuare voluit, dum in nuptiis, quas ſua præſentia dignatus eſt, aquam in vinum convertit; nam per aquas in Scripturis tribulationes intelligi ſolent. Unde illud Pſalm. 17. *Aſſumpſit me de aquis multis*. Vinum autem a Deo creatum eſſe, ut lætificet cor hominis, alibi idem Pſalmiſta teſtatur.

Q. 3. *Enumerata beneficia obveniunt ne omnibus ſuſcipientibus Matrimonii Sacramentum?*

R. 1. Certum eſt eos, qui ad Sacramentum indigne accedunt, hoc eſt in ſtatu, aut affectu peccati mortali, nullum ex eo percipere: quin gravioris ſacrilegii reos ſe conſtituere, quod pro benedictione maledictionem Dei, tum in ſe, tum in familiam concitant. Sed de diſpoſitionibus ad Sacramentum matrimonii requiſitis, poſtea.

R. 2. Conjuges, qui per peccatum lethale excidu a gratia ſanctificante in Sacramento collata; ſimul amittunt jus ad auxilia actualia mox recenſita, quia jus illud fundatur in gratia ſanctificante, ex qua veluti fœcunda radice exeunt ceteri effectus cuique Sacramento proprii; injuſtum enim foret, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 6. ut ei obtemperaretur a ſervo, id eſt a corpore ſuo & a creatura inferiori, qui non obtemperat Domino ſuo, quare de impiis conjugibus dicitur Sap. 3. *mulieres eorum inſenſatæ, & nequiſſimi filii illorum, maledicta creatura eorum*; Græce γένεσις generatio, ſeu progenies eorum; qui enim fidem Deo datam violant, Deo vindice, id conſequuntur, ut optata pace in familia fruſtrentur, nec uxores ipſis morem gerant, nec filii honorem deferant, præſertim ii, quos parentes gignere metuerunt, ut totum voluptati darent, ſicque vitam proli

ne, in qua benedicatur nomen Dei ſanctum, ut dicitur Tobiæ 8. v. 9.

Q. *Quot ſunt mala per peccatum inducta, quibus medetur Sacramentum matrimonii?*

R. Quinque, quibus gratia Sacramentalis occurrit, ita ut vel tollantur penitus, vel certe minuantur, ac tolerabilia fiant.

Primum: eſt humana infirmitas, ex qua plura in ſocietate oriuntur incommoda: puta morbi in corpore, vitia in animo, indoles moleſta, & alia hujuſmodi, quæ facile pariunt odia, rixas, diſcordias, &c.

Secundum: ex conjugibus etiam ſanctis naſcitur proles peccato obnoxia, ſicut oleaſter ex fructifera oliva, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. capite 19.

Tertium: præter peccatum originale, quod parentes transfundunt in liberos, ſæpe aliis modis proli nocent, dum videlicet eam vel concipiendam impediunt, vel conceptam extinguunt, vel natam abjiciunt, vel denique prava educatione, aut præpoſtero amore mores ejus corrumpunt.

Quartum eſt, libidinis malum, per quam ſæpius ad varia flagitia homines etiam conjugati impelluntur.

Quintum, miſeriæ, quæ nuptias conſequuntur; puta onus uteri, partus, educationis liberorum, ſollicitudo alendæ & inſtruendæ familiæ, caſus averſi, moleſtiæ, timores &c. quæ Apoſtolus vocat 1. Cor. 7. tribulationem carnis, utpote quæ circa carnalia verſetur, ipſamque carnem affligat.

Quod autem gratia Sacramentalis hiſce malis omnibus ſit ſalutare remedium, probatur. Quia ex dictis tractatu de Sacramentis in genere c. 18. gratia Sacramentalis eſt jus fundatum in gratia ſanctificante ad accipienda opportuno tempore ea auxilia, ſine quibus non obtinerentur finis ad quem inſtitutum eſt Sacramentum. Sic gratia ſanctificans per Sacramentum Confirmationis collata jus tribuit confirmato accipiendi a Deo, occaſione data, auxilia, ut Evangelium profiteri non erubeſcat. Atqui Sacramentum matrimonii inſtitu-

ſicutum eſt, ut conjuges, ſicut ſunt una caro, ita & in Chriſto ſint per caritatem unus ſpiritus, quo intime ac caſte ſe diligant; ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam; mutuaſque infirmitates benigne & amantes perferant, Eccleſiam ditent pia & fideli prolis educatione, concupiſcentiam coerceant juxta caſtitatis & temperantiæ leges, ac tribulationem carnis æquo animo patiantur. Ergo proprium eſt Sacramenti matrimonii enumeratis malis remedium adhibere.

Ac 1. quidem Apoſtolus laudatus ſæpius cap. 5. ad Eph. probat conjuges eo alacrius mutuas infirmitates debere perferre, quo per Sacramentum matrimonii arctiori caritatis nexu in unum corpus conjunguntur: *viri*, inquit, *debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua.... nemo enim carnem ſuam odio habuit*; licet male affectam, nec membrum propter acerbum, quem facit, dolorem, amputari conſentit, niſi alii ſit noxium & inſanabile, *ſed nutrit, & fovet, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*, quam non abjicit propter membrorum ejus vitia, ſed eam quotidie mundat, nutrit, & fovet donec in futuro ſæculo eam ſibi exhibeat glorioſam ſponſam non habentem maculam aut rugam. Ita Chriſtiani conjuges, ut unionem Chriſti cum Eccleſia perfecte repræſentent, mutuo ſeſe fovere debent; viri uxores infirmiores diligere ut ſua corpora, uxores viris adhærere, ut membra ſuo capiti, a quo licet ægro ſeparari ſumme formidant.

2. Per Sacramentalem matrimonii gratiam fit, ut qui conjugii ſtatum legitime amplectuntur, prolem quærant, quæ per regenerationis Sacramentum mundata, in Dei timore, & ſancta converſatione educetur, creſcat, proficiat, & ad æternam felicitatem perveniat; *naſcituris gratia præparatur, quando matrimonium, quod eſt aditus ad hanc vitam, benedicitur*, inquiebat ſupra Sanctus Cyrillus Alexandrinus. Et Sanctus Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 17. *in nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum; ſed proles, non ut naſcatur tantum, verum etiam ut renaſcatur*; alioquin Chriſtianorum

norum nuptiæ non eſſent niſi imperfecta imago unionis Chriſti cum Eccleſia.

Enimvero Chriſtus non alio fine conjunctus eſt Eccleſiæ, quam ut ex divino illo conjugio naſcerentur filii Dei adoptivi; Eccleſia quippe Chriſti ſponſa, ſimul mater eſt & virgo fæcundiſſima, non quidem carne, cum illud ſit ſingulare Virginis Mariæ privilegium; ſed ſpiritu, quia, ut late proſequitur S. Auguſtinus lib. de Virginitate c. 5. 6. & 7. innumeros parit filios: filios, inquam, non hujus ſæculi, ſed regni; illique merito Apoſtolus accommodat Gal. 4. quod ante cecinerat Iſaias c. 54. *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filii deſertæ magis, quam ejus quæ habet virum.*

Atqui Chriſtianorum nuptiæ a Chriſto ſunt inſtitutæ, ſacrum hujuſce fœcundiſſimæ unionis ſignum, atque adeo magnum Sacramentum, „ nunc vero, inquit S. Auguſt. cit. c. 7. lib. de Virgin. quæ adhuc „ tantum viris junguntur, atque miſcentur, ut filios „ habeant, nihilque aliud de filiis cogitant, niſi ut „ eos Chriſto lucrentur, atque mox, ut potuerint, „ faciunt: non tamen Chriſtiani ex earum carne naſcuntur, ſed poſtea fiunt, Eccleſia pariente per „ hoc, quod membrorum Chriſti ſpiritaliter mater „ eſt, cujus etiam ſpiritaliter virgo eſt. Cui ſancto „ partui cooperantur & matres, quæ non Chriſtianos corpore pepererunt, ut fiant quod ſe corpore „ parere non potuiſſe noverunt; per hoc tamen „ cooperantur, ubi & ipſæ virgines matreſque Chriſti ſunt, in fide ſcilicet, quæ per dilectionem operatur, „ ut ſcilicet filii carnis ſuæ per Sacramentum regenerationis fiant viva Chriſti membra; & eatenus filii Dei adoptivi.

Neque vero fideles conjuges ſolum cooperantur Eccleſiæ, ut proles renaſcatur in Chriſto, ſed maxime inſudant, ut religioſe educetur, in pietate adoleſcat, ac tandem hæreditatem cæleſtem conſequatur, in qua non ſolum liberos, ſed & domeſticos conſortes habere peroptant. Cum enim Chriſtus eo duntaxat fine Eccleſiam ſibi adjunxerit, ut ſuſceptos ex ea Dei filios in

in gloriam adducat, dubium non eſt quin Sacramentum matrimonii, utpote tanti Myſterii ſignum, in eundem finem inſtituerit, adeo ut complecto electorum numero, nullæ futuræ ſint nuptiæ, nulla circa res temporales animorum diſtentio, quemadmodum collectis agri fructibus, deſinit agricolæ cura & ſollicitudo, „ in domo juſti ex fide viventis; & adhuc ab illa cæleſti „ civitate peregrinantis, *inquit S. Auguſtinus lib.* 19. „ *de civ. Dei cap.* 14. etiam qui imperant, ſerviunt „ eis, quibus videntur imperare; neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, „ nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia, *& cap.* 16. juſti patres noſtri, ſic quidem adminiſtrabant domeſticam pacem, ut ſecundum hæc „ temporalia bona, filiorum ſortem a ſervorum conditione diſtinguerent, ſed Deum autem colendum, „ in quo æterna bona ſperanda ſunt, omnibus domus ſuæ membris pari dilectione conſulerent: quod „ naturalis ordo ita præſcribit, ut nomen Patrumfamilias hinc exortum ſit, & tam late vulgatum, ut „ inique etiam dominantes hoc ſe gaudeant appellari. „ Qui autem veri patresfamilias ſunt, omnibus in familia ſua tamquam filiis ad colendum & promerendum Deum conſulunt: deſiderantes atque optantes „ venire ad cæleſtem domum, ubi neceſſarium non „ ſit officium imperandi mortalibus: quia neceſſarium „ non erit officium conſulendi jam in illa immortalitate felicibus, quo donec veniatur, magis debent „ patres, quod dominantur, quam ſervi tolerare quod „ ſerviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam „ domeſticæ paci adverſatur, corripitur, ſeu verbo, „ ſeu verbere, ſeu quolibet alio genere pœnæ juſto „ atque licito, quantum ſocietas humana concedit, „ pro ejus qui corripitur, utilitate: ut paci, unde diſſiluerat, coaptetur; ſicut enim non eſt beneficentiæ adjuvando efficere, ut bonum, quod majus eſt, amittatur: „ ita non eſt innocentiæ parcendo ſinere, ut in malum „ gravius incidatur. „ Et hic eſt primarius finis Sacramenti matrimonii, cui ſerviat oportet tota familiæ adminiſtratio, quemadmodum Chriſtus, uti Eccleſiæ ſponſus

& caput, omnia etiam quæ videntur adverſa, dirigit & quantum eſt ex ſe, convertit in ſalutem fidelium.

Ergo Sacramentum matrimonii ſpecialia confert auxilia ad liberos in pietate inſtituendos, & totam familiam religioſe adminiſtrandam. Hinc eſt quod Theologi communiter doceant ſignum eſſe & effectum prædeſtinationis quod quis naſcatur in familia bene morata & bene conſtituta; ſed non ita abſolute pronuntiant de iis qui militant ſub optimo & vigilantiſſimo Paſtore: tum quia facilius eſt teneras mentes ad pietatem informare: tum quia ætate grandiores minus dociles ſe præbent Paſtoribus, quam pueri parentibus: tum denique quia fideles conjuges liberos ex ſacro fonte ſuſcipiunt tamquam puram ac vacuam tabulam, in qua lineas ducunt, ut voluerint. Contra vero Paſtores regere habent ſubditos ut plurimum pravis opinionibus imbutos, & juxta mores ſæculi nequam inſtitutos, quorum animos jam infectos monita Paſtoris leviter tangunt, & ſæpius nihil movent. Quam enim meſſem colliget agricola, qui ſeminat in agro, quem prius non expurgaverit evulſis ſentibus & noxiis radicibus? At quomodo eas evellet Paſtor, ſi ex familiis, veluti errorum ac vitiorum ſeminariis, nova in dies ſerpant ſcandala? Hortulanum cogita, qui obvias erucas obterit, nidos vero, ex quibus continuo ebulliunt noxia hujuſmodi inſecta, intactos prætermittit; ſimilem dixeris Parochum, qui vehementius invehitur in peccata, quæ alios offendunt, & publicam Parochiæ pacem perturbant, cum interim negligat ſacrilegia in nuptiarum celebrationem, & illiberalem quæ inde ſequitur, puerorum educationem, ex quo fonte omnia pene mala in Rempublicam fluunt.

Imitetur ſaltem Ædilium cautionem ac vigilantiam; ne malevolus aliquis receptacula aquarum, quæ derivantur in civitatem, inficiat in omnium civium perniciem: curet in primis ne fideles conjuges cooperentur dæmoni pariendo ipſi filios ſæculi cujus princeps eſt, amplificentque ejus imperium: graviter moneat non ſemel & quaſi in tranſitu, ſed inſtanter, opportune & importune, ne in vacuum gratiam Sacramenti recipiant,

piant, ſed ea fideliter utantur ad liberos educandos in timore & correptione Domini; *Heli Sacerdos*, inquit S. Fulgentius epiſt. 1. de debito conjugal. cap. 10. *Domino reprobatus fuit, & abjectus: non quia filiis in iniquitate conſenſit; ſed quia peccantes, manſuetus quamvis ſermone monuerit, prohibere tamen competenti ſeveritate ceſſavit.*

3. Per Sacramentum matrimonii præbentur auxilia, quibus Chriſtiani conjuges concupiſcentiam refrænent, & amore caſto ſe diligant, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam: *abſit enim*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 18. *ut fidelis homo, cum audit ab Apoſtolo*: Diligite uxores veſtras, *concupiſcentiam carnis diligat in uxore, quam, nec in ſeipſo debet diligere, audiet alterum Apoſtolum*, 1. Joann. 1. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt; quiſquis dilexerit mundum, non eſt caritas Patris in illo; quia omnia quæ in mundo ſunt, concupiſcentia carnis eſt*, &c. Quod autem per Sacramentalem matrimonii gratiam, habeant conjuges, (niſi poſuerint obicem) ut in cordibus eorum non dominetur carnalis concupiſcentia, ſed ſolummodo ſerviat imperanti caritati conjugali, probatur efficaciter hocce argumento Theologico. Ex dictis fide catholica conſtat Sacramentum matrimonii per ſe & ex opere operato, ut ajunt, contrahentibus conferre augmentum gratiæ ſanctificantis ſeu caritatis, & eo majus, quo paratiores ad Sacramentum accedunt: atqui una eſt Theologorum ſententia gratiam ſanctificantem per Sacramentum collatam tribuere ſuſcipientibus jus ad accipienda auxilia fini Sacramenti congrua: is autem eſt finis Sacramenti matrimonii, *ut honorabile ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus*, Hebr. 13. *& unuſquiſque* (conjugum) *ſciat vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore: non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum*, 1. Theſſalon. 4. hoc eſt, interprete Sancto Auguſtino lib. 1. de nupt. & concup. cap. 8. quilibet conjux ſtudioſe curet corpus tam proprium, quam alterius contrectare non ex mero affectu libidinis, ut in more eſt apud gentes,

quæ ignorant Deum, ſed cum omni puritate & caſtitate, ſicut decet Chriſtianos, quos Deus vocavit, non in immunditiam, ſed in ſanctificationem, *qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis*, ut ibidem dicitur, quo pii conjuges non ſolum cum ſanctitate, ſed etiam cum honore ac reverentia utantur corporibus ſuis, utpote quæ ſint Chriſti membra & Templum Spiritus ſancti; ſcriptum eſt enim 1. Cor. 3. v. 17. *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus; Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. *Quod non ſic accipiendum eſt*, inquit S. Auguſtinus, „ tamquam prohibuerit Apoſtolus conjugalem, „ hoc eſt, licitum honeſtumque concubitum; ſed ut „ iſte concubitus, (qui nihil morbidæ libidinis habe- „ ret adjunctum, ſi non, præcedente peccato, in eo „ periiſſet libertatis arbitrium) quod nunc habet ad- „ junctum, non ſit voluntatis, ſed neceſſitatis, ſine „ qua tamen in procreandis filiis ad fructum perve- „ niri non poteſt ipſius voluntatis..... hac intentio- „ ne cordis qui ſuum vas poſſidet, id eſt, conjugem „ ſuam, proculdubio non poſſidet in morbo deſide- „ rii, ſicut gentes quæ ignorant Deum, ſed in ſan- „ ctificatione & honore, ſicut fideles qui ſperant in „ Deum. Illo quippe concupiſcentiæ malo utitur „ homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque „ indecoris motibus æſtuantem frænat & cohibet, ne- „ que niſi propagini conſulens relaxat atque adhibet, „ ut ſpiritaliter regenerandos gignat, non ut ſpiritum „ carni ſordida ſervitute ſubjiciat. Sic Patres Sanctos „ ex Abraham & ante Abraham, quibus Deus, quod „ ei placuerint, perhibet teſtimonium, uſos fuiſſe „ conjugibus neminem oportet dubitare Chriſtianum „ quando quibuſdam etiam ſingulis plures habere con- „ ceſſum eſt, ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non „ variandæ appetitio voluptatis, „ alias quomodo placuiſſet Deo? cum Apoſtolus fidenter pronunciet Rom. 8. *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, ſive illi ſint cœlibes, ſive conjugati.

Ergo pii conjuges illud donum habent ex Sacramento, ut præcipites libidinis impetus cohibere poſ-

ſint,

ſint, nihilque ejus gratia faciant, ſed ea caſte utantur ſolo prolis deſiderio. Atque eo nomine æſtimare licet, quantum beneficium Chriſtus contulerit ſeorſum conjugatis, & univerſim Reipublicæ Chriſtianæ, dum nuptias ſanctitate & dignitate Sacramenti decoravit.

Ac primo quidem ſeorſum ipſis conjugatis, quia dum libidini habenas aliquatenus laxant; periculum eſt, ne adverſus eos prævaleat; & exinde dæmonium us habetur Tob. 6. In vitæ quippe diſcrimen venit, qui immani & perniciofæ beſtiæ vincula remittit; & congeries aquarum, quæ aggeribus concluſa quodammodo quieſcebat, omnia ſubvertit, ubi exitum invenerit; ſic & concupiſcentia venereorum ſolutis continentiæ repagulis, niſi gratia Sacramenti periclitantibus ſuccurrat. Taceo præ pudore impotentes libidinis inſanias, quibus agitantur carnales conjuges; ſed prætermittendum non eſt quod ſcribit S. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 13. nimirum ipſoſmet pios conjuges ex adjacente concupiſcentiæ malo detrimenta pati ut plurimum, ſed levia propter Sacramenti remedium. „ Quem tandem, *inquit*, audivimus inter fa- „ miliaria colloquia, ſive eorum qui conjugati ſunt, „ ſive qui fuerunt, indicantem nobis nunquam ſe con- „ jugi eſſe commixtum, niſi ſperando conceptum, „ tam magnum eſt, ut multi hodie facilius ſe tota „ vita ab omni concubitu abſtineant, quam modum „ teneant non coeundi, niſi prolis cauſſa, ſi matri- „ monio copulentur. „

Habent igitur fideles conjuges unde gratias plurimas agant Chriſto Salvatori noſtro, quod eos munierit tam ſalutari præſidio adverſus concupiſcentiæ impetus; *ubi enim caſtitas in majoris periculo eſſe poteſt*, inquit Guillelmus Pariſienſis Tractatu de matrimonio cap. 7. *quam juxta incentivum libidinis, ſcilicet ubi vir juxta uxorem, & uxor juxta virum?* Unde in hæc verba concludit doctiſſimus Antiſtes, „ quia „ conjunctio maris & feminæ proxima eſt contami- „ nationi libidinis, ac viciniſſima, & ſola virtute „ divina ſuperabilis; nullum opus eſt magis ad-

 „ juvan-

„ juvandum, magiſque muniendum oratione, & bene-„ dictione Sacerdotali, „ in qua reponit formam & virtutem Sacramenti.

Sed & omne genus humanum Chriſtus ſibi devicit, dum nuptias ad Sacramenti dignitatem evexit; ex eo quippe bona innumera in cunctos Reipublicæ ordines derivantur, cum ex parentibus, qui virtute Sacramenti corpora ſua poſſident in ſanctificatione & honore: naſci ſoleant liberi eximiæ indolis, & naturæ in bonum propenſæ. *Dos eſt magna parentum virtus*, inquit Horatius lib. 4. Ode 24. & S. Ambroſius lib. 1. in Lucam advertit Scripturam ſacram ſæpius laudare Sanctorum natalitia, ut in eos veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hæreditas videatur. *Sic*, inquit, *ſancti Samuel mater Anna laudatur: ſic Iſaac a parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam poſteris dereliquit*. Propterea Angelus naſcituri Samſonis prænuntius, ad ejus matrem ait Judic. 13. *Cave ergo ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas*, ne ſcil. ex ſanguine iis infecto coagularetur corpus pueri, & ideo in eo propenſi, cum tamen nec vinum, nec ſiceram bibiturus eſſet, utpote futurus Nazaræus Dei (ideſt, Deo conſecratus) ex utero matris, ut ibidem dicitur; proles enim per ſemen vitiatum parentum, vitia tum corporis tum animi ſolet contrahere, adeo ut, ſi parentes ſint calculoſi, podagrici, libidinoſi, ebrioſi, filios iiſdem morbis & vitiis obnoxios eſſe contingat, juxta vetus adagium, *mali corvi, malum ovum*. Unde enim immanis illa morum perverſitas, propter quam diluvium inundavit ſuper univerſam faciem terræ? Nonne ex thori nuptialis contaminatione? *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ*, inquit textus ſacer, Gen. 6. *acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant*, concupiſcentia ſcilicet dominante, eiſque ut pulcherrimis ſummo amore & ardore libidinis agglutinati genuerunt gigantes luxuriis famoſos, propter quos dixit *Dominus, non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*. Porro gratia ſacramentalis malorum fontem obturat, quatenus efficit, ut thorus nuptialis ſit immaculatus, conveniantque con-

juges

juges non luxuriæ cauſſa, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei ſanctum, ut habetur Tob. 6.

4. Caritas conjugalis, ultimus effectus Sacramenti, firmat conjuges adverſus concurrentes carnis tribulationes, quia fortis eſt ut mors dilectio, nec flumina obruent illam, Cant. 8. hancce benedictionem, inquit Eſtius in 4. diſt. 26. part. 8. Chriſtus nobis inſinuare voluit, dum in nuptiis, quas ſua præſentia dignatus eſt, aquam in vinum convertit; nam per aquas in Scripturis tribulationes intelligi ſolent. Unde illud Pſalm. 17. *Aſſumpſit me de aquis multis*. Vinum autem a Deo creatum eſſe, ut lætificet cor hominis, alibi idem Pſalmiſta teſtatur.

Q. 3. *Enumerata beneficia obveniunt ne omnibus ſuſcipientibus Matrimonii Sacramentum?*

R. 1. Certum eſt eos, qui ad Sacramentum indigne accedunt, hoc eſt in ſtatu, aut affectu peccati mortali, nullum ex eo percipere: quin gravioris ſacrilegii reos ſe conſtituere, quod pro benedictione maledictionem Dei, tum in ſe, tum in familiam concitant. Sed de diſpoſitionibus ad Sacramentum matrimonii requiſitis, poſtea.

R. 2. Conjuges, qui per peccatum lethale excidu a gratia ſanctificante in Sacramento collata; ſimul amittunt jus ad auxilia actualia mox recenſita, quia jus illud fundatur in gratia ſanctificante, ex qua veluti fœcunda radice exeunt ceteri effectus cuique Sacramento proprii; injuſtum enim foret, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 6. ut ei obtemperaretur a ſervo, id eſt a corpore ſuo & a creatura inferiori, qui non obtemperat Domino ſuo, quare de impiis conjugibus dicitur Sap. 3. *mulieres eorum inſenſatæ, & nequiſſimi filii illorum, maledicta creatura eorum*; Græce γένεσις generatio, ſeu progenies eorum; qui enim fidem Deo datam violant, Deo vindice, id conſequuntur, ut optata pace in familia fruſtrentur, nec uxores ipſis morem gerant, nec filii honorem deferant, præſertim ii, quos parentes gignere metuerunt, ut totum voluptati darent, ſicque vitam proli

invidentes, eam prius odiſſe ceperunt, quam naſceretur: quomodo vero jam natam diligent, aut ab illa ipſi diligentur? Ex quibus perſpicue intelligunt fideles conjuges, quo ſtudio peccatum vitare, aut ſi forte humana fragilitate in aliquod lapſis fuerint, quam citato per pœnitentiam eluere debeant, ut virtus Sacramenti in ipſis operetur, quæ fortunatum reddat eorum conjugium, illoſque immunes ſervet a peccatis mox exponendis, quibus ſtatus conjugalis eſt obnoxius.

CAPUT VI.

De peccatis conjugum adverſus nuptiarum fœdera.

CUM tria ſint nuptiarum bona, ſcilicet fides, proles, & Sacramentum, alia conjugum peccata directe pugnat contra fidem thori, alia contra bonum prolis, alia contra Sacramenti dignitatem: de quibus ſingillatim dicendum.

§. I.

De peccatis conjugum contra Matrimonii fidem.

Q. 1. QUÆ *peccata pugnant contra conjugii fidem.*
R. Pugnant

1. Adulterium, ad quod refertur concupiſcentia perſonæ extraneæ. Matt. 5. v. 28. & quivis actus libidinoſus in illud tendens, ut tactus, oſcula, & cogitatio moroſa, ut vocant; ejuſmodi enim peccata ſunt graviora in conjuge, quam in homine ſoluto, utpote quæ lædant fidem alteri conjugi datam, ac proinde in Sacramentali confeſſione ſunt declaranda cum circumſtantia conjugii.

2. Voluntaria pollutio, a fortiori peccata contra naturam, ut Sodomia & aliæ monſtruoſæ ac execrandæ libidines; in iis quippe fit injuria alteri conjugi: quia

quia ex Apoſtolo 1. Cor. 7. vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier; nec viciſſim mulier, ſed vir: Ergo qui proprium corpus ita contaminat, contra juſtitiam abutitur re aliena.

3. Denegatio debiti conjugalis, *nolite fraudare invicem*, inquit Apoſtolus cit. cap. 7. id eſt, nolite privare alterutrum re ipſi debita, quoties illam exigit; Ergo denegare debitum conjugale, eſt peccatum, contra juſtitiam, & quidem ex natura ſua mortale, utpote in re gravi; aliter conjux exponitur periculo incontinentiæ, daturque occaſio rixarum, odiorum, & diſſenſionum. Cum autem mulieres ejuſmodi peccata in confeſſione Sacramentali plerumque retineant, vel præ ignorantia, vel præ pudore, offendique ſoleant, ſi de his Confeſſarius illas interroget, adeo ut nonnullæ (ut ad me relatum fuit) aliquando ipſi e templo egredienti inſultaverint, plane intelligunt Parochi quam accurate docere debeant, non quidem publice, ſed ſeorſum, in loco tamen patenti, puta in Tribunali Pœnitentiæ, mox contracturos, quæ ſunt partes Chriſtiani conjugis, quod obſervare, quidve fugere teneantur. Hinc etiam diſcant Confeſſarii, non quaſi ex abrupto ſciſcitandum eſſe a mulieribus, hic ne peccaverint; ſed captandam occaſionem, inquirendo, v. g. num rixatæ fuerint cum marito, quæ cauſſæ hujuſmodi rixarum, quive effectus, an propterea morem ipſi gerere detrectaverint, negaverintque quod eis debetur juxta leges matrimonii, & præceptum Domini?

Dixi ejuſmodi peccatum eſſe ex natura ſua mortale: ut innuerem poſſe aliquando negari debitum conjugale, abſque culpa ſaltem gravi.

Q. 2. *Quando conjux hic excuſatur a toto vel a tanto?*

R. 1. Ab omni culpa excuſatur

1. Si conſtet alterum conjugem eſſe adulterum. Conſule quæ in hanc rem dicta ſunt de divortio.

2. Si exigens ſit omnino ebrius, quia non petit amore humano.

3. Si laboret morbo contagioſo, puta Gallico, vel lepra. Ita S. Thomas in Suppl. q. 64. art. 1.

ad ſecundum, *uxor*, inquit, *non habet poteſtatem in corpus viri, niſi ſalva conſiſtentia perſonæ ipſius. Unde corpus exigat: non eſt petitio debiti; ſed injuſta exactio: & propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere*. Et in corpore Articuli. *Cum uxor in virum poteſtatem non habeat, niſi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea, quæ ſunt ad conſervationem individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalva tamen perſonæ incolumitate*. Et hæc ratio valet pro uxore, quæ ex Medicorum judicio debitum non reddenet abſque proximo & evidenti vitæ periculo. Dico, *proximo & evidenti*; alioquin mulieres, ſaltem juniores, nunquam tenerentur debitum reddere; cum ex conceptu vitæ periculum ſemper incurrant.

Dices: Alexander III. cap. *Quoniam*, tit. *de conjugio leproſorum*, ſic ſtatuit: *Si virum, ſive uxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus a ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli quod exigitur eſt ſolvendum, cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur*. Ergo conjux tenetur reddere debitum cum proximo & evidenti vitæ periculo.

Nego conſequentiam. Ad antecedens reſpondet Sylvius, laudatum canonem intelligendum in ea hypotheſi, quod ex congreſſu non immineat ſane notabile periculum. Et ita intellexiſſe videtur S. Thomas cit. art. 1. in reſponſione ad 4. ubi ſic habet, *lepra ſolvit ſponſalia, ſed non matrimonium. Unde etiam uxor viro leproſo tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare; quia non ita cito inficiunt ex coitu, ſicut ex frequenti cohabitatione. Et quamvis proles generetur infirma, tamen melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non eſſe*.

Ergo a fortiori uxor non ſolvitur a debito reddendo propter morbum comitialem, quo laborat maritus.

R. 2. Vel nihil, vel leviter peccat, qui juſtis de cauſſis aliquando negat debitum conjugale remiſſe petenti, aut dilationem facile concedenti; *Sicut enim in aliis debitis*, inquit Sylvius, *non eſt mortale eorum*

ſolu-

ſolutionem negare, quando creditor remiſſe illam petit: aut rogatus facile dilationem concedit: ita etiam in propoſito.

Dixi 1. *juſtis de cauſſis*, ut ſi carnes agni immaculati de menſa Domini ſumere cogitet, non ſat bene ſe habeat, menſtrua patiatur, uterum gerat, vel objiciat petenti, quod frequentius & intemperantius petat; qui enim ſine juſta cauſſa renuit ſolvere creditori debitum repoſcenti, peccat ſaltem venialiter.

Dixi 2. *Aliquando*; nimis enim grave eſt rem ſibi debitam vi poſſe auferre ab eo, quia negare conſuevit. Hinc ſtomachatur conjux, & in periculum incontinentiæ conjicitur: atque vix a peccato mortali excuſari poteſt, qui petenti difficiliorem ſe reddere ſolet.

Dixi 3. *Petenti remiſſe*, quia ſi multum inſiſtat, lethaliter peccat alter, niſi morem ei gerat. Quin S. Th. in Suppl. quæſt. 64. art. 1. docet virum teneri debitum reddere uxori etiam expreſſe non petenti ex verecundia, quando vel ex ſignis, vel ejus ingenio advertit ipſam cupere hujuſmodi remedium: Quia, *inquit*, in redditione debiti medicamentum præſtatur contra uxoris concupiſcentiam; ſed Medicus, cui infirmus eſt commiſſus, tenetur morbo ejus ſubvenire, etiamſi ipſe non petat: Ergo vir uxori non petenti tenetur debitum reddere ... redditio quippe debiti eſt in viro ordinata contra peccata uxoris.

Dices: petitio iniqua omnino eſt reputanda: peccaret v. gr. qui gladium furioſo redderet: atqui maritus debitum inique petit ab uxore, quæ vel ventrem fert, vel menſtrua patitur, vel eſt in puerperio: Ergo uxor in triplici illo caſu tenetur marito reſiſtere, nedum obtemperare. Minoris ſunt tres partes.

Prima, quæ ſpectat prægnantes, probatur ex conſtanti Patrum doctrina. S. Ambroſius lib. 1. in Lucam: *Pecudes*, inquit, *muto quodam opere loquuntur generandi ſibi ſtudium, non deſiderium eſſe coeundi, ſi quidem ubi ſemel gravem alvum ſibi ſenſerint, & genitali alvo ſemen receptum, jam nec concubitui indulgeant, nec laſciviam amantis, ſed curam parentis aſſumunt.*

At

At vero homines, nec conceptis, nec Deus parcunt: illos contaminant, hunc exaſperant .... Ad cohibendam petulantiam tuam manus quaſdam tui Auctoris in utero hominem formantis advertit, ille operatur, & tu ſacri uteri ſecretum inceſtas libidine. Vel pecudem imitare, vel Deum verere. S. Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum ſic ſcribit: *Certe qui dicunt ſe cauſſa Reipublicæ, & generis humani uxoribus jungi, & liberos gignere, imitentur ſaltem pecudes, & poſtquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus ſe exhibeant, ſed maritos.* S. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 6. ſic habet: *Sunt viri uſque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quidquid ergo inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidumque gerunt; vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum.*

Secunda, quæ eſt de concubitu tempore menſtruorum, probatur ex Scriptura, Lev. 20. v. 18. ubi hæc præſcribuntur: *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo ... interficientur ambo de medio populi ſui*: Quæ pœna, cum ſit gravis, ſupponit in petente & reddente grave peccatum.

Nec dicas, præceptum illud, utpote legale, abrogatum fuiſſe per legem novam ex S. Auguſtino lib. 3. quæſt. in Lev. cap. 64. quæ hic prohibentur, figurate non ſunt accipienda, ſed tempore novi Teſtamenti: *Remota umbrarum veterum obſervatione, ſine dubio cuſtodienda ſunt*, maxime cum complexus tempore menſtruorum repugnet legi naturali, utpote admodum proli noxius. *Per ſingulos menſes*, inquit S. Hieronymus in cap. 18. Ezech. „ Gratia, atque torpentia mu„ lierum corpora immundi ſanguinis effuſione relevan„ tur: quo tempore ſi vir cum muliere coierit, di„ cuntur concepti fœtus vitium ſeminis trahere, ita „ ut leproſi & elephantiaci, ex hac conceptione na„ ſcantur. Præcipitur ergo viris, ut non ſolum in „ alienis mulieribus, ſed in ſuis quoque certa concu„ bitus noverint tempora. *Et S. Th. in 4. diſt. 32. q. 1.* „ *art. 2. Expendens laudatum textum Levitici, ſic ha*„ *bet*: Accedere ad menſtruatam in lege prohibitum „ erat

„ erat duplici ratione: tum propter immunditiam : „ tum propter nocumentum, quod in prole ex hu- „ juſmodi commiſtione frequenter ſequebatur : & quoad „ primum, præceptum erat cæremoniale, ſed quan- „ tum ad ſecundum, erat morale: quia, cum matri- „ monium ſit ad bonum prolis principaliter ordina- „ tum, ordinatus eſt omnis matrimonii uſus, quo „ bonum prolis intenditur: & ideo hoc præceptum „ obligat etiam in nova lege propter ſecundam ra- „ tionem, etſi non propter primam „. Hinc in Pœnitentiali Bedæ cap. 2. de fornicatione, 30. dierum pœnitentia mulctatur, qui ad uxorem tempore menſtrui fluxus acceſſerit.

Tertia pars, quæ eſt de tempore puerperii, probatur ex S. Gregorio, qui lib. 12. ep. 31. ſic reſpondet interrogationi decimæ S. Auguſt. Anglorum Epiſcopi: *Ad ejus concubitum vir ejus accedere non debet: quouſque qui gignitur ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant; quod videlicet ex ſola cauſſa incontinentiæ videtur inventum; quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque, quæ filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purgationis tempus tranſierit; viris ſuis non debent admiſceri.*

Ergo in tribus recenſitis caſibus uxor uſum conjugalem repudiare debet.

Diſt. maj. petitio iniqua eſt repudianda ſi ſit in damnum tertii, vel nulla adſit aſſentiendi neceſſitas, *Conc.* ſi non vergat in damnum tertii, adſitque aſſentiendi neceſſitas, *Nego* maj. licet enim uſurarius uſuras injuſte exigat, eas tamen licite ſolvit, quia inopia preſſus ſub fœnore mutuo accedit. Ideo autem gladius furioſo reddendus non eſt, quia illo abuſurus eſt in proximi nocumentum. At nuptiæ illud habent bonum, ut concubitus ſatiandæ concupiſcentiæ intentus, quod extra conjugium foret crimen damnabile, propter thori fidem, venialem habeat culpam, & qui exigenti obtemperat, ſpirituale ejus damnum, nempe

for-

fornicationem, avertit: *Hunc reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet conjugalem*, inquit S. Auguſtinus de bono conjugali c. 10. & cap. 7. *Cavere debet caritas conjugalis, nedum ſibi quærit, unde amplius honoretur; conjugi faciat, unde damnetur.*

Q. 3. *Quale eſt peccatum accedere ad uxorem tempore, vel graviditatis, vel fluxus menſtrui, & puerperii?*

R. 1. Debitum exigere ab uxore gravida non eſt peccatum mortale, ſed veniale dumtaxat, modo abſit periculum perdendi fœtum, etiam non animatum. Ita communiter Theologi cum S. Thom. in 4. diſt. 31. „ Ideo, *inquit Hieronymus*, vituperat acceſſum vi„ ri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita, quod „ ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando „ probabiliter timetur de periculo abortus.

Dixi: *Etiam non animatum; quia*, ut ait Eſtius in lib. 4. diſt. 21. §. 3. *Sicut qui alium impedit, ne lucrum faciat, peccat contra ſeptimum præceptum Decalogi, ita qui futurum hominem impedit: etſi non proprie occidat, peccat tamen eo genere peccati, quod ad homicidium reducitur*, quemadmodum recte docent S. Thom. & Bonaventura in hanc diſtinctionem, & S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 1. *Crudeli quadam libidine*, inquit, *ſeu libidinoſa crudelitate prolem volunt prius interire, quam vivere*. Porro graviori hujuſce peccati reos ſe conſtituunt, tam qui debitum reddit, quam qui exigit.

R. 2. Circa concubitum cum uxore menſtruata, ſitne peccatum mortale, an veniale, non ita conveniunt Theologi. Scotus, Richardus a Media-Villa, Liranus, Petrus Soto, cenſent lethaliter peccare tam exigentem, quam reddentem. Alii, ut S. Bonaventura, & Sylveſter peccatum ſolum veniale agnoſcunt in reddente. Paludanus vero, Cajetanus, Franciſcus a Victoria, & Dominicus Soto excuſant a culpa lethali tam exigentem, quam reddentem, docentque ambos reos eſſe peccati ſolummodo venialis, ſed gravis intra latitudinem hujus generis peccati. Demum in ſententia S.

Tho-

Thomæ, cui adhærendum videtur, peccat maritus, qui urget copulam, minime vero uxor, quæ quodammodo coacta intemperantiæ conjugis ſervit, ne eum in damnabile incontinentiæ periculum conjiciat. *Finaliter*, inquit S. Doctor 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. *ſi vir non deſiſtit a petitione; debet* (uxor) *debitum reddere poſcenti*. Expreſſe quidem non definit quale ſit peccatum poſcentis, ſed eo ipſo quo actum conjugalem in uxore innoxium pronuntiat, ſatis indicat non eſſe in viro lethalem, nec prolem inſici, ut Patroni oppoſitæ ſententiæ falſo ſupponunt contra quotidianam experientiam, qua conſtat conceptos ex corrupto ſanguine menſtruo haud naſci leproſos & elephantiacos.

Prohibitio igitur, quæ Levitici 15. legitur, partim cæremonialis eſt & judicialis, partim moralis. Quatenus cæremonialis & judicialis, ſub gravi peccato & pœna obligabat Judæos, ſed abrogata eſt per legem Evangelicam; quatenus autem moralis obligat quidem Chriſtianos: ſed ſub peccato veniali.

Q. 4. *Mulier, quæ hactenus mortuos edidit filios, teneturne abſtinere ab uſu conjugali?*

R. Hic quoque diſſentiunt Theologi, Sylvius in q. 64. ſupplementi art. 1. quæſito 4. Affirmat utrumque conjugem abſtinere teneri ſub peccato mortali, contenditque adverſus Sanchez & Bonacinam, non licere in illo caſu debitum petere ad vitandum magnum incontinentiæ periculum; cum eis non deſint alia remedia, quibus uti debent in abſentia, vel infirmitate alterutrius conjugis. Atque ea ratione idem Theologus 3. part. S. Thomæ ad q. 83. art. 3. probat adverſus alios non paucos actum conjugalem in loco ſacro, in quo conjuges diu detinentur, ut accidit tempore belli, eſſe illicitum, utpote non neceſſarium, ſacrumque locum polluere, & pro ſua ſententia laudat Navarrum, & alios.

Contra vero Joannes Major in c. 19. Matth. & Sambovius tom. 3. caſu 151. docent conjuges in iis circumſtantiis licite uti matrimonio, uxoremque lethaliter peccare, ſi marito petenti debitum pertinaciter deneget: quæ ſententia in praxi tenenda videtur. Et ratio

eſt,

eſt, quia contingere poteſt, & de facto nonnumquam contingit, ut quæ ſæpius abortum fecerat, aliquando tandem recte pariat, teſtaturque ibidem Sambovius ſe noſſe mulierem, quæ poſt quinque, aut ſex abortus, feliciter duas edidit filias, quæ dum hæc ſcriberet, junctæ erant matrimonio. Enimvero abortus ſæpe accidunt vel culpa conjugum, qui forte intemperantius, ac frequentius utuntur conjugio, ac propterea impeditur fœtus conformatio, & mulieris vires debilitantur, ita ut non ſit virtus pariendi: forte ipſa uxor fœtui non pepercit, nec ejus incolumitati ſat conſuluit: vel iſta fiunt per occultam Dei providentiam, ut ſcribit S. Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 21. ideoque ejus benedictio efflagitanda eſt crebris orationibus, eleemoſynis, & aliis bonis operibus; *hoc enim bonum eſt*, inquit Apoſtolus 1. Tim. 2. *& acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri*. Cum ergo ejuſmodi conjuges felicem partum deſpondere non debeant, ab uſu conjugii abſtinere non tenentur.

§. II.

De peccatis conjugum, quæ pugnant adverſus bonum prolis.

IN prole triplex bonum attenditur, ex S. Auguſtino lib. 9. de Gen. ad litteram c. 7. ſcilicet, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, & religioſe educetur. De peccatis quæ pugnant contra ſecundum & tertium bonum ſatis ſuperque diximus cap. præcedenti. Hic ſolum exponemus peccata, quæ adverſantur primo ex tribus recenſitis. Itaque

Q. 1. *In quo peccant conjuges adverſus ſuſcipienda prolis bonum?*

Priuſquam reſpondeam, uſurpare placet verba B. Cæſarii Arelatenſis ſerm. 8. *Rogo vos, fratres, ut mihi indulgeatis, quia pro ſalute animæ veſtræ cum grandi timore, & cum verecundia de talibus rebus vos admonere videor, quia & hoc mihi expedit dicere, & vos*

oportet audire. Obſcœna tamen & ſpurciſſima, quæ nonnulli Theologi morales, quos Caſuiſtas vocant, ſcribere non erubuerunt, ſilentio prætermittemus, adeo enim a ratione & Chriſtiana pudicitia ſunt aliena, ut ipſa natura vel impudentiſſimos doceat ea eſſe horrenda crimina, ſuperfluumque ſit legentium oculos & mentem offendere. Ea dumtaxat explicabimus quæ identidem Parochos & Confeſſarios anxios tenent, ut compertum eſt ex conſiliis, quæ a nobis requirunt.

His in excuſationem præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem

R. Graviter peccant conjuges,

1. Qui imitantur Her & Onan, de quibus ſic legitur Gen. 38. v. 7. *Her primogenitus Judæ, nequam in conſpectu Domini, & ideo ab eo occiſus eſt*. Peccabat autem ille, ut interpretes ex Hebræis referunt, quod cum uxore, quam deperibat ob ſingularem ejus pulcritudinem, ita conveniret, ut ex illa conſuetudine non ſequeretur generatio, ne geſtatio uteri, & dolores partus aliquid de uxoris venuſtate detraherent minuſque voluptatis ex ejus amplexibus perciperet: De Onan quoque habetur v. 9. *introiens ad uxorem fratris ſui* (quam ſecundum morem gentis ipſe duxerat) *ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Et idcirco percuſſit eum Dominus: eo quod rem deteſtabilem faceret*. Audiant & contremiſcant belluini conjuges, qui tam nefandas abſque Religione perpetrant, & monita Confeſſariorum nihil ducunt. Pari crimine aſtringuntur mulieres, 1. Quæ ne concupiſcant, ſuſceptum ſemen ejiciunt, aut ejicere conantur. 2. Quæ proprium privatim fundunt ex neceſſitate, ut putant, propter quam nonnulli Caſuiſtæ eas excuſant ſaltem a peccato mortali. Cum autem conſilii res ſit, & ad eam interdum hærent Confeſſarii, operæ pretium eſt eam exponere, ſed verbis aliorum utpote obſcœnam. Hæc eſt igitur eorum propoſitio: *poſtquam vir ſeminavit, & ſe retraxit ab uxore, quæ nondum ſeminavit, manente valde irritata libidine, poteſt ipſa, abſque mortali, tactibus ſe excitando ſeminare*. Hic inſiſtunt mulieres, cauſſanturque conjugium alioquin non fore remedium, ſed

cru-

cruciatum; cum intolerandi ſint æſtus libidinis per actum, qui præceſſit vehementius commotæ, nec unquam tam ardentes ignes paſſæ ſint, dum vitam cœlibem agerent, affirmantque continere ſe non poſſe in hujuſmodi circumſtantiis. Quid aget Confeſſarius?

Quoniam iſthæc incommoda accidunt ex natura frigidiore in quibuſdam mulieribus, conſulet Confeſſarius, ut ante actum conjugalem faciant quæ neceſſaria ſunt ad commovendam libidinem, ſecluſo tamen pollutionis periculo. *Ipſe ille licitus, honeſtuſque concubitus*, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 24. *non poteſt eſſe ſine ardore libidinis, ut peragi poſſit, quod rationis eſt, non libidinis. Qui certe ardor ſive ſequatur, ſive præveniat voluntatem, non tamen niſi ipſe quondam quaſi ſuo imperio movet membra, quæ moveri voluntate non poſſunt; atque ita ſe indicat non imperantis famulum, ſed inobedientis ſupplicium voluntatis, nec libero arbitrio, ſed illecebroſo aliquo ſtimulo commovendum, & ideo pudendum*. Igitur tactus, & alia quæ præmittuntur non voluptatis, ſed neceſſitatis gratia ad commovendum libidinoſum illum ardorem in ordine ad copulam, ſunt prorſus innoxia ſicut & ipſa copula, iiſque uti poſſunt & debent mulieres naturæ frigidioris, ne poſt concubitum acrioribus urantur ignibus.

2. Mortaliter peccant qui impediunt, ne concipiatur proles, vel conceptam extinguunt, de quo enormi crimine ſic ſcribit S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 15. „ qui hoc faciunt, quamvis vocentur „ conjuges, non ſunt (*ſcilicet, effectu*) nec ullam nu„ ptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen „ velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem „ quando eouſque progrediuntur, ut exponant filios, „ qui naſcuntur invitis. Oderunt enim nutrire vel „ habere, quos gignere metuebant. Itaque cum in „ ſuos ſævit, quos nolens genuit tenebroſa iniquitas, „ clara iniquitate in lucem promitur & occulta tur„ pitudo manifeſta crudelitate convincitur. Aliquando „ eouſque pervenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libi„ do crudelis, ut etiam ſterilitatis venena procuret;

„ & ſi

„ & ſi nihil voluerit, conceptos fœtus aliquo modo „ intra viſcera extinguat ac fundat, volendo ſuam „ prolem prius interire, quam vivere; aut ſi in utero jam vivebat, occidi antequam naſci. Prorſus ſi „ ambo tales ſunt, conjuges non ſunt; & ſi ab initio tales fuerunt, non ſibi per connubium, ſed per ſtuprum potius convenerunt. Si autem non ambo „ ſunt tales, audeo dicere, aut illa eſt quodammodo „ meretrix mariti, aut ille adulter uxoris.

3. Qui in vitia contra naturam prolabuntur. Quos autem propudioſis modis nefandum illud ſcelus nonnulli belluis laſciviores perpetrare ſoleant, pudet ex Caſuiſtis exſcribere, ſatis enim intelliguntur ex verbis Sancti Auguſtini lib. de bono conjugali cap. 10. ubi ſic habet: „ illum concubitum ſecundum veniam „ concedit (*Apoſtolus*) qui ſit per incontinentiam, „ non ſola cauſſa procreandi, & aliquando nulla cauſſa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed „ ignoſci impetrant, ſi tamen non ita ſit nimius, ut „ impediant quæ ſepoſita eſſe debent tempora orandi; „ nec immutetur in eum ipſum qui eſt contra naturam, „ de qua Apoſtolus tacere non potuit, cum de corruptelis nimiis immunderum & impiorum hominum loquetur. *Rom.* 1. *v.* 26. *& c.* 11. Iſte (*uſus*) qui eſt contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, ſed execrabilius in uxore. *Et infra*: cum vero vir membro „ mulieris, non ad hoc conceſſo, uti voluerit, turpior „ eſt uxor, ſi in ſe, quam ſi in alia fieri permiſerit.

Q. 2. *Quando uxor alterum Onan aut Sodomitam experitur in marito, qui etiam extrema minatur, niſi obtemperet, poteſtne permittere nefandam illam libidinem periculi vitandi cauſſa?*

R. Non poteſt abſque lethali peccato: quia concurret ad actum per ſe malum, nec uxorem ſe marito, ſed meretricem adultero præberet.

Confirmatur reſponſio auctoritate Cleri Gallicani, qui cum ad ſe delata fuiſſet anno 1700. iſta propoſitio: „ potuiſſet Suſanna in tanto periculo infamiæ, „ & mortis negative ſe habere, & permittere in ſe „ eorum libidinem, modo eam deteſtata & execrata fuiſ-

„ fuiſſet, *de ea ſic pronuntiavit* : Hæc propoſitio te-
„ meraria eſt, ſcandaloſa, caſtarum aurium offenſiva,
„ erronea & legi Dei contraria.

Q. 3. *Peccantne conjuges, qui immutant naturalem ſitum & ordinem, ſervato tamen vaſe debitu?*

R. Peccant mortaliter, quando ſe exponunt pollutionis periculo. Sed extra hujuſmodi periculum, qui immutant ex neceſſitate, forte quia aliter convenire nequeunt, nullatenus peccant. Si autem alter conjugum majoris captandæ voluptatis gratia belluinum hunc modum exigit, naturam humanam valde dehoneſtat, thorum nuptialem commaculat, & ideo dure increpandus eſt a Confeſſario; peccatum tamen illius ad malitiam peccati mortalis non pertingit.

Quæſt. 4. *Licetne ejicere fœtum certis adhibitis remediis, quando ſervari non poteſt abſque evidenti matris periculo?*

Reſp. 1. Certum eſt, extra hujuſmodi periculum damnabiliter peccare qui abortum procurant, etiamſi fœtus nondum ſit animatus, quia, ex Tertulliano Apologet. cap. 9. *homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, ac naſcentem diſturbet*. Sanctus quoque Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 15. illud crimen ad homicidium reducit: „ Aliquando, *inquit*, eouſque pervenit
„ hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, ut
„ etiam ſterilitatis venena procuret, & ſi nihil va-
„ luerit, conceptos fœtus aliquo modo intra viſcera
„ extinguat ac fundat, volendo ſuam prolem potius
„ interire, quam vivere; aut ſi in utero jam vive-
„ bat, occidi antequam naſci. Prorſus ſi ambo tales
„ ſunt, conjuges non ſunt, & ſi ab initio tales fue-
„ runt, non ſibi per connubium, ſed per ſtuprum
„ potius convenerunt. Si autem non ambo ſunt ta-
„ les, audeo dicere, aut illa eſt quodammodo mere-
„ trix mariti, aut ille adultus uxoris.

Denique Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. damnarunt ſequentes propoſitiones:
1. *Licet procurare abortum ante animatum fœtum, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

tur. 2. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eam habere, cum paritur, ac conſequenter dicendum in nullo abortu homicidium committi.* Quas propoſitiones Clerus Gallicanus cenſura ſic notavit: *Hæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, erroneæ, infandis homicidiis & parricidiis procurandis aptæ.*

R. 2. Qui procurant abortum fœtus animati, peccant mortaliter; etiamſi alioquin ſit periculum, ne fœtus ſimul cum matre vitam amittat, quia numquam licet innocentem occidere, nequidem pro conſervanda alterius vita. Quod ſi dubitetur an fœtus ſit animatus, Sylveſter verbo, *Medicus*, ſcribit non poſſe ejici abſque gravi peccato; *videtur*, inquit, *dando medicinam peccare mortaliter*, quia exponit ſe periculo homicidii.

Dices, aggreſſorem occidere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, atqui fœtus eſt aggreſſor matris, tamque peremptorius eſt, ut ſupponitur, niſi ipſe interficiatur: Ergo.

Nego minorem; neque enim parvulus Deo operante, & in utero materno formatus & incluſus magis eſt aggreſſor, quam pueri forte ſedentes aut ludentes in via, per quam eques laxatis habenis fugit adverſarium, qui eum ad mortem inſequitur. Sicut ergo non licet fugienti conterere illos pueros, etiamſi aliter propriæ ſaluti conſulere nequeat; ita nec matri periclitanti, nec Medico fœtum animarum interficere.

Inſtas: ordo caritatis poſtulat, ut vitam noſtram temporalem mortis periculo exponamus pro æterna proximi ſalute: *temporalem vitam ſuam*, inquit S. Auguſtinus lib. de mendacio, cap. 6. *pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere*: atqui fœtus animatus æternam damnationem vitare nequit, ut ſupponitur, ſine matris interitu: ergo in extremo iſto prolis periculo mater occidenda eſt, nedum fœtus, cujus ſaluti temporali & æternæ conſulendum.

Nego conſeq. ex præmiſſis enim ſic concludere oportuit: ergo mater vere Chriſtiana pro æterna prolis ſalute

lute mori parata eſſe debet ; ſed nec ipſa ſibi , nec Medicus, aut quivis alius mortem ipſi conſciſcere licite poteſt : quia Deus , qui ſolus eſt dominus vitæ & necis , nemini permiſit innocentem interficere . Medicus tamen in ejuſmodi circumſtantiis poteſt adhibere remedium per ſe ſalutare, licet cum matris & prolis periculo , quia ſatius eſt aliquam ſalutis ſpem injicere aut concipere , quam de ſalute omnino deſperare : atqui abſque illo remedio prorſus deſperata eſt (ut ſupponitur). temporalis ſalus matris : quin & æterna prolis ; per illud vero remedium ſpes aliqua effulget: Ergo.

Nec refert , quod remedium mortem forte inferat utique , matri ſcilicet & proli ; tum quia ſi remedium non adhibeatur; mater & proles in majori verſabuntur periculo , ut ſupponimus; tum quia mors continget præter intentionem Medici prudenter operantis juxta artis regulas: quæ autem præter intentionem accidunt, non imputantur agenti , cum illa non ſint voluntaria , & agens in periculum ſe conjecerit ex cauſſa juſta . Sic omnes Theologi a peccato illum excuſant, qui ea peragat , quæ ſunt ſui officii ; quamvis prævideat inde pollutionem forte ſecuturam , ſed abſque conſenſus periculo.

Q. 5. *Si fœtus nondum ſit animatus , licebitne eum ejicere in extremo illo periculo?*

R. Affirmant communiter Theologi . S. Antoninus 3. part. tit. 7. c. 2. paragr. 2. laudat Joannem Neapolitanum pro hac ſententia , quam ipſe amplectitur : ſcribit Medicum non ſolum poſſe , ſed etiam debere fœtum ejicere, ſi ſaluti matris aliter conſuli non poſſit . Idem ſentit Sylveſter verbo *Medicus* , quæſt. 4 Eſtius in 4. diſt. 21. paragr. 3. docet licere abortum procurare, quando fœtus non eſt animatus , quemadmodum amputandum eſt membrum pro ſalute totius corporis periclitantis. Sanchez lib. 9. diſp. 20. n. 18. & 19. plures numerat Theologos & Canoniſtas , ut Covarruviam in Clementinam *Si furioſum* , Armillam verbo *abortus* ; Navarrum cap. 25. n. 62. Cordubam in ſum-

ſumma q. 173. & alios, qui ſtant pro hac ſententia; quam ipſe ſequitur utpote communem.

Dices: ex Tertulliano ſupra citato, *homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt & qui eſt futurus, & fructus omnis jam in ſemine eſt.* Hinc crimen reputatur, ſi quis det aut accipiat ad vitandam mortem remedia, quæ directe pollutionem provocent; maluit mori ſanctus Caſimirus, quam fœdari: Ergo.

Nego conſeq. quia in propoſito caſu non diſturbatur anima naſcitura, cum nondum creata ſit; nec ex ſemine jam deciſo & male affecto fructus ſperatur, quemadmodum ex ſemine vitali, quod perdere, ne proles naſcatur, grande nefas & homicidii aliqua ſpecies. Hujus autem criminis reatum incurrit 1. puella, quæ abortum ſibi infert ad vitandam gravem infamiam, vel etiam mortem ex graviditate, quæ alias foret ſecutura. 2. qui pollutionem commovet ſanitatis cauſſa; quia perdit fructum, hoc eſt, hominem, qui in ſemine eſt, ut ait Tertullianus. At ſemen jam exciſum, & intra viſcera detentum, ut iis aliquando accidit, qui moribus ſunt caſtiſſimis, jam non reputatur ſemen, utpote non vitale, ſed noxius humor, qui inficit vicinas corporis partes, & morbos creat, quibus exſpiratione, Gallice, *tranſpiration*, mederi neceſſe eſt: atqui fœtus nondum animatus in extremo matris periculo eſt veluti humor infectus & inficiens, ex quo fructus ſeparari non poteſt.

Q. 6. *Licetne conjugibus abſtinere ſe a conjugio, ne familia numeroſiore prole gravetur?*

Reſpondeo 1. Non licet, niſi ambo libere in id conſentiant, peccaretque graviter, qui alteri exigenti debitum negaret, quia non habet poteſtatem corporis ſui.

R. 2. Laudandi ſunt quidem conjuges, qui perfectioris continentiæ ſtudio incitati, ex conſenſu ſe thoro ſeparant. At ſine ſingulari illo Dei dono temere hac de re paciſcuntur. Compertum enim eſt plura

& gravia ex ejuſmodi pactione ſequi incommoda, niſi ad eam provocet flagrans vitæ ſanctioris deſiderium; nimirum tepeſcit amor conjugalis, animorum nexus remittitur, individua ſocietas minus grata evadit, acrius pungunt ignei carnis ſtimuli, quibus conjuges vel in damnabiles corruptelas pertrahuntur vel contabeſcunt, ut aliquando vidimus; pudet enim ad neceſſarium remedium recurrere, ne alter infirmitatem ac levitatem exprobret. Hæc & alia mala prævidiſſe videtur Apoſtolus, cum 1. ad Cor. 7. ſcribit: *nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas*. In Dei ergo providentia confidant pii conjuges; qui enim dat benedictionem uteri, dabit etiam benedictionem rei familiaris. *Reſpicite volatilia cæli*, ait Dominus Matth. 6. *quoniam non ſerunt, neque metunt; neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?*

§. III.

De peccatis conjugum, quæ pugnant contra ſanctitatem Sacramenti.

Omnia quidem peccata, quæ duobus præcedentibus paragraphis enumeravimus uti contraria vel fidei thori, vel bono prolis; pugnant etiam contra ſanctitatem Sacramenti. Sed plura alia in conjugibus ſunt improbanda, quæ licet nec fidem thori, nec bonum prolis lædant, ſanctitati tamen Sacramenti valde repugnant.

Q. 1. *Quænam ſunt illa peccata?*

R. 1. Quæ ſacrilegam Sacramenti perceptionem efficiunt. 2. quæ interturbant individuam conjugum ſocietatem. 3. quæ thorum nuptialem maculant.

Quæſtio 2. *Quinam peccant in perceptione hujus Sacramenti?*

R. Peccant,

1. Qui

1. Qui cum conſcientia peccati mortalis ad illud Sacramentum accedunt; matrimonium enim ideo dicitur Sacramentum vivorum, quia exigit a ſuſcipientibus, ut omnem peccandi affectum per veram pœnitentiam depoſuerint, accedantque tamquam ex mortuis viventes: viventes, inquam, per caritatem ſeu gratiam ſanctificantem, quæ eſt vita animæ, alioquin grandis ſacrilegii reos ſe conſtituerent, benedictioque nuptialis ipſis in maledictionem verteretur. Eſt autem veriſimilius magnum illud Sacramentum indigne eos percipere, qui uſque ad nuptiarum diem in voluptatum cœno volutati, ad Sacramentum Pœnitentiæ coacti quodammodo accedunt, cum alias non admitterentur ad benedictionem nuptialem. Hic cruciantur Parochi, qui (ut debent in periculo animæ ſuæ) Sanctum canibus dare formidant. Exemplum non infrequens proponam. Concubinarii a ſe invicem divelli nequeunt cum magna Parochiæ offenſione, propter quam ex indulgentia tollitur impedimentum, puta affinitatis, quo conſtringebantur, ut eorum cohabitatio per legitimum matrimonium evadat licita, ſicque mutatur rerum ſtatus ſublata peccandi occaſione; an vero ipſi corde mutantur? Suntne animo ita comparati ut ſi abſque Dei offenſa ſociari non poſſent, in æternum ab invicem ſe ſeparent. Profecto Confeſſarius illud prudenter non præſumet, niſi clariora dent pœnitentiæ ſigna.

2. Sacramentum indigne accipiunt qui ad illud præcipue ducuntur deſiderio alicujus boni temporalis. Probat S. Th. in 4. diſt. 31. q. 2. art. 2. ad 4. argumento a ſimili; quia ſicut qui ad Baptiſmum accedit ſola ſpe conſequendi ſanitatem corporalem, proculdubio peccat, & abutitur re ſacra: ita qui ſimili intentione benedictionem nuptialem ſuſcipit; *quamvis*, inquit, *intendere ſanitatis converſationem non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo intendatur, quod non eſt ad hæc de ſe ordinatum, ſicut qui ex Sacramento Baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret; & ſimiliter eſt in propoſito de actu matrimonii*. S. Thomæ præiverat Guillelmus Pariſienſis tractatu de matrimo-

nio c. 6. ubi conceptis verbis aſſerit profanam ejuſmodi intentionem eſſe peccatum lethale. Operæ pretium eſt verba tam celebris Theologi integra referre. „ Quia amore explendæ libidinis ſuæ tantum forinſecus matrimonia ineunte, poteſt eis dici, ſicut Archangelus Tobiæ 6. in eoſdem dicit prævalere dæmonium. Utrum autem peccet mortaliter, qui cauſſa voluptatis carnalis tantum uxorem ſuam cognoſcit, reſpondemus quod non. Sed in matrimonium propter ſolam voluptatem carnalem, aut ſolam avaritiam, aut ſuperbiam, initio iniit & contraxit, bonis excluſis ac neglectis, id eſt, non curatis, ibi veriſimile eſt illum peccaſſe mortaliter. Aliud enim eſt ad horam impetu & vehementia concupiſcentiæ trahi, aliud eſt totam vitam dare concupiſcentiæ, ſeque illi quodammodo mancipare, quod indubitanter facit qui ſic matrimonium contrahit. „ Eadem docet Sambovius tom. 3. caſu 165. ubi aſſerit peccare mortaliter juvenem, qui ducit vetulam ſolo intuitu temporalium, quæ pollicetur.

3. In Sacramentum graviter delinquunt, qui ad illud tamquam ad ſpectaculum profanum accedunt; quique ſolemnitatem nuptiarum adornant pompis Satanæ, hoc eſt, ut ex Conciliis alibi interpretati ſumus, luxu, choreis, conviviis flagitioſis, a quibus pudor exulat, ubi ſobrietas & modeſtia vertuntur in crimen, amatoria & obſcœna cantica aures demulcent, nedum ferunt; denique probroſa Gentilium bachanalia ad tanti Sacramenti ſolemnitatem transferuntur. Non miremus, quicunque ſtatum Eccleſiæ miſeramur, quod tam infauſta ſint plura Chriſtianorum conjugia. Numquid enim Chriſtus cum diſcipulis ſuis aderit ejuſmodi nuptiis, in quibus homines Deum a ſe & a ſua mente excludunt? Et vero quæ participatio juſtitiæ, cum iniquitate; aut quæ conventio Chriſti ad Belial (ait Apoſtolus 2. Cor. 6.) Quin Canones præcipiunt ſacris Miniſtris, ut fugiant iſthæc hoſtium Chriſti ſedilia, aerem ſceleſtis vocibus conſtupratum, ut loquitur Tertullianus, ac propterea multis in diœceſibus deſiit ſa-

cer

cer ac laudabilis ritus benedicendi lectum nuptialem; præſcriptus tamen in pleriſque libris ritualibus, nimis quippe indecens eſt divina obire munia inter Juvenes mero & libidine inſanientes. Iſta vident fideles abſque offenſione, maxime in pagis, vident & Paſtores, quidam quidem cum dolore; ſed pauci ea qua par eſt animi fortitudine tantæ impietati obſiſtunt. Periculoſum eſt, inquit, conari adverſus æſtum conſuetudinis: *ſi diffidis tu*, ait S. Bernardus lib. 4. de conſid. cap. 3. *apud Deum non erit impoſſibile omne verbum, ſi dura fronte ſunt, durato & tu e contra tuam. Nihil tam durum, quod duriori non cedat.* Vidimus aliquando, qui aſſidue docendo, inſtanter obſecrando, & duriores vehementius increpando, obtinuerunt tandem ut in Parochia nuptiarum ſolemnitas cultu religioſo, ut decet, celebraretur, & tota dies in gratam memoriam Sacramenti accepti pie ageretur.

Q. 3. *Quare conjugum rixæ, diſſidia, & cetera quæ turbant ſocietatem conjugalem, repugnant ſanctitati Sacramenti?*

R. Quia matrimonium, quatenus Sacramentum, eſt ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia, confertque conjugibus gratiam, qua divinum illud exemplar imitentur, *ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto*, inquit Apoſtolus Eph. 5. *ita & mulieres viris ſuis in omnibus, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe Salvator corporis ejus;* hæc ad mulieres: ad viros autem ſic pergit idem Apoſtolus, *viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Atqui vir & mulier ſibi non conſentientes, aliud prorſus referunt quam nexum caritatis, quo Chriſtus & Eccleſia conjunguntur, Sacramentum matrimonii fruſtrantur effectu, ad quem inſtitutum eſt, & nuptiis detrahunt quantum in ipſis eſt, rationem ac dignitatem Sacramenti, quam in eo ſitam eſſe diximus, quod ſit ſacrum ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia. Quis enim ſimilem dixerit

ſponſo Eccleſiæ, maritum, qui, ut verbis Sapientis utar Eccli. 4. agit in domo ſua tamquam leo ſubvertens domeſticos ſuos; quin leone immanior, hic quippe caveam ſuam ingrediens ponit feritatem, cum leæna pacate agit, catulis patrem ſe exhibens, eos leniter, amanterque fovet ac nutrit. Ille contra e publico domum rediens exuit humanitatem & comitatem, qua exteros excipere ſolet; ſimulque induit ferinos mores, quibus uxorem de mente dejicit, totamque miſcet familiam.

Nec minus amoribus ſponſæ Chriſti diſcrepant mulieres querulæ, repugnaces, & viris adeo moleſtæ, ut Sancto Auguſtino nihil occurrat aptius ad pingendum conſcientiæ malæ tormentum, quam exemplum mulieris rixoſæ, ac tetricæ. „ Attendat ſanctitas veſtra, „ *inquit in Pſalm.* 33. quomodo nolunt intrare domos ſuas, qui habent malas uxores, quomodo „ exeunt ad forum, & gaudent: cœpit hora eſſe, „ qua intrent in domum ſuam, contriſtantur, intraturi ſunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines . . . . & melius eſt eis foris circumire. „ Si ergo miſeri ſunt, qui cum redeunt ad parietes „ ſuos, timent ne aliquibus ſuorum perturbationibus „ avertantur: quanto ſunt miſeriores, qui ad conſcientiam ſuam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur? „

Sed quo tandem ducunt tumultuantia ejuſmodi conjugia, niſi ad locum, ubi nullus eſt ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Enimvero extremum illud ſupplicium iis congruit, qui ſacratiſſimum ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia tam impie violant, ſanguinem Chriſti, cujus virtute ſacramentaliter conjuncti ſunt, pollutum ducunt, ut loquitur Apoſtolus Heb. 10. & contumeliam faciunt ſpirituali gratiæ per benedictionem nuptialem ipſis collatæ, ut alter alterius onera ſeu vitia portaret per compaſſionem, lenitatem, benevolam correptionem, & orationem.

Q. 4. *In quo conjuges, qui mutuam fidem ſibi ſervant, thorum nuptialem maculare poſſunt?*

R. Ma-

R. Maculant, ſi petulantius & impudentius agant inter ſe voluptatis cauſſa; *quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis*, inquit S. Auguſtin. lib. de bono conigali cap. 16. *quod eſt in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc eſt in conjugibus venialis ille concubitus*. Quæ ſententia ut evidentior fiat, in ſyllogiſmi formam ſic reducitur. Conjuges, ſicut in propria menſa, ita in legitimi conjugii thoro modeſtiæ & temperantiæ leges ſervare tenentur: atqui conjuges in propria menſa, licet jus habeant utendi cibis licitis, qui in ea apponuntur, peccant tamen contra temperantiæ legem, ſi eos aſſumunt ad voluptatem: Ergo ſimiliter in proprio lecto peccant, ſi jure ſuo utuntur explendæ voluptatis cauſſa. Major eſt Sancti Auguſtini loco mox citato.

Minorem negarunt nonnulli moderni Theologi morales, quorum fuit hæc propoſitio: „ Comedere & „ bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non „ eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia li„ cite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. „ Sed ad ejuſmodi Scriptores liceat transferre verba S. Auguſtini ad Julianum concupiſcentiæ defenſorem: *Obſecro te, non ſit honeſtior Philoſophia Gentilium, quam noſtra Chriſtiana, quæ una eſt vera philoſophia*. Ipſi quippe Gentiles Philoſophi docent delectabilia non eſſe propter ſe expetenda, ſed iis dumtaxat utendum ex neceſſitate, *Vir temperans*, inquit Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 11. *appetit delectabilia propter ſanitatem, vel propter bonam habitudinem*. Seneca quoque lib. de vita beata cap. 88. *temperantia voluptatibus imperat, alias odit atque abigit* (ſcilicet rationi noxias;) *alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit; nec unquam ad eas propter ſe venit*. S. Auguſtinus ſpeciatim de uſu alimentorum ſic loquitur lib. 10. Confeſſ. c. 31. cum „ ſalus ſit cauſſa veſcendi & bibendi, adjungit ſe tam„ quam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerum„ que præire conatur, ut ejus cauſſa fiat, quod ſa„ lutis cauſſa me facere, vel dico vel volo. „ Et

nonnullis interjectis, ſic pergit S. Doctor, „ in his „ tentationibus poſitus, certo quotidie adverſus con- „ cupiſcentiam manducandi & bibendi . . . Et quis „ eſt, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra „ metas neceſſitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, ma- „ gnificet nomen tuum. Ego autem non ſum, quia „ peccator homo ſum. „ Quapropter citatam modernorum propoſitionem merito damnarunt Innocentius XI. anno 1679. uti ſcandaloſam, & Clerus Gallicanus anno 1700. tamquam temerariam, ſcandaloſam, perniciosam, erroneam, & ad Epicuri ſcholam ablegandam.

Ergo conjuges ſimiliter peccant, quando in complexu carnali voluptatem aut ſolam, aut ſimul cum deſiderio prolis ſuſcipiendæ intendunt. „ Concubitus „ neceſſarius cauſſa generandi, *inquit S. Auguſtinus* „ *lib. de bono conjugali cap.* 10. inculpabilis, & ſo- „ lus ipſe nuptialis eſt. Ille autem qui ultra iſtam „ neceſſitatem progreditur, jam non rationi, ſed li- „ bidini obſequitur. Et hanc tamen non exigere, ſed „ reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, „ ad perſonam pertinet conjugalem. Si autem ambo „ tali concupiſcentiæ ſubjiguntur, rem faciunt non „ plane nuptiarum. Et ſerm. 51. *alias* 63. *de diverſis* „ *cap.* 13. qui uxoris carnem amplius appetit, quam „ præſcribit limes ille, *liberorum procreandorum cauſ-* „ *ſa*, contra ipſas tabulas facit, (*id eſt*, *inſtrumen-* „ *tum*, *ſeu litteras pactionum matrimonialium*) quibus „ eam duxit uxorem. Recitantur tabulæ, & recitan- „ tur in conſpectu omnium aſtantium; & recitantur, „ *liberorum procreandorum cauſſa*. Niſi ad hoc dentur, „ ad hoc accipiantur uxores, quis ſana fronte dat „ filiam ſuam libidini alienæ? Sed ut non erubeſcant „ parentes cum dant, recitantur tabulæ, ut ſint ſo- „ cri, non lenones . . . . erubeſcat maritus aliter „ accipere, ſi erubeſcit pater aliter dare. *Et infra*, „ nunquid hoc non eſt peccatum, amplius, quam „ liberorum procreandorum neceſſitas cogit, exigere a „ conjuge debitum? Eſt quidem peccatum, „ &c. S.

Augu-

Auguſtino ſubſcribunt S. Fulgentius epiſt. 1. cap. 3. & 4. Beda in cap. ſeptimum 1. ad Cor. Guillelmus Pariſienſis ſupra laudatus, S. Thom. in 4. diſt. 31. quæſt. 2. art. 2. *duobus ſolis modis*, inquit, *abſque omni peccato conveniunt, ſcilicet cauſſa prolis procreandæ, & debiti reddendi; alias autem ſemper eſt ibi peccatum, ad minus veniale.* Et in reſponſione ad quartum ſcribit, uti matrimonio ob ſanitatem corporalem, eſſe peccatum veniale. Denique hæc doctrina adeo conſtans eſt apud Catholicos, ut Innocentius XI. an. 1679. hanc quorundam recentiorum propoſitionem proſcripſerit, *opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa, ac defectu veniali.*

Q. 5. *Suntne excuſandi a peccato, qui matrimonio utuntur in remedium, contra graviora peccata, puta adulterium?*

Circa hanc quæſtionem non æque conveniunt Theologi, ac circa præcedentem. Guillelmus enim Antiſſiodorenſis, Durandus, Paludanus, Sylveſter, & alii non pauci eos ab omni peccato immunes declarant, tum quia ex S. Auguſtino lib. 9. de Geneſi ad litteram c. 7. *utriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis recte excipitur honeſtate nuptiarum, ut quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægrotis remedium;* tum quia licite contrahunt: quibus nulla ſpes eſt ſuſcipiendæ prolis ob ætatem provectiorem. Verum iſta momenta morari non debent.

Non primum; quis enim dixerit in uſu alimentorum licere voluptatem quærere, ex eo quod creata ſint in remedio infirmitatis humanæ? Igitur qui ſibi diffidentes, nec vitam cœlibem, neo perpetuam a carnibus abſtinentiam profiteri volunt, abſque peccato liberioris vitæ genus eligere poſſunt in infirmitatis remedium. Sed non ſequitur eos non peccare, ſi voluptati ſerviant in uſu ſive carnis ſive matrimonii.

Non ſecundum, quia cum ex dictis matrimonium non conſiſtat in complexu carnali, ſed in nexu animorum per caritatem, ſenes licite ac honeſte contra-

bere poſſunt, in mutuum ſubſidium ac ſolatium. Verum ſi nulla ſit ſpes ſuſcipiendæ prolis, debitum conjugale abſque peccatum exigere nequeunt. Dico, exigere, quia exigenti reddere nullum eſt peccatum, *cavere debet caritas conjugalis*, inquit S. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 6. *nedum ſibi quærit, unde amplius honoretur, conjugii faciat unde damnetur*. Cum igitur hæc ſententia fundamento ſatis firmo non nitatur,

R. Ejuſmodi conjuges a peccato non ſunt excuſandi. Eſt aperta S. Aug. doctrina pluribus in locis; ſed maxime Enchiridii c. 78. in quo S. Doctor expendit verba Apoſtoli 1. Cor. 7. *iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram*, ubi Apoſtolus manifeſte loquitur de opere conjugali tanquam remedio adverſus incontinentiam. Et nihilominus Sanctus Auguſtinus in illo opere peccatum agnoſcit his verbis: „ putari poſſet non eſſe „ peccatum miſceri conjugi non filiorum procreando„ rum cauſſa, quod bonum eſt nuptiale; ſed carna„ lis etiam voluptatis, ut fornicationis, ſive adul„ terii, ſive cujuſquam alterius immunditiæ mortife„ rum mālum, quod turpe eſt etiam dicere: quo „ poteſt tentante Satana libidq pertrahere, inconti„ nentiam devitet infirmitas. Poſſet ergo, ut di„ xi, hoc putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet „ (Apoſtolus) hoc autem dico ſecundum veniam, non ſeccundum imperium. „ Quis autem jam eſſe pecca„ tum neget, cum dari veniam facientibus Apoſto„ lica auctoritate fateatur?

S. Thomas eandem amplectitur ſententiam in Suppl. q. 49. art. 5. ad 2. *Si aliquis*, ait, *per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non eſt aliquod peccatum; quia hæc eſt quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet; ſed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi aliqua infirmitas, & ſecundum hoc eſt peccatum veniale; nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus*. Similia habent S. Bonaven-

venturâ; & Richardus in eandem diſt. 31. & ex recentioribus Eſtius, Sylvius, & alii communiter.

Confirmatur, quia conjux qui debitum exigit ad extinguendos ignes libidinis concupiſcentiæ obſequitur, quam refrænare poſſet orationibus, & piis aliis operibus.

Q. 6. *Quale eſt peccatum illa conjugum intemperantia?*

R. Una eſt Theologorum ſententia eſſe peccatum ex natura ſua ſolummodo veniale. S. Thomas citata quæſtione 49. ſupplem. art. 6. quorundam opinionem refellit, qua docebant peccatum eſſe mortale, quando ad actum conjugalem libido principaliter movet; communemque ſtatuit his verbis: „ Si quæratur delectatio intra limites matrimonii, ut ſcil. talis delectatio in aliena non quæreretur, quam in conjuge, „ ſic eſt veniale peccatum: „ probatque tum exemplo alimentorum, quibus ſi quis utatur ad delectationem tantum, mortaliter non peccat, tum auctoritate S. Auguſtini, qui ejuſmodi infirmitates conjugum numerat inter peccata quotidiana, pro quibus dicitur, *Pater noſter*, &c. Quocirca inquit S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 14. „ etiam hinc ſunt „ laudabiles nuptiæ, quia & illud, quod pertinet ad „ ſe, ignoſci faciunt propter ſe: „ id eſt illa voluptas venerea, quæ extra nuptias foret lethale peccatum, per nuptias veniale efficitur peccatum.

Dixi, *ex natura ſua*, quia per accidens ejuſmodi intemperantia lethalis eſſe poteſt.

1. Quando plurimum nocet valetudini ſive exigentis debitum, ſive reddentis, quemadmodum Theologi communiter docent de peccato gulæ.

2. Cum quis in complexu carnali ad aliam, quam ad conjugem attendit, aut paratus eſt etiam libidinem explere cum alia non conjuge. Ita S. Thomas in 4. diſt. 31. quæſt. 2. art. 3. „ Si, *inquit*, delectatio quæratur ultra honeſtatem matrimonii, ut „ ſcilicet aliquis in conjuge non attendat quod conjux eſt, ſed ſolum quod mulier eſt, idem pa„ ratus facere cum ea, ac ſi non eſſet conjux, eſt

 „ pec-

„ peccatum mortale. *Et in reſponſione ad* 1. Tunc „ voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando „ nihil aliud in ea attendit, quam quod in meretri- „ ce attenderet. *Ex S. autem Hieronymo lib.* 1. *ad-* „ *verſus Jovinianum*, nihil eſt fœdius, quam uxorem „ amare quaſi adulteram.

3. Si ita frequens ſit, vel intempeſtivus actus conjugalis, ut impediat tempora, quæ orationi debentur. Hæc exceptio eſt S. Auguſtini l. de bono conjugali cap. 10. ubi ſic habet: „ illum concubitum ſe- „ cundum veniam concedit (*Apoſtolus*) qui fit per „ incontinentiam, non ſola cauſſa procreandi; & ali- „ quando nulla cauſſa procreandi, quem nuptiæ non „ fieri coguntur, ſed ignoſci impetrant; ſi tamen non „ ita ſit nimius, ut impediat quæ ſepoſita eſſe debent „ tempora orandi. „ Quæ verba non ſic accipienda ſunt, ut credantur conjuges, qui conveniunt tempore orationis, id eſt, feſtis diebus, hoc ipſo peccare mortaliter, nam ex S. Thoma in Supplem. q. 64. art. 6. non peccat mortaliter uxor vel vir, ſi in die feſtivo debitum petat. Per nimium igitur concubitum frequentiorem intelligi S. Auguſtinus, quo animus ita carni immergitur, ut ad Deum per orationem aſſurgere nequeat, quia, ut ſcribit S. Doctor lib. 1. Soliloquiorum cap. 10. „ Nihil magis ex arce mentis deje- „ cit animam virilem, quam blandimenta feminea, „ corporumque ille contactus, ſine quo uxor haberi „ non poteſt. „ Hypocrates actum conjugalem comparat morbo comitiali, qui uſum rationis tollit. Addit Ariſtoteles Ethicorum 8. in eo actu non ſolum impoſſibile eſſe aliquid intelligere, verum etiam poſt eum minus idoneum eſſe hominem ad rationis officia. Porro quis a peccato mortali excuſet conjuges libidine ſic inſanientes diebus non ſolum profeſtis, ſed etiam ſolemnioribus, dicente Domino Gen. 6. *non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt?* Unde vero caro? quia intemperantius agebant in conjugio, alioquin legitimo. An non propter ſimilem intemperantiam prævaluit dæmon in ſeptem viros Saræ, Tobiæ 6. *Oſtendam tibi*, inquit Angelus, *qui*

ſunt

ſunt quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe & a ſua mente excludant, & libidini ita vacent ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. Itaque complexus maritalis tum ſolum damnabiliter exercetur diebus feſtis, cum ex nimia frequentia hominem ita reddit carneum, ut e cœno voluptatum, in quo volutari ſolet, emergere nequeat hiſce diebus orationi conſecratis. Alias debitum conjugale exigere iiſdem diebus, peccatum quidem eſt; ſed veniale: reddere vero, nullum, quia, ut obſervat S. Franciſcus Saleſius, creditori exigenti debita ſolvere oportet, etiam feſtis diebus.

Q. 7. *Unde habetur complexum carnalem exigere diebus feſtis, eſſe peccatum?*

R. Ex pluribus canonibus, qui referuntur cauſſa 33. quæſt. 4. probatque S. Thom. argumento a ſimili in Suppl. quæſt. art. 5. *Sicut aliqua loca ſunt ſacra*, inquit, *quia deputata ſunt ſacris: ita aliqua tempora ſunt ſacra propter eandem rationem; ſed in loco ſacro non licet petere debitum.*

Dices: Feſtis diebus remedia adhibere licet periculoſis corporum morbis: ergo & animorum: atqui concupiſcentia eſt periculoſus animi morbus, qui diebus feſtis aliquando ingraveſcit: ergo tunc ſaltem adhibere licet remedium, quod ſuppeditant nuptiæ.

Conceſſo 1. argumento S. Thom. negat ſubſumpti conſequentiam: *Quia*, inquit in reſponſione ad primum, *tempore illo poſſunt alia adhiberi ad concupiſcentiam reprimendam, ſicut oratio & multa hujuſmodi, quæ etiam illi adhibent, qui perpetuo continent.*

Q. 8. *Quid ſentiendum eſt de tactibus obſcœnis inter conjuges?*

R. 1. Si exercentur cum pollutionis periculo, ſunt peccata lethalia. 2. Si abſque illo periculo, vel adhibentur ut neceſſarii ad copulam licitam & vere maritalem & ſic omni culpa carent: vel ſunt ſuperflui, & fiunt voluptatis cauſſa, ſive in ordine ad copulam, ſive abſque

illo

illo ordine, & hoc modo ſunt ſemper peccata: ſed ut plurimum venialia propter bonum nuptiarum. Caſuiſtæ tamen quoſdam tactus recenſent adeo turpes, & infames, (quos ex eorum ſcriptis exſcribere pudor non ſinit) ut a mortali excuſari nequeant; ſunt enim ſigna libidinis prorſus dominantis, quæ caritatem, non ſecus ac ſummum frigus calorem prorſus expellit. Quia Sanchez, qui in prima editione propudioſas illas turpitudines in conjugibus veniales ſcripſerat, in poſteriori editione anni 1614. ſententiam revocavit.

Q. 9. *Quid ſi conjux in abſentia alterius libidinoſe ſe tangat, vel deliberate delectetur cogitatione conſortii habiti vel habendi cum conjuge abſque tamen pollutionis periculo?*

R. Mortaliter peccat; quia ejuſmodi impudici tactus, vel cogitationes, naturaliter commovent ſpiritus genitales, pollutionemque inchoant. Conſule quæ diximus tractatu de peccatis cap. 9. de cogitationibus moroſis.

COROLLARIUM.

Ex dictis decurſu hujuſce cap. 6. colliget Parochus aut Confeſſarius, quid circa conjuges obſervare, quidve docere debeat.

Obſervabit 1. quid illis ſit licitum, quid prohibitum. 2. Circa illicita diſtinguet inter lepram & lepram, peccata damnabilia & venialia, ſive dum exigunt, reddunt, aut etiam denegant debitum conjugale: ſive cum liberos religioſe non educant, ſive cum ſocietatem conjugalem perturbant. 3. Ubi damnabiliter peccant, eos removebit à perceptione Sacramentorum, donec ſanentur per veram converſionem: expendetque num propter damnabilem conſuetudinem in qua verſati ſunt, Sacramenta indigne receperint, eiſque opus ſit iterare Confeſſiones, utpote irritas & ſacrilegas. 4. Si venialia eſſe eorum peccata deprehendat, iterum diſtinguet graviora inter quæ ſupra notavimus & alia leviora. Ob priora paullo durius increpabit, de poſterioribus vero leniter ac paterno

af-

affectu pœnitentes monebit, hortabiturque ut tempe- rantius ac modeſtius agant, vanas ac fallaces ejuſmodi illecebras pro virili fugiant, utpote quæ Deo diſpliceant, Chriſtianæ caſtitati adverſentur, ardorem divini amoris remittant, periculumque ſit ne penitus extinguant, niſi quotidiana pœnitentia eluantur. 5. Non permittet, nedum ſuadebit, ut conjux debitum conjugale alteri venialiter exigenti deneget.

Cum autem nebulæ de limoſa carnis concupiſcentiâ exhalentur, quæ mentibus conjugarorum caliginem offundunt, ne licitum ſecernant ab illicito, veniale peccatum a damnabili; Parochi munus eſt docere quid nuptiæ præcipiant, quid tolerent, quidve abſolute prohibeant. Sed in hoc munere magna cautione opus eſt, ne, dum crimen detegit, illud doceat, & auditorum aures offendat.

Hæc autem erit Parocho docendi ratio, 1. extollet, & quidem quam ſæpiſſime, ut ex Catech. Rom. ſupra monuimus, Sacramenti matrimonii dignitatem ac ſanctitatem, divinos ejus effectus, qui eo tendunt, ut conjugati ſinceram præ ſe ferant unionis Chriſti & Eccleſiæ imaginem. Auditores quippe in iis facile deprehendent, in quo peccent in tantum Sacramentum, & a ſuo exemplari recædant. Deinde peccata conjugum generatim & quaſi oblique perſtringet, orationem transferens ad eos, qui intemperantius abutuntur bonis a Deo ſibi conceſſis. Sic S. Auguſtinuss ſupra laudatus caſtiſſimis verbis arguit conjugatorum intemperantiam ſub figura & typo eorum, qui eſcas, quamvis licitas, & viis juſtis comparatas, immoderatius aſſumunt. Nihil fœdius, inquiet Paſtor, patrefamilias, qui frequens eſt in potationibus, qui ex proprio dolio ſe inebriat & aſſidue in privata ſua menſa voluptatibus ſe ingurgitat. Cur dives ille, de quo Luc. 16. ſepultus eſt in inferno? An quia aliena rapuit ac devoravit? Minime; ſed quia plus æquo ſibi indulgebat, & libidinoſe rebus ſuis abutebatur. Ejuſmodi autem exempla Parochus publice verba faciens non accommodabit inordinatis conjugatorum moribus, ſed ut ipſimet accommodent permittet, & ſine ulla

in-

intermiſſione ſic perget. An non prævaluit dæmon adverſus ſeptem viros Saræ, Tob. 6. Propter effrænem libidinem, quæ in legitimo licet conjugio rapiebantur? Quid iram Dei ita accendit, ut per diluvium deleverit univerſum genus humanum, una familia viri juſti excepta? Annon impotens conjugatorum intemperantia, & quæ ex ea oriebantur mala? Ne expectetis, inquiet, ut ea vobis publice hic exponam; pudor enim non ſinit: hæc privatim inquirenda ſunt a prudenti Confeſſario; quamquam didiciſſe debuiſtis ſponſaliorum tempore, quæ ideo ſunt inſtituta, ut matrimonium contracturi diſcant quæ ad ſtatum conjugalem pertinent; & recte præparati illum amplectantur, ut perſpicuum fiet ex cap. ſeq.

CAPUT VII.

De ſponſalibus, ſeu præparatione ad Matrimonium.

Sponſalium nomen dicitur a verbo *ſpondeo*: quia in ſponſalibus fit promiſſio de futuro matrimonio. Cum autem illa promiſſio confirmari ſolet arrhis & muneribus quæ ſponſus largiri ſolet ſponſæ, ipſæ arrhæ nonnunquam ſponſalia vocantur, ut 1. Reg. cap. 18. v. 25. *Non habet Rex ſponſalia neceſſe*, id eſt, munera ſponſalia.

Sponſalia autem aliquando uſurpantur pro matrimonio rato, necdum conſummato: quo ſenſu B. Virgo jam matrimonio juncta Joſepho ſponſa appellatur Lucæ 1. v. 27. Hinc ſponſalia apud Scriptores duplicis generis leguntur, alia de præſenti, quia eo ipſo, quo alter conjux actu tribuit alteri jus in proprium corpus, promittit ſe cum eo ſocialiter victurum: alia de futuro, in quibus nulla fit actualis donatio, ſed nuda promiſſio. Sed uſus jam obtinuit, ut nomine ſponſalium ſimpliciter intelligatur promiſſio de matrimonio futuro, circa quæ hic quæremus 1. quid ſint. 2. quomodo dividantur. 3. quo fine ſint inſtituta. 4. quo-

quomodo diſſolvantur. 5. quæ neceſſitas & forma publice denuntiandi ſponſalia.

§. I.

De definitione ſponſalium.

Q. 1. QUomodo *definiuntur ſponſalia?*
R. Definiuntur, futuri matrimonii mutua & libera promiſſio obligationem pariens.

Dicitur 1. *futuri matrimonii promiſſio*, id eſt matrimonii aliquando contrahendi, ut diſtinguantur ſponſalia ſtricte ſumpta a ſponſalibus in laxiori ſignificatione per verba de præſenti, quibus actu & de facto contrahitur matrimonium.

Dicitur 2. *mutua*, quia una pars non cenſetur velle per ſe promiſſionem obligare, niſi altera pars non ſolum acceptet, ſed etiam viciſſim repromittat. Abſolute tamen poteſt quis fidem alteri dare, ſimulque ei tempus concedere ad deliberandum; ſed id non præſumitur, niſi conceptis verbis expreſſerit.

Dicitur 3. *libera*; qua voce excluditur coactio; & quivis gravis metus, quo matrimonium redditur nullum, ut dicetur ubi de impedimentis dirimentibus.

Dicitur 4. *obligationem pariens*, ut denotetur ſponſalium effectus.

Eſt autem duplex ſponſalium effectus, alter naturalis, alter canonicus.

Naturalis eſt obligatio implendi promiſſum, hoc eſt, contrahendi matrimonium; jure enim naturali tenemur ſtare ptomiſſis legitimis & acceptatis, & quidem ſub peccato mortali, ſi materia ſit gravis: ſponſalia autem ſunt in materia gravi; ac proinde damnabiliter peccaret qui ſine cauſſa ab iis reſiliret. Ita communiter Theologi poſt S. Thom. in 4. diſt. 27. art. 1. ad ſecundum: „ ex tali promiſſione, *inquit*, „ obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, „ & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi

„ legi-

„ legitimum impedimentum interveniat, & ſecundum „ hoc etiam Eccleſia cogit injungendo pœnitentiam „ pro peccato: tamen in foro contentioſo non com- „ pellitur: quia matrimonia coacta conſueverunt ma- „ los exitus habere. „ Sed de diſſolutione ſponſalium poſtea.

Canonicus ſponſalium effectus eſt impedimentum publicæ honeſtatis, quo ſponſus & ſponſa inhabiles fiunt ad contrahendum cum alterutris conſanguineis aut affinibus, ex cap. *ad audientiam*, cap. *ſponſam*, lib. 4. tit. 1. de ſponſalibus & matrimoniis, & cap. 3. de reformatione ſeſſ. 24. Concilii Tridentini, ubi impedimentum iſtud reſtringitur ad primum conſanguinitatis vel affinitatis gradum, cum antea extenderetur ad quartum.

Q. 2. *Quot modis contrahi poſſunt ſponſalia?*

Reſpondet Sanctus Thomas in Supplemento quæſt. 43. articul. 1. duobus generatim modis contrahi poſſe. 1. Abſolute per ſimplicem promiſſionem, ut ſi quis dicat *accipiam te in uxorem*, & illa viciſſim, *accipiam te in virum*, quod fieri poteſt ſive verbis, ſive litteris, ſive arrhis & muneribus, ſive expreſſe, ſive tacite, ut ſi parentes promittant pro liberis impuberis ſcientibus nec contradicentibus. 2. Conditionate, ſi nempe aliqua conditio apponatur, quæ vel honeſta eſt, verbi gratia *Si parentes conſenſerint*, *ſi Eccleſia approbet*, &c. vel turpis, & hæc rurſus vel adverſatur bonis matrimonii, ut, *accipiam te*, *ſi venena ſterilitatis haurias*; vel non adverſatur, ut; *ducam te*, *ſi furtis meis conſentias*.

Sponſalia ſub conditione honeſta non pariunt obligationem, nec impedimentum publicæ honeſtatis, niſi conditio impleatur; promittens tamen expectare debet conditionis eventum: ſub conditione turpi & contraria bonis matrimonii, ſunt prorſus irrita & nulla, nullumque habent effectum: ſub alia conditione turpi, valent in foro externo, ubi conditio illa habetur pro non adjecta. Ita Gregorius IX. cap. *ſi conditiones*, lib. 4. *de conditionibus*.

Di-

Dixi, *in foro externo;* quia ibi præſumitur promiſſionem non fuiſſe conditionatam, ſed modalem dumtaxat: contractus autem ad modum ſtat, modo non impleto, ut diximus tractatu de Contractibus. Unde S. Thomas cit. art. *Stat promiſſio*, inquit, *ſed tollenda eſt conditio*, utpote turpis & illicita. Sed ſi quis revera noluit promittere, niſi dependenter ab illa conditione turpi, nulla ſunt ſponſalia in foro interiori, quia nullus fuit conſenſus; opinioni enim veritas præferenda eſt. Mutato tamen animo Judici obtemperare debet, qui ſub hac turpi conditione promiſit. Idem dicendum de eo qui ficte promiſit, vel conſenſit in matrimonium: quia quamvis in rei veritate nulla ſint ſponſalia, nullumve matrimonium, cum contractus eſſentialiter ſit conſenſus duorum vel plurium; fraus tamen illi patrocinari non debet, ſed tenetur verum dare conſenſum, & ad id compelletur in foro exteriori, niſi cauſſam legitimam habeat denegandi conſenſum, ut dicetur ubi de diſſolutione ſponſalium.

Quæſtio 3. *Quæ ſolemnitas adhibenda eſt in ſponſalibus?*

R. Nulla requiritur Jure communi, ſive veteri, ſive novo. Non jure veteri, quia ſi ipſa matrimonia clandeſtina rata erant ac vera ſecundum jus illud, quemadmodum definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. C. 1. de reform. matrim. a fortiori & ſponſalia, quæ ſunt acceſſorium quid ad matrimonium. Neque etiam jure novo, quia Concilium Tridentinum cit. cap. 1. nihil ſtatuit circa ſponſalia, ſed ſolummodo irritat matrimonia clandeſtina: Ergo ſponſalia clandeſtina ſicut prius, ita etiam nunc ſunt rata ac invalida: atque in hoc conveniunt omnes Theologi & Canoniſtæ.

Dixi *jure communi;* quia in pleriſque Diœceſibus tum Galliæ, tum Bataviæ ſponſalia celebrari debent coram Parocho & teſtibus. Hinc non levis naſcitur difficultas, utrum in iiſdem locis rata ſint ſponſalia clandeſtina, pariantque impedimentum publicæ honeſtatis. Van-Eſpen tom. 1. p. 2. tit. 12. n. 12. docet ex

Ma-

Manuali ſeu Rituali Cameracenſi, & ex Synodo Mechlinienſi rata ac obligatoria eſſe ſponſalia, etſi coram Parocho celebrata non ſint, ut præſcribitur in illis Diœceſibus, cum, inquit Synodus Mechlinienſis, *a ſacro Concilio*, (Tridentino) *ſint relicta intacta, atque ita relicta in terminis & diſpoſitione juris communis*, juxta quod ſponſalia clandeſtina pariunt impedimentum publicæ honeſtatis.

Nihilominus dum Virduni agerem, ibique gravior orta eſſet controverſia occaſione cujuſdam, qui volebat uxorem ducere, quam frater ejus defunctus deſponſaverat, ipſiuſque votis annueret Officialis, ceteris contradicentibus, quia, inquiebat ille, ſponſalia non fuerant, juxta morem Diœceſeos, celebrata in facie Eccleſiæ; Illuſtriſſimum Archipræſulem Remenſem D. Le Tellier, cujus Diœceſis confinis eſt Diœceſi Virdunenſi, conſulendum duxi. Ipſe autem, adhibitis in conſilium Theologis Pariſienſibus, reſponſum dedit ſponſalia in Diœceſibus, in quibus requiritur ſolemnitas, de qua eſt ſermo, donec celebrata ſint coram Parocho, non habere vim ſponſalium, ſed ſolummodo contractus civilis pro dote & aliis conventionibus matrimonialibus, nec proinde parere impedimentum publicæ honeſtatis. Hujuſce reſponſi habita eſt ratio, in Rituali Virdunenſi paullo poſt edito; in explicatione enim impedimentorum matrimonii num. 10. monentur Parochi non oriri impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus contractis ſub conditione, *ſi Eccleſia probaverit*, niſi impleta fuerit hæc conditio; atqui in locis, in quibus ſponſalium ſolemnitas præſcribitur; promiſſiones de futuro matrimonio fiunt ſemper vel expreſſe vel tacite ſub beneplacito Matris Eccleſiæ: Ergo hujuſmodi conditio ſuſpendit conſenſum in futurum matrimonium, quouſque Parochus nomine Eccleſiæ acceptaverit, benedixeritque promiſſionem, cujus vi tamen ſponſus & ſponſa tenentur implere oppoſitam conditionem, niſi ambo ſibi remittant, vel alteruter juſtam habeat cauſſam reſiliendi cauſſam; atque ita ſentire ſe mihi dixit unus ex noſtris Thologis Sorbonicis, qui

qui per plures annos functus fuerat officio Vicarii Generalis & Officialis. Quæ omnia operæ pretium fuit referre, quia nullus ex Auctoribus, quorum ſcripta conſului, hancce difficultatem in propriis terminis attigit, cum tamen in praxi frequenter occurrat, Paſtoreſque diſtentos ac perplexos teneat. Quamvis enim momenta allata eos omnino non firment in ſententia, de qua agitur, aliquid tamen lucis afferunt, quo eorum Prælatus (ad quem in dubiis recurrere debent) omnibus perpenſis, certius definiat, quid ab iis obſervari conveniat.

§. II.

De diviſione Sponſalium.

Q. 1. QUomodo *dividuntur ſponſalia?*

R. Dividuntur 1. in abſoluta, & conditionata, 2. in valida & invalida, 3. valida rurſus dividuntur in licita & illicita. De ſponſalibus conditionatis an, & quomodo obligent, pariantque impedimentum publicæ honeſtatis, diximus §. præced.

Q. 2. *Sponſalia invalida inducuntne impedimentum publicæ honeſtatis?*

Reſpond. Jure veteri inducebant, ut patet ex capite unico, *Ex ſponſalibus* in 6. lib. 4. titul. 1. *De ſponſalibus*, ſed jure novo non inducunt, ſic enim decernit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 3. ſupra laudato de reform. *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione, valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.*

Advertes in hoc decreto Concilium nihil immutare circa matrimonium ratum, quavis ratione nullum, præterquam defectu conſenſus, quod etiamnum ſicut jure veteri parit impedimentum publicæ honeſtatis uſque ad quartum gradum: ita 1. declaravit Pius V. anno 1568. in Bulla *Ad Romanum*; deinde Congregatio Cardinalium anno 1586.

Dixi, *præterquam defectu conſenſus*; quia Innocentius

tius III. lib. 4. tit. *De ſponſalibus*, cap. *Tua nos*, defectum illum excipit, *cum* inquit, *in eo nec ſubſtantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri.*

Utrum autem poſt Concilium Trident. matrimonia clandeſtina habeant vim ſponſalium, ſicut matrimonia ab impuberibus contracta, ex c. *Tuæ nobis*; l. 4. tit. *De ſponſalibus impub.* pariantque impedimentum publicæ honeſtatis; quæſtio eſt, ad quam Fagnanus in cap. *Ad audientiam*, lib. 4. tit. *De ſponſalibus & matrim.* 1. reſpondet, ex ſententia Congregationis Cardinalium ejuſmodi matrimonia non reſolvi in ſponſalia de futuro. 2. Multis probat adverſus nonnullos ex ejuſmodi matrimoniis, quamvis irritis & nullis, oriri, impedimentum publicæ honeſtatis, maxime ſi non fuerint prorſus occulta, quemadmodum, inquit, ex matrimonio per Religioſum aut Presbyterum contracto, licet abſolute nullo, oritur tamen impedimentum publicæ honeſtatis, ut habet Gloſſa in cap. *Si quis diſpenſaverit*, cauſſa 27. quæſt. 2. mitto cetera quæ idem auctor adducit tum ad confirmandam ſuam ſententiam, tuam ad refellendam oppoſitam. Sed magni intereſt noſſe, quando ſponſalia cenſeri debent invalida. Quare

Q. 3. *Quinam invalide ſponſalia contrahunt?*

R. 1. Rationis impotes, ut ebrii, amentes, pueri ſeptennio minores, ut habetur cap. *Litteras*, & cap. *Acceſſit*, lib. 4. tit. *De Deſponſat. impub.* Si tamen prudentia, ſeu, ut ajunt, malitia ſuppleat ætatem, & ratio præveniat ſeptennium, valent ſponſalia, ſicut & matrimonium contractum a pubertate proximis, qui jam habiles ſunt ad copulam cap. *Puberes*, cap. *continebatur*, & cap. *A nobis*, eodem titul. Addit Sylvius in quæſt. 43. articul. 2. Supplem. ſponſalia in iis non fore valida, in quibus quarto vel quinto anno acceleraretur uſus rationis; *quia*, inquit, *intentio Eccleſiæ fuit ejuſmodi ſponſalia irritare, eo quod communiter non ſit ſufficiens diſcretio ante ſeptennium aut circiter.*

Im-

Impuberes autem ſeptennio majores valide ſponſalia contrahunt, ex cit. cap. *Literas*, ſed reſilire poterunt, cum ambo ad annos pubertatis pervenerint, niſi copula interceſſerit. Dico, *ambo*, non vero alter eorum ex cap. *De illis*, cit. tit. Contrahent nihilominus impedimentum publicæ honeſtatis, ex cap. *Litteras*, & cap. *Acceſſit*, eodem tit. Cum autem hodierna Eccleſiæ diſciplina requirat in deſponſandis ætatem, quæ proxime ad matrimonium ſufficit. Parochi impuberes non admittent ad ſponſalia.

R. 2. Sponſalia ſunt nulla in eo, qui ficto promittit, quia ſine vero conſenſu nullus eſt contractus; utrum autem deceptionem per verum conſenſum tollere teneatur, Conſule dicta §. præcedenti.

R. 3. Invalida ſunt ſecunda ſponſalia, prioribus ſtantibus, nec diſſolutis; ex cap. *Sicut*, lib. 4. tit. *De ſponſalibus & matrim.*

R. 4. Irrita ſunt ſponſalia, etiam juramento confirmata, quæ ſequuntur votum, vel ingrediendæ Religionis, vel ſuſcipiendi Ordini ſacri, vel ſervandæ caſtitatis perpetuæ, ex c. *Rurſus*, lib. 4. tit. *Qui Clerici*, &c. *Cum ſimplex votum*, inquit Cæleſtinus III. *apud Deum non minus obliget quam ſolemne: pro eo quod juravit temere, pœnitentiam agat; & votum, quod Deo fecit, ſtudeat obſervare.* Aliud vero decernit idem Pontifex, ſi poſt ſponſalia juramento firmata, cum altera contraxiſſe matrimonium; ſic enim pergit; *Quod ſi poſtquam hujuſmodi præſtitit juramentum, ad nuptias motu proprio convolaſſet: Cum votum ſimplex matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat contractum, nihil ambiguitatis quæſtio tua continere videtur.* Major eſt difficultas, utrum per votum ſimplex caſtitatis diſſolvantur ſponſalia prius contracta, quam diſcutiemus ubi de diſſolutione ſponſalium.

R. 5. Generatim invalide ſpondet, qui nuptias celebrare nequit propter impedimentum dirimens, quia ſponſio eſt de re impoſſibili.

Q. 4. *Quid ſi hujuſmodi impedimenti conſcius promiſit*

miſit ſe diſpenſationem petiturum, & expenſas ad id neceſſarias facturum?

R. Si adſit legitima cauſſa petendi diſpenſationem, tenetur ſtare promiſſis: ſecus, ſi deſit; petitio enim illa foret iniqua.

Q. 5. *Sponſalia valida ſed illicita, debentne impleri?*

R. Diſtinguendum eſt; ſi impleri nequeant abſque peccato, non obligant, etiamſi juramento fuerint confirmata, quia nullus obligari poteſt ad peccandum, ex regula juris 58. in 6. nec juramentum inſtitutum fuit, ut eſſet vinculum iniquitatis, ex cap. *Quanto*, tit. *de jurejurando*. Si autem licite impleri poſſent, ſunt omnino implenda, niſi alia cauſſa ſupervenerit, quæ det locum diſſolutioni; obligat enim vera promiſſio de re licita, licet promittendo peccatum fuerit in quibuſdam circumſtantiis. Veritas reſponſionis illuſtratur exemplis.

Filii familias ætate minores, inconſultis parentibus, inter ſe paciſcuntur pro futuro matrimonio, atque in eo haud dubie peccant, & quidem graviter, cum ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1. Eccleſia ſemper deteſtata ſit, ac prohibuerit ejuſmodi pactione abſque conſenſu parentum initas, ut patet ex cap. *Non omnis*, cauſſa 32. q. 2. & ex cap. *Honorantur*, quod refertur ex Sancto Ambroſio lib. 1. de Abraham c. ultimo, in quo ſic habetur, *conſulitur puella, non de ſponſalibus: illa enim judicium expectat parentum, non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum*, atque in hanc rem Sanctus Doctor laudat illud Euripidis ab ipſis Ethnicis laudatum, *ſponſaliorum meorum pater meus curam ſubibit; hoc enim non eſt meum*. Si conſentiant parentes votis filiorum, ſponſio ab iſtis præmiſſa eſt omnino ſervanda, ſecus ſi diſſentiant, etiamſi in promiſſione juramentum intervenerit.

Aliud exemplum ſubjicio, propter quod Parochi & Confeſſarii interdum ſunt incerti. Puella ex occulta fornicatione gravida, ſponſalia contraxit, & quidem illicite ac injuſte: crimen detegit in confeſſione, quam

præ-

præmittit matrimonio poſtridie celebrando in gravem ſponſi injuriam, ac propterea, niſi a ſponſalibus reſiliat, Confeſſarius abſolutionis beneficium ei denegare tenetur, cum illicita ejuſmodi ſponſalia ſine gravi peccato impleri nequeant.

Q. 6. *Quid ſi iſthæc puella jam occulte fuerit enixa?*

R. Si nullum ſit periculum, ne crimen evulgetur; neve ſponſus inde patiatur infamiæ notam, aut aliud damnum, abſolvi poterit, ſecus ſi morale ſubſit periculum.

Q. 7. *Sponſalia etiam invalida, v. g. quæ contracta ſunt poſt emiſſum ſimplex Religionis aut caſtitatis perpetuæ votum, tranſeuntne in verum matrimonium, accedente carnali copula?*

R. Jure veteri tranſibant, modo copula habita fuiſſet affectu maritali: ſecus ſi animo fornicatorio. Sed jure novo non tranſeunt, niſi in iis locis, ubi receptum non eſt Concilium Tridentinum, quod irrita, & prorſus nulla declaravit matrimonia clandeſtina facta ſine præſentia Parochi & teſtium.

§. III.

De fine ſponſalium.

Q. 1. *Quare inſtituta ſunt ſponſalia?*

R. Ut fideles quam optime parati accedant ad magnum matrimonii Sacramentum. Sponſalia quippe ſunt ad illud Sacramentum juxta S. Thomam, & alios Theologos, quod catechumenatus ad Baptiſmum, tonſura clericalis ad ſacros Ordines, & Noviciatus ad ſolemnem Religionis profeſſionem, *a prima ſponſione dicuntur ſponſalia proprie*, inquit S. Thomas in ſupplem. q. 43. art. 1. ad ſextum, *quæ ſunt quædam Sacramentalia matrimonii, ſicut exorciſmus Baptiſmi*. Ideo autem Eccleſia Baptiſmi, Ordinis, & matrimonii candidatos ſingulariter exercendos, & ſacris ritibus præparandos duxit; quia fideles in perceptiore

trium hujuſmodi Sacramentorum ampleɗuntur novum vitæ genus, ac ſtatum, in quo nunquam ſe gerent, ut decet, & expedit tum privatæ, tum Reipublicæ ſaluti, niſi ſtatus, quem profitentur, officia didicerint, & ad illum probe fuerint inſtituti. Sponſalia igitur ſunt quoddam ſtatus conjugalis tyrocinium, in quo ſponſi elaborare debent, duce Parocho, ut quæ ſunt conjugatorum Chriſtianorum munera plene eruditi, & ad ea præſtanda bene affecti, ac parati, fructum Sacramenti abunde percipiant atque conſervent.

Q. 2. *Quæ ſunt Parochi partes in ſponſalium celebratione?*

R. 1. Duo in primis obſervabis, quæ præſcripta ſunt in Libris Ritualibus.

Primum: ſponſalia celebranda loco & tempore congruis: non in tabernis & ædibus profanis, ſed in loco ſacro, coram teſtibus, maxime deſponſandorum parentibus; non poſt diſſolutas compotationes & ludicra ſpectacula, ne animi vino ſemigraves, aut minime attenti non conveniant eo pietatis affectu, qui decet Sacramentalem illum ritum, quo Eccleſia deſponſandos præparat ad magnum matrimonii Sacramentum, ſuiſque precibus benedictionem cæleſtem ipſis conciliat. Hæc dixerim propter impietates, quæ in quibuſdam pagis hic irrepſere, ſed adeo inveteratas, ut vim legis obtinuiſſe videantur, cui reſiſtere poſſibile non ſit, cum eas tamen plures Parochi, docendo, exhortando, minas intentando, invocata etiam auctoritate Judicis villani prorſus extirpaverint.

Alterum præſcribunt libri rituales, ſcilicet ut Parochi ad mentem Concilii Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. moneant ſponſum & ſponſam, ne ſub eodem tecto ſimul habitent; nec mirum quod illis prohibeantur, quæ aliis ſunt conceſſa; una quippe & eadem res quibuſdam eſt peccandi occaſio; adeoque ipſis vitanda, aliis vero minime: atqui mutuus & flagrans amor utrique perſpectus, ſpes propediem ſeipſis fruendi, privata colloquia plerumque amatoria, carnem ac libidinem naturaliter commovent, ſponſoſque in morale peccandi periculum conjiciunt; falſa enim eſt cujuſdam moderni

iſthæc

iſthæc propoſitio, *oſcula, tactus, amplexus non impudici, in ſignum conſuetum benevolentiæ, liciti ſunt ſponſis de futuro, licet adſit periculum pollutionis.*

R. 2. Si ſponſi ignorent Religionis Chriſtianæ rudimenta, curabit Parochus ut ea apprime addiſcant, renuntiabitque ſe alioquin non poſſe tuta conſcientia illos ad Sacramentum matrimonii admittere. Ita enim præſcribunt Rituale Romanum; S. Carol. in Conc. 5. Mediol. & in Inſtructionibus.

Neque vero ſatis eſt, ut deſponſati noverint, quæ vulgo Catholicorum ſine gravi peccato ignorare non licet, ſed inſuper noſſe debent quæ ad ſtatum conjugalem pertinent, nempe naturam & virtutem Sacramenti matrimonii; qua intentione & animi præparatione ad illud accedendum ſit, ne indigne recipiatur. Ideoque Parochus conjuges graviſſimis verbis monebit, ut ſi alteruter eorum in aliqua peccandi conſuetudine verſatus, eam quamprimum eradere ſtudeat, ne aut beneficium abſolutionis ipſi tum denegetur, cum celebrandæ erunt nuptiæ: aut fructum Sacramenti non percipiat, unde gravia ſecutura forent mala primo ipſi, deinde ejus familiæ. Ipſi quidem, quia Sacramenti gratia deſtitutus propriam ſalutem non operaretur: familiæ etiam, quam ſine divino auxilio regere non poſſet, ut decet conjugem Chriſtianum. Cum autem vix alia ſe offerat occaſio ſigillatim exponendi conjugibus, quæ ſint eorum officia tum ad invicem, tum ad liberos & totam familiam, caute præſcribunt pleríque Libri Rituales, ut confeſſio Sacramentalis nuptiis prævia, fiat in cujuſque ſponſi parochia, ut nonniſi de conſenſu Parochi extra parochiam, quia niſi Confeſſarius intelligeret confeſſionem, quam excipit, eſſe ad matrimonium præparatoriam, monita non daret neceſſaria, hinc

R. 3. Parochus ſponſos docebit, quæ conjugatis ſint præcepta aut licita, quæve prohibita aut illicita, juxta ea quæ expoſuimus capite præcedenti de peccatis conjugum adverſus fidem thori, bonum prolis, & ſanctitatem Sacramenti. Modum tamen ſervabit pro perſonarum ingenio; aliter quippe agendum cum ru-

dioribus; aliter cum acutioribus: illis magis ſingulatim cuncta exponet; iſtis vero generatim & minus diſtincte. Sed iſta præſtabit in tribunali Pœnitentiæ, nullatenus autem in ædibus privatis.

R. 4. Suggeret pias exercitationes, lectiones congruas, aſſiduas orationes, dignos Pœnitentiæ fructus, *ubi quidquid error vetus inquinaſſet*, ait Tertullianus lib. de Pœnit. c. 2. *quidquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens & radens, & foras abjiciens; mundam pectoris domum ſuperventuro Spiritui ſancto paret, quo ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat*. Eo autem copioſiora inferet, ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 7. quo ſponſorum corda paratiora invenerit. Unde nonnulli ante nuptias ſeceſſum petunt ut liberius Deo vacent, attentius ſecum cogitent, quæ ſunt Chriſtiani conjugis, & ad ea implenda ſeſe adhortentur.

§. IV.

De diſſolutione ſponſalium.

Q. 1. P*Oſſuntne ſolvi ſponſalia?*

R. Poſſunt, ut conſtat ex toto tit. 1. l. 4. *De ſponſalibus*, & maxime ex cap. *Præterea*, cap. *Ex litteris*, cap. *Requiſivit*.

Q. 2. *Ad diſſolutionem ſponſalium requiriturne aliqua ſolemnitas, aut Judicis auctoritas?*

R. Jure communi nulla requiritur, ſed ſufficit mutuus contrahentium conſenſus, modo ambo ſint puberes; quia ex prima regula juris, *omnis res per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*; atqui ſponſalia jure communi mutuo partium conſenſu contrahuntur: Ergo mutuo etiam eorum conſenſu diſſolvi poſſunt, etiamſi juramento confirmata fuerint, ex citato cap. *Præterea*, & cap. *Quemadmodum*, lib. 1. tit. *De jurejurando*. Et ratio eſt, quia ex dictis tractatu de Religione cap. 6. §. 4. in omni juramento promiſſorio intelligitur hæc conditio, *niſi promiſſarius remittat*.

In

In quibuſdam tamen Diœceſibus, ubi ſponſalia celebrantur in facie Eccleſiæ, lex eſt, ut nonniſi ejus auctoritate diſſolvantur. Quare unuſquiſque ſequatur morem ſuæ Eccleſiæ.

Dixi, *modo ſint ambo pubères*; quia c. *A nobis*, lib. 4. tit. 2. *De diſpenſatione impuberum*, deſponſati impuberes a ſponſalibus reſilire nequeunt, priuſquam ambo ad pubertatis annos pervenerint, idque ſtatutum eſt ob inconſtantiam & levitatem puerorum, ne quotidie nova contrahant ſponſalia, & rurſus ab iis reſiliant.

Q. 3. *Sponſalia poſſuntne aliter diſſolvi, quam mutuo ſponſorum conſenſu?*

R. Poſſunt; ſed graviter peccaret qui ſine juſta cauſſa a ſponſalibus reſiliret, altera parte invita, „ quia „ ex tali promiſſione, *inquit Sanctus Thom. in ſupplementum quæſt.* 43. *art.* 1. *ad* 2. obligatur unus „ alteri ad matrimonium contrahendum; & peccat „ mortaliter non ſolvens promiſſum; niſi legitimum „ impedimentum interveniat, & ſecundum hoc Eccleſia cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato. „ Tamen in foro contentioſo non compellitur; quia „ Matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere; niſi forte juramentum intervenerit, quia tunc „ cogendus eſt qui promiſit, ut quidam dicunt: „ quamvis aliis non videatur propter cauſſam prædictam. „ Hæc poſterior ſententia; quæ videtur eſſe Angelici Doctoris, conformior eſt decreto Alexandri III. citato cap. *Ex litteris de ſponſalibus*, in quo ſic habet, „ quia igitur periculoſum eſt contra ſuum juramentum venire, fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi hoc tibi conſtiterit, eum moneas; & ſi „ non acquieverit monitis, Eccleſiaſtica cenſura compellas, ut ipſam, niſi rationabilis cauſſa obſtiterit, „ in uxorem accipiat, & maritali affectione pertractet: „ Ergo in mente Summi Pontificis non eſt compellendus ad matrimonium contrahendum qui illud jurejurando promiſit, quando legitima cauſſa non contrahendi intervenit.

Lucius III. Alexandri ſucceſſor idem clarioribus verbis confirmavit cap. *Requiſivit*, eodem titulo, in quo reſpondet ad quæſtionem, qua cenſura mulier compelli deberet, quæ jurisjurandi religione neglecta nubere renuebat, *cum libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potius quam cogenda, cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere*.

Q. 4. *Quomodo ſe geret Confeſſarius erga ſponſos quos deprehendit ex falſa præſumptione abſolutos in foro exteriori?*

R. 1. Obſervabit omnem culpam aliquando non in ſponſis, ſed in eorum reſidere parentibus, qui conventis ſua auctoritate confirmatis, nec ſtare volunt abſque legitima cauſſa, nec ſinunt liberos iis adhærere; quia forte ditior offertur puella, & cognatione illuſtrior, cum tamen ejuſmodi exceptionem ſponſalia non admittant, nec probaretur ab Eccleſia. Parentes igitur hi graviter peccant, non ipſi ſponſi, quibus legitima eſt excuſatio promiſſa non implendi, ſcilicet parentum interdictum. 2. ſi ipſorummet deſponſatorum animus ab initis ſponſalibus ſit omnino averſus, Confeſſarius omni modo ſuadere adnitetur, ut promiſſionem impleant: exponet quam grave ſit & periculoſum mutare fidem libere datam, ab Eccleſia acceptatam, & a Deo obſignatam. Quod ſi animum a matrimonio promiſſo ita alienum advertat, ut flecti nequeat, abſolutionis beneficium iis concedere non gravabitur, quia prudenter timebit, ne matrimonium, quod ſuadere conabatur, difficiles & infauſtos exitus haberet.

Q. 5. *Quæ ſunt juſtæ cauſſæ diſſolvendi ſponſalia?*

R. Juſte diſſolvuntur,

1. Per ſubſequens Matrimonium cum alio contractum, c. *Si inter unum*, tit. *De ſponſalibus*. Graviter tamen peccat qui fidem prius alteri datam violavit, proptereaque Gregorius IX. cit. c. decernit pœnitentiam ipſi imponendam.

2. Quando poſt ſponſalia unus fornicatur, c. *Quemadmodum*, tit. *De jurejurando*: quod S. Antoninus extendit ad ſpiritualem fornicationem, puta apoſtaſiam & hæreſim.

3. Si

3. Si ſponſa poſt ſponſalia vi fuerit oppreſſa, cap. *Raptor*, cauſſa 27. q. 2.

4. Si ſponſus poſt ſponſalia detegat ſponſam prius fuiſſe fornicatam : ſecus ſi hujuſmodi vitium ante ſponſalia ipſum non latuerit.

5. Cum inter ſponſos oritur affinitas, ex unius fornicatione cum conſanguinea alterius in primo vel ſecundo gradu, cap. *Cum in sua*, tit. *De ſponſalibus*.

6. Quando alter deſponſatorum profectus eſt in regionem longinquam abſque conſenſu alterius, cap. *De illis*, tit. *De ſponſalibus*.

7. Quando notabile vitium alterutrius prius ignotum detegitur, puta quod ſit ſpurius, qui putabatur legitimus, plebejus, qui genere nobilem ſe jactitabat: ære alieno oppreſſus, qui opulentus habebatur, &c.

8. Quando ſupervenit notabilis mutatio, ut graves inimicitiæ inter utramque familiam, paralyſis, aut gravis aliquis morbus, infamia, deformitas, mutilatio, citato capite *Quemadmodum*.

9. Defectus dotis promiſſe, cit. cap. *De illis*.

10. Si ſponſus ſacris Ordinibus fuerit initiatus, c unic. *De voto*, in 6.

11. Si ſponſorum alter ingrediendæ Religionis votum emiſerit, modo ſecuta non fuerit carnalis copula, cap. *Commiſſum*, tit. *De ſponſalibus*. Unde cum per ingreſſum Religionis teſtetur ſe ſponſalibus renuntiare, licet alteri alia ſponſalia & matrimonium contrahere, non expectata Novitii profeſſione.

Utrum autem ſponſalia dirimantur per votum ſimplex perpetuæ continentiæ in ſæculo ſervandæ, diſſentiunt Theologi. Affirmant Cajetanus, Sotus, Suarez, Vaſquez, Eſtius, Sylvius, & pro ſua ſententia laudant S. Thom. in Supplem. q. 53. Negant vero S. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 18. paragr. 2. Oſtienſis, Panormitanus, Navarrus, Sanchey, & alii benemulti, in quorum ſententiam valde propendemus, tum quia oppoſita non nititur ullo canone: tum quia Deus coli non vult cum alterius injuria. Favet Extravagans Joannis XXII. tit. *De voto*, cap. unico, in qua ſum-

mus Pontifex jubet, ut qui poſt matrimonium ratum non conſummatum, ſacrum Ordinem ſuſceperat, ſponſa non conſentiente: compellatur cum ea maritaliter vivere, ſi ipſa id exigat.

§. V.

De Sponſalium denuntiationibus.

Sponſalium denuntiationes vulgo dicuntur banna, a voce, *Ban*, cujus uſum Franci ex Franconia oriundi in Gallias quinto ſæculo invexerunt. *Ban* autem ſignificat proclamationem futuri matrimonii, circa quam nonnulla hic breviter diſcutiemus. Itaque

Q. 1. *Banna ſuntne matrimonio ex neceſſitate præmittenda*?

R. Præmittenda ſunt neceſſitate præcepti, non vero neceſſitate Sacramenti, ſive contractus. Duæ ſunt reſponſionis partes.

Prima pars, quæ eſt de neceſſitate præcepti, probatur 1. ex Conciliis generalibus. Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. de reformatione matrimonii, ſic ſtatuit: „ ſacri Lateranenſis Concilii ſub. Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo præcipit (*ſancta Synodus*) „ ut in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus „ continuis diebus feſtivis in Eccleſia ante Miſſarum „ ſolemnia publice denuntietur inter quos matrimonium ſit contrahendum. *Decretum autem Concilii Lateranenſi IV. ſic ſe habet c.* 51. ſpecialem quorundam locorum conſuetudinem ad alia generaliter pro„ rogando ſtatuimus, ut cum matrimonia fuerint con„ trahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice pro„ ponantur, competenti termino præfixo.

Probatur 2. ex Edictio Bleſenſi ſub Henrico III. art. 40. in quo ſic ſtatuitur, „ ad occurrendum abuſibus „ & damnis, quæ ex matrimoniis clandeſtinis oriun„ tur, decrevimus & decernimus, quod ſubditi no„ ſtri, cujuſcumque ſtatus, qualitatis, & conditio„ nis exiſtant, contrahere valide non poterunt ſine

„ pu-

„ publicis denuntiationibus cum competenti temporis „ intervallo.

Habent Parochi in ipſa lege formam denuntiandi futurum matrimonium. Denuntiatio debet fieri 1. a Parocho, aut ejus Vicario, refertque Fevretius lib. 5. de abuſu, apparitorem quemdam regium, cum attentaſſe, recuſante Parocho, Banna ad fores Eccleſiæ publice proclamare, ſevere mulctatum fuiſſe Decreto Senatus Pariſienſis anno 1614. 2. fieri debent diebus feſtis non ferialibus. Barboſa tamen allegatione 32. & aliquot alii, cenſent ſponſalia poſſe die profeſto denuntiari in Eccleſia, in qua ob quandam ſolemnitatem magnus eſt populi concurſus. 3. denuntianda ſunt ſponſalia inter Miſſæ Parochialis ſolemnia, improbatuſque eſt Parochus quidam a Senatu Pariſienſi anno 1608. ut refert Fevretius loco mox citato, quod poſt Veſperas unam feciſſet bannorum proclamationem, obtenta duorum aliorum diſpenſatione. 4. inter quamlibet proclamationem competens temporis intervallum intercedat oportet: adeo ut ſi tres dies feſti immediate ſe ſequantur, tres denunciationes non fiant intra illud triduum. Quale autem requiratur intervallum, quiſque conſultat Rituale, ſeu ſtatuta ſuæ Eccleſiæ; alia quippe requirunt majus, alias minus; ſed in eo ſatis conveniunt Ritualia matrimonium non eſſe celebrandum abſque Epiſcopi diſpenſatione, ipſo die, quo proclamatum eſt ultimum bannum; & quidem merito, ne circumveniantur qui juſtis de cauſſis contradicere habent propoſito matrimonio.

Secunda pars, ſcil. banna non eſſe neceſſaria neceſſitate Sacrementi, ſeu contractus, probatur, quia Concilium Tridentinum cit. cap. 1. ſeſſ. 24. matrimonia ſine præviis denunciationibus contracta non declarat irrita, quemadmodum declarat quæ ſine præſentia Parochi & teſtium celebrata ſunt. Immo denuntiationes ex gravi cauſſa omitti permittit.

Dices: Edicto tum Bleſenſi ſupra laudato, tum Ludovici XIII. anno 1629. matrimonia ſine præviis denuntiationibus inita, declarantur invalide contracta: Ergo.

Diſtinguo antecedens, invalide quoad effectus, civiles, Concedo: quoad ipſum conjugale vinculum & nexum, Nego antecedens. Ita nomine Regis anno 1630. reſponſum fuit Clero Gallicano, qui poſtulaverat dictæ clauſulæ interpretationem. Conſule Memorialia Cleri Gallicani.

Q. 2. *Præceptum illud obligatne ſub gravi culpa?*

Affirmant communiter Theologi: tum quia eſt in materia gravi, ſcil. *ad occurendum*, inquit Edictum Bleſenſe, *abuſibus & damnis, quæ ex matrimoniis clandeſtinis oriuntur*; tum quia ex gravitate pœnæ neceſſario colligitur gravitas culpæ: atqui præceptum illud obligat ſub gravi pœna. Diœceſana Synodus Lingonenſis anno 1404. & Provincialis Narbonenſis anno 1551. excommunicandos decernunt eos, qui nulla obtenta diſpenſatione, clam ſine prævii denuntiationibus matrimonium inire attentaverit. Edictum Bleſenſe matrimonia ſic clandeſtine contracta declarat invalida quoad effectus civiles.

Q. 3. *Omnes conſtringunturne illo præcepto?*

R. Affirmative, illudque conſtat ex verbis Edicti Bleſenſis, *decernimus, quod ſubditi noſtri, cujuſcumque ſtatus, qualitatis & conditionis exiſtant*, &c. Eximuntur tamen ſummi Principes: tum quia eorum genus omnibus notum eſt, tum quia nihil agere poſſunt de matrimonio ineundo, quin ſingulis ſtatim ita innoteſcat, ut Parochi denunciationibus locus non ſit.

Q. 4. *Præceptum illud admittit ne aliquam diſpenſationem?*

R. Admittit, ut patet tum ex Concilio Tridentino cap. 1. ſæpius laudato: tum ex Edicto Bleſenſi, in quibus præſcribuntur conditiones ad diſpenſandum neceſſariæ. Et ratio eſt, quia ex S. Thoma 2. 2. q. 97. art. 4. leges latæ ſunt, ut proſint, non vero ut noceant: atqui aliquando contingit legem humanam, quæ lata eſt in bonum commune, noxiam eſſe in quibuſdam circumſtantiis, quas Legiſlator aut forte non prævidit: aut, ſi præviderit, exprimere non debuit.

Q. 5. *Quis diſpenſare poteſt in denunciationibus?*

R. Sp-

R. Soli Epiſcopo poteſtatem hanc faciunt Concilium Tridentinum cit. cap. 1. Edictum Bleſenſe, & Concilia, quæ deinceps in Gallia celebrata ſunt, ut Aquenſe an. 1585. *eas autem denuntiationes*, inquit, *ne ullas quidem remittere eis* (Parochis) *liceat, niſi proprii Epiſcopi conſenſu*. Et Narbonenſe an. 1609. *Matrimoniales denunciationes ſolus Epiſcopus, vel ejus in Spiritualibus Vicarius Generalis ex cauſſa bene nota remittat: Officiales vero ſuper illis diſpenſare non attentabunt; cum illud illis prohibitum ſit, prout præſenti Decreto prohibemus*. Quia Fevretius in Tract. de abuſu lib. 5. cap. 2. ſcribit Vicarium Generalem non poſſe eximere a tribus denuntiationibus, niſi Epiſcopus illud conceptis verbis expreſſerit in ſuis litteris.

Fagnanus quoque in cap. *Cum inhibitio*, lib. 4. tit. *De clandeſtina deſponſatione*, probat num. 7. & 8. inferiores Epiſcopos, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cumulative cum Epiſcopo, non poſſe diſpenſare in denuntiationibus, quemadmodum declaravit ſacra Congregatio; & ipſe Gregorius XIII ſecus; ſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem excluſive ad Epiſcopum, hoc eſt, ſi præſit plebi, in quam Epiſcopus juriſdictionem non habet. Fevretius tamen cit. cap. 2. refert Senatum Pariſienſem anno 1582. retinuiſſe in poſſeſſione diſpenſandi Decanum Eccleſiæ Nivernenſis. Unde concludit hancce poteſtatem uſu poſſe præſcribi, quomodo ea aliqui gaudent Archidiaconi. Porro dubium non eſt, quin hæc poteſtas competat Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ſede vacante; habet enim juriſdictionem Epiſcopalem excluſive ad quemlibet Epiſcopum.

Q. 6. *Requiriturne aliqua diſpenſandi cauſſa in denuntiationibus?*

R. Requiritur: tum quia ex dictis Tract. de Legibus, omnis diſpenſatio ſine legitima cauſſa eſt illicita, & mera diſſipatio, peccantque ſive qui eam concedunt, ſive qui petunt: tum quia Concilium Tridentinum cit. c. 1. diſpenſationem hanc prudentiæ &

judicio Epiſcopi committit: atqui in eo non reperitur prudentia, qui agit, cum nulla eſt agendi cauſſa; tum denique quia Edicto Bleſenſi cautum eſt, ne bannorum diſpenſatio concedatur, *niſi poſt primam promulgationem factam; idque ſolum propter aliquam urgentem & legitimam cauſſam, & ad requiſitionem præcipuorum & proximorum parentum utriuſque contrahentis.*

Plura in hocce Edicto ſunt obſervanda. 1. apprime concordat Concilio Trid. ne quis exiſtimet Concilium in hac parte non eſſe apud nos receptum. 2. ut legitima ſit diſpenſatio, requirit urgentem cauſſam. 3. ne gratia fraudulenter impetretur, poſtulari debet a præcipuis & proximioribus ſponſorum parentibus. 4. omnes denunciationes non debent remitti: ſed una ſaltem præcedat neceſſe eſt; alioquin locus eſſet provocandi ad ſupremum Senatum tanquam ab abuſu, & matrimonium ſic clandeſtine contractum periclitaretur quoad affectus civiles.

Ne autem futuræ diſpenſationis occaſione circumveniatur quis, præcavent pleraque Ritualia, ſtatuuntque ut Parochus, facta denunciatione, plebem moneat etiam denunciationem non eſſe expectandam propter ſpem obtinendæ diſpenſationis, quam Epiſcopi non concedunt, niſi Parochi in ſuis litteris teſtimonialibus certiores illos fecerint ſe unum aut duo banna proclamaſſe, nullo contradicente; & inſuper monuiſſe aliud bannum ſe non proclamaturos.

Non deſunt tamen aliquando urgentiſſimæ cauſſæ, propter quas omnes denunciationes remittere neceſſum ſit.

1. Si probabilis ſit ſuſpicio, inquiunt Patres Tridentini cit. cap. 1. matrimonium malitioſe impeditum iri: addunt aliqui, vel ejus uſum maleficis retentum iri: ſed Concilium Rothomagenſe anno 1581. hujuſmodi cauſſam rejicit ut inſufficientem.

2. Si proclamationes fieri nequeant abſque gravi infamia & ſcandalo, puta cum matrimonium invalide contractum ex impedimento occulto & dirimente, reſtituen-

ſtituendum eſt, aut qui vulgo habentur Conjuges, legitimo matrimonio conjungendi ſunt.

3. Si infirmus morti proximus, ut creditur, & ſaluti animæ ſuæ conſulens paratus ſit contrahere cum ea, cui fidem dedit, & ex qua prolem ſuſcepit; Parochus, cui per tempus non licet ad Epiſcopum recurrere, utpote diſtantem, licite poteſt illos conjungere adhibitis teſtibus ut colligitur ex cap. 1. ſæpius laudato Conc. Trid. in quo Patres ſic habent: *Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes; tum vel una tantum denunciatio fiet, vel ſaltem Parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant .... niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur.* Quamvis autem iſthæc decreti poſtrema pars non ſit in uſu apud nos, nec ſoleant fieri denunciationes poſt ratum & nondum conſummatum matrimonium, indicat tamen, quam ſtricte ac religioſe ſervari voluerit Synodus legem, de qua hic eſt ſermo.

Quæ cum ita ſint, indignum ſane & ſcandaloſum, inquit Van-Eſpen cap. 3. num. 26. de ſponſalibus, nonnullos tot Eccleſiæ & Regum ſanctionibus conſtrictos, adeo faciles eſſe in remittendis proclamationibus, ut leges tantum pauperibus, & infimæ quaſi plebi præſcriptæ videantur; immo, quod pudet dicere, ſola nummi carentia ad obſervationem legis conſtringere videatur. Verum quia ex nupturientibus adeo tenuis, ut unciatim non colligat quantum ſatis eſt ad gratiam obtinendam: ſi tamen ipſi gratia videatur? nam ſæpe experti ſumus quod vulgo non accedant ut ſupplices, ſed ut emptores, audacterque dicant ſe velle banna redimere, ac indignabundi recedant, niſi obtinuerint, quod nobilibus & ditioribus vix unquam denegari animadvertunt. Parochorum eſt, pergit idem auctor, his abuſibus pro virili occurrere, utpote qui ſint legum divinarum Eccleſiaſticarumque vindices; & ſubditis exponere rationes, ob quas Eccleſia tam ſe-

ſerio has denuntiationes præmitti voluerit; quamque periculoſum ſit in ipſa Sacramenti ſuſceptione legem tanta auctoritate firmatam, & ubique receptam infringere, neque ipſam diſpenſationem, ſi cauſſa legitima deſtituta ſit, ipſos omnino excuſare. Hæc ille.

Q. 7. *Periculum ne ſponſi aut ſponſæ animus dilato matrimonio ex innata levitate immutetur; aut proximitas Adventus, vel Quadrageſimæ, ſuntne legitimæ diſpenſandi cauſſæ?*

R. 1. Periculum morale, quod vir prudens timere debet, ut ſi juvenis ægre conſenſit eam ducere quam vitiavit, eſt ſufficiens diſpenſandi cauſſa; ſecus, ſi periculum ſit remotum, nec ſit aliqua ſpecialis ratio timendi communem humanæ voluntatis mobilitatem, alioquin abroganda eſſet lex bannorum, utpote ſemper conjuncta cum aliquo periculo propter communem animorum levitatem. Hæc dixerim propter quoſdam Parochos, qui parum ſui officii memores aliquando vanam hujuſmodi rationem urgent, ut diſpenſationem Parochianis ſuis impetrent.

R. 2. Conc. Mediolanenſe V. ſub S. Carolo tit. 17. de iis quæ pertinent ad matrimonium, proximitatem Adventus aut Quadrageſimæ rejicit, ut inſufficientem diſpenſandi cauſſam, „ ea certe ſola, (*cauſſa*) quod „ inſtat ſacri Adventus, aut Quadrageſimæ tempus, „ neque neceſſaria eſt, nec vero CUM RATIONE „ CONSENTIENS, cum præſertim eo ſacro tempo„ re, qui jam matrimonio juncti ſunt ab illius uſu „ abſtinere potius conveniens ſit, nedum ſponſos una „ conjungi „. Sacra tamen Congregatio Cardinalium cenſuit hanc cauſſam eſſe legitimam, ut refert Zerola in praxi verbo *matrimonium*, dub. 9. Rit. Virdunenſe auctoritate Illuſtriſſ. Epiſcopi Hippolyti de Bethune editum anno 1691. temperamentum adhibet æquiſſimum, abs re non erit verba ejus integra referre. *Et doutant que les peuples ſont aujourdhui dans cette erreur, que de croire que les Eveques peuvent auſſi facilement accorder la diſpenſe des bans a qu' ils la demandent, declarons que nous n' aurons aucune indulgence, ni pour la vanitè de ceux qui n' ont recours à ces diſpenſes,*

ſes, que pour ſe diſtinguer du commun, en ne ſuivant pas la Loy generale: ni pour la delicateſſe des autres, qui ne ſauroient ſouffrir qu' on publie leur nom dans une Egliſe; ni pour la proximité du tems de l' Avent & du Carême, à moins qu' il ne nous ſoit evident qu' on ne peut differer ſans un dommage notable, & qu' on n' a pas affecté d' attendre à cette extremité.

Q. 8. *Solemnitas ſponſalium eſtne præmittenda denunciationibus?*

R. Rectus ordo poſtulat ut præmittantur, quidquid contra objiciant nonnulli Parochi; quia quandiu ſponſalia non innotuerunt Eccleſiæ, eo quo inſtituit modo, nec ea probata habuit, conſentaneum non eſt, ut ejus Miniſter ſolemniter proclamet ea fuiſſe inita, ſed unuſquiſque conſulat Rituale ſive Statuta ſuæ Eccleſiæ.

Q. 9. *Qui novit aliquod eſſe impedimentum inter eos, quorum futurum denuntiatur Matrimonium, teneturne illud revelare?*

R. Tenetur, & quidem ſub gravi peccato, quia ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 7. art. 1. ad 2. Tenemur ſub gravi peccato detegere & quidem Superiori præcipienti, peccatum inferens tertio damnum notabile: atqui niſi impedimentum detegatur, ſequitur grave damnum tertii, ſcilicet nullitas matrimonii, & plura, quæ inde oriuntur incommoda: ergo quiſquis conſcius eſt alicujus impedimenti, illud revelare tenetur ſub gravi peccato; addunt plerique Rituale ſub pœna excommunicationis.

Nec refert quod impedimentum ſit ita occultum, ut probari non poſſit a Revelante, quia ex cap. *Cum in tua*, lib. 3. tit. *De ſponſalibus*, teſtis unus omni exceptione major matrimonium impedit.

CA-

CAPUT VIII.

De impedimentis ſimplicibus.

Q. 1. Quid eſt impedimentum ſimplex?

R. Eſt impedimentum, quo conſtrictus non poteſt licite, quamvis valide, contrahere matrimonium. In eo igitur impedimentum ſimplex differt a dirimente, quod propter impedimentum ſimplex matrimonium ſit ſolummodo illicitum; propter dirimens vero matrimonium ſit ſimul illicitum, & prorſus nullum. Hinc qui ſimplici voto Religionis aut perpetuæ continentiæ ligatus init matrimonium, peccat quidem graviter; matrimonium tamen ejus eſt ratum ac validum; tenetur debitum conjugale reddere, quamvis illud licite exigere nequeat propter impedimentum voti ſimplicis. Contra vero, qui votum emiſit ſolemne, quod eſt impedimentum dirimens, nec licite, nec valide contrahit, reuſque foret fornicationis & ſacrilegii, ſi alteri innocenti & poſcenti debitum conjugale redderet, quia ambo non ſunt veri conjuges.

Q. 2. *Quot ſunt impedimenta ſimplicia?*

R. Varia fuit Eccleſiæ diſciplina. Olim numerabantur duodecim, ex quibus ſeptem temporis ſucceſſu deſierunt eſſe in uſu, ſcilicet pœnitentia publica, inceſtus cum conſanguinea uxoris in primo & ſecundo gradu, raptus alienæ ſponſæ, uxoricidium, occiſio Presbyteri, conjugium cum Moniali, & ſuſceptio fraudulenta propriæ prolis ad Baptiſmum vel Confirmationem, eo fine, ut alter conjux fruſtraretur debito conjugali. Poſterioribus igitur ſæculis quinque ſolum impedimenta ſimplicia obtinuerunt iſtis expreſſa verſibus:

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Denique Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 2. de Ref. ſuſtulit impedimentum Catechiſmi ſecundum com-

communiorem & veriorem ſententiam. Vide Sanchez lib. 7. diſp. 10. & Navarr. in Enchir. c. 22. n. 40.

Ergo cum infans domi baptizatus eſt, qui illum in templo ſuſcipit, ut omiſſæ cæremoniæ ſuppleantur, nullum impedimentum contrahit: ſecus ſi in vero dubio an validus fuerit Baptiſmus, ſub conditione baptizetur a ſacro miniſtro. Ideo autem illæ cæremoniæ dicuntur Catechiſmus, quia imaginem præ ſe ferunt eorum, quæ in decurſu Catechumenatus obſervabantur, quorum illud præcipuum erat, ut Catechumenus viris probatis crederetur, qui illum doctrina fidei, & morum Chriſtianorum informarent.

Ergo nunc quatuor tantum vigent impedimenta ſimplicia hoc verſu comprehenſa:

Eccleſiæ vetitum, votum, ſponſalia, tempus.

1. Tempus, quo interdicuntur nuptiæ, eſt tempus Quadrageſimæ, ex Can. 52. Concilii Laodicæni quarto ſæculo, *non oportet*, inquit, *in Quadrageſima nuptias, vel natalia celebrare*. Idem confirmat Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum cap. 48. Sed Concilium Ilerdenſe, quod habitum eſt ſub Symmacho Papa, ut creditur, ſexto ineunte ſæculo, alia figit tempora his verbis: *non oportet a Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante feſtivitatem ſancti Joannis Baptiſtæ, & ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam, nuptias celebrare*. Similia habet Concilium Salegunſtadienſe anno 1022. ſub Benedicto VIII. ſed Concil. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 10. de reform. decreta illa reſtrinxit in hunc modum: „ Ab Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari ſancta Synodus præcipit; in aliis vero temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit: quas Epiſcopi, ut ea, qua decet modeſtia & honeſtate fiant, curabunt; ſancta enim res eſt matrimonium, & ſancte tractandum. „

Duo in his Concilii verbis ſunt obſervanda.

1. Me-

1. Meminit antiquarum prohibitionum, ut oſtendat ſe novos mores non inducere, carpatque Pſeudoreformatorum temeritatem, qua prohibitiones illas vocant ſuperſtitionem tyrannicam, & ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam. Unde merito Concilium can. 11. eos anathemate perculſit. 2. Concilium vetat ſolemnes nuptias feriatis temporibus celebrare. Ex quibus verbis Navarrus Enchir. c. 22. num. 76. Sanchez lib. 7. diſp. 17. & alii colligunt non ipſas nuptias hoc Decreto prohiberi, ſed earum dumtaxat ſolemnitatem, pompam ſcilicet & apparatum, quo ſponſi ad Eccleſiam ducuntur. At præter illam accidentalem ſolemnitatem, quæ ad ritum religioſum matrimonii nullatenus pertinet, nec ab Eccleſia fuit invecta, alia eſt ſolemnitas a Concilio præcepta, nempe Parochi & duorum vel trium teſtium præſentia, ſine qua irritum eſt Sacramentum: adde ſacerdotalem benedictionem, *ego vos conjungo, in nomine* &c. quæ non debet omitti, utpote quæ in plurium ſententia ſit forma Srcramenti.

Quæro autem ab hujuſmodi interpretibus, unde habeant Concilium non attendiſſe ad hancce ſolemnitatem, cum non diſtinguat, ſed abſolute prohibeat celebrari diebus a ſe notatis ſolemnitates nuptiarum? Deinde Concilium vult obſervari antiquas prohibitiones: antiquis anterioribus ſæculis, non nuptiarum apparatus præciſe, *ſed ipſæ* nuptiæ ſimpliciter prohibebantur diebus luctus, pœnitentiæ & orationis; quia, ut obſervabat ſupra Concil. Mediolanenſe V. parum conveniens videtur, ut fideles eo tempore matrimonio conjungantur, quo Eccleſia a temporibus Apoſtolorum monet conjugatos, ut ex conſenſu a conjugio ſe abſtineant. Denique uſus Eccleſiæ Gallicanæ ubique receptus, eſt optimus Concilii interpres: apud nos autem non licet abſque Epiſcopi diſpenſatione nuptias quocumque modo celebrare temporibus feriatis.

2. Quod ſponſalia legitima nec diſſoluta, & votum ſimplex ſive Religionis, ſive continentiæ impediant, quominus matrimonium licite contrahatur, perſpicuum eſt, cum in eo fides vel in ſponſalibus, vel in voto data frangeretur.

3. Ve-

3. Vetitum Eccleſiæ eſt prohibitio a Superiore facta nupturientibus, ne Matrimonium contrahant, priuſquam v. g. probaverint eſſe ſe liberos ad contrahendum, vel parentum conſenſum obtinuerint, vel inquiratur, an impedimentum, quod objicitur, revera exiſtat?

CAPUT IX.

De impedimentis Matrimonium dirimentibus.

DUobus paragraphis complectemur quæ impedimenta dirimentia ſpectant. In primo dicemus de impedimentis dirimentibus in genere. In ſecundo, de iiſdem in ſpecie.

§. I.

De impedimentis dirimentibus in genere.

Q. 1. QUO *ſenſu iſthæc impedimenta vocantur dirimentia?*

R. Non ita vocantur, quaſi matrimonium ſemel ratum ac firmatum diſſolvant: cum matrimonium ex natura ſua ſit indiſſolubile; ſed quod efficiant, ne quod fuerit attentatum, ratum fiat. Unde Parochus ſive Confeſſarius, qui in pœnitente impedimentum dirimens, puta affinitatis aut impotentiæ perpetuæ, deprehenderit, obſervabit in primis an matrimonium præceſſeria, aut ei jam legitime contracto ſupervenerit: ſi præceſſerit, matrimonium judicabit irritum, ac prorſus nullum: ſi ſupervenerit, firmum nihilominus ſtabit matrimonium: ſed illius uſus ſuperveniente impedimento fiet illicitus. An autem & quando de iis monendus ſit pœnitens, diximus tract. de Sacram. Pœnit. c. 9. paragr. 3. q. 3.

Q. 2. *quotuplicis Ordinis ſunt impedimenta dirimentia?*

R. Duplicis; alia enim ſunt juris naturalis & divi-

ni, ut error perſonæ, conſanguinitas ſaltem in primo gradu, ligamen, impotentia perpetua, aliæ ſunt juris humani, ut conditio, votum, conſanguinitas in remotioribus gradibus, cognatio ſive ſpiritualis, ſive legalis, &c. In impedimentis primi ordinis homines nullam habent diſpenſandi poteſtatem, ſecus in impedimentis ſecundi ordinis.

Dices: nulla auctoritas humana poteſt apponere Baptiſmo, Confirmationi, Euchariſtiæ, & reliquis Sacramentis novas conditiones, ſine quibus Sacramenta illa confici nequeant: Ergo nec inſtituere impedimenta Sacramentum matrimonii irritantia.

Nego conſequentiam & paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quod materia aliorum Sacramentorum, utpote quid phyſicum, non pendeat ex arbitrio hominum, ſicut contractus, qui eſt materia Sacramenti matrimonii: aqua naturalis v. gr. eſt vera aqua independenter a voluntate hominum; idem judicium eſto de impoſitione manuum, de pane triticeo, de actibus pœnitentiæ, & de oleo. At contractus matrimonii, cum ſit quid morale, penes eſt Communitatis Principem ei apponere quas voluerit conditiones & ſolemnitates, ſine quibus non erit verus contractus, nullamque pariet obligationem, ut cernere eſt in contractibus donationis cauſſa mortis.

Q. 3. *Cujus poteſtatis eſt ſtatuere impedimenta dirimentia? an Eccleſiaſticæ, an Civilis?*

Priuſquam fiat ſatis graviſſimæ ac celeberrimæ huicce difficultati, viteturque ſcopuli hinc inde occurrentes, operæ pretium eſt nonnulla præmittere.

Primum: poteſtas Eccleſiaſtica & Civilis ſuis limitibus ſunt circumſcriptæ; illa adminiſtrat res ſpirituales in ordine ad beatitudinem ſupernaturalem, iſta curat res temporales, eaſque dirigit proxime ad Reipublicæ pacem & tranquillitatem, remote vero ad æternam felicitatem. Hæc patent ex dictis Tract. de Sacram. Ord. cap. 2. q. 3.

Secundum: In matrimonio Chriſtianorum duo ſunt diſtinguenda, ſcilicet contractus civilis, & Sacramentum. Primum eſt quid temporale & mere politicum; in

in contractu enim civili agitur de dote, ſucceſſione, hæreditate, &c. Secundum eſt omnino ſpirituale, ac ſupernaturale, ſive in ſe, ſive in adjunctis ſpectetur; materia quippe & forma hujus Sacramenti, ritus quo celebrari debet, præparationes ad illud requiſitæ, quæ perſonæ ad illud admittendæ, quæ vero ab eo rejiciendæ; quid ſuſcepto Sacramento vitare teneantur, quidve obſervare: hæc omnia ex verbo Dei ſunt ſtatuenda & exigenda, ac proinde ad ordinem ſupernaturalem pertinent.

Tertium: Novatores, ut matrimonium e numero Sacramentorum impie expungunt, illudque habent ut contractum mere civilem, conſequenter definiunt ad ſolum Magiſtratum politicum pertinere cauſſas matrimoniales, ſoliuſque civilis poteſtatis eſſe præſcribere leges, Matrimonii, & impedimenta ſtatuere; quem errorem confixit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. Can. 4. his verbis: „ ſi quis dixerit Eccleſiam non potuiſ„ ſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, „ vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit. *Et* „ *can.* 12. ſi quis dixerit cauſſas matrimoniales non „ ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos; anathema ſit. „ His præmiſſis & elucidatis ad propoſitam quæſtionem

R. Poteſtatis Eccleſiaſticæ eſt conſtituere impedimenta dirimentia circa ea, quæ in matrimonio ſunt ſpiritualia: poteſtatis vero civilis circa temporalia: & ita ambæ illæ poteſtates ſunt a Deo inſtitutæ & ordinatæ, ut nedum inter ſe pugnent, quin mutuo ſe foveant & adjuvent. Tres ſunt reſponſionis partes.

Prima, quæ eſt de fide, utpote a Concilio Tridentino definita,

Probatur 1. quia nullus etiam hæreticus negaverit. Sacramentorum adminiſtrationem juris eſſe Eccleſiaſtici, & ad ſolam Eccleſiam pertinere. Id agnoſcit ipſe Calvinus lib. 4. Inſtitutionum c. 19. §. 37. *ubi enim ſemel*, inquit, *obtinuere Catholici, matrimonium eſſe Sacramentum, conjugalium cauſſarum cognitionem ad ſe traxerunt, quippe res ſpiritualis erat, profanis Judicibus non attrectanda*. Atqui ex dictis probatum manet matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis pro-

prie

prie dictum: Ergo ejus adminiſtratio ad Eccleſiam pertinet.

Probatur 2. ex conſtanti Eccleſiæ uſu & praxi a Chriſto derivata, & per Apoſtolos tradita. Chriſtus Matth. 19. Impedimentum ligaminis conſtituit, dum polygamiam ſimultaneam & libellum repudii ſuſtulit. Apoſtolus 1. Cor. 7. diſparitatem cultus eo ipſo impedimentum dirimens matrimonium edocuit, quo mulieri fideli a viro infideli & contradicente recedere permiſit. Quid referam Canones variorum Conciliorum & Epiſcoporum, quibus conſtat Eccleſiam a temporibus Apoſtolorum ad noſtram uſque ætatem impedimenta matrimonii conſtituiſſe? ut Can. 15. 17. 61. & 66. Concilii Eliberitani cap. 2. Concilii Neocæſarienſis, Can. 6. & 18. Epiſt. S. Baſilii ad Amphil. cum iſta non diffiteantur adverſarii, contendentes Eccleſiam ſic egiſſe vel ex indulgentiam, & conceſſione Imperatorum, vel ex uſurpatione, reclamantibus Principibus policitis. Sed nobis ſomnia narrant; quam enim gratiam Patres Eliberitani conſequi poterant ab Imperatoribus Ethnicis, qui tunc Eccleſiam perſequebantur? Quin niſi impius dixeris Eccleſiam Chriſti ſponſam, Virginem in fide & caritate; a primis ſæculis injuſte uſurpaſſe quæ erant Cæſaris: Proferant vel unum Chriſtianum Principem univerſali Eccleſiæ praxi repugnaſſe, cum nobis ſuppetant plura Principum exempla in tertia noſtræ reſponſionis parte laudanda, qui hujuſmodi Eccleſiæ poteſtatem venerati ſunt.

Dices: Chriſtus per Legem Evangelicam nihil detraxit de poteſtate civili & politica; ait enim Jo: 18. *regnum meum non eſt de hoc mundo*: atqui Principes politici ante adventum Chriſti plenam & omnimodam poteſtatem habebant in contractus matrimoniales: Ergo etiamnum; ac proinde Eccleſia nullum jus habet conſtituendi impedimenta dirimentia.

Conceſſa majore diſtinguo minorem; omnimodam habebant poteſtatem (legi tamen naturali conſentaneam) in contractus matrimoniales civiliter & politice ſpectatos, Concedo: quocunque modo etiam ſupernaturali, & poſſibili ſpectatos, Nego minorem, Chri-

ſtus

ſtus itaque duo præſtitit. 1. reſtituit legem naturalem, ubi obliterata erat, contexitque iniquas Principum leges, quæ inducebant polygamiam ſimultaneam, & divortia quoad vinculum, neque propterea circumcidit auctoritatem Principum, ſed eam ad ſanum modum reduxit. 2. homines per gratiam ſuam ad ordinem ſupernaturalem evexit & matrimonium dignitate Sacramenti illuſtravit, *quo noſtra ſubſtantia ortum ſua benedictione cumularet*, inquiebat ſupra S. Cyrillus Alexandrinus: atqui poteſtas civilis, quanta ſit, nunquam excedet naturalem ordinem, ut componat ſupernaturalem, ſtatuatque modum & rationem adminiſtrandi ac recipiendi Sacramenta; *ne te immiſceas*, inquit Oſius ad Conſtantinum Imperatorem, *neque nobis in hoc genere præcipe; ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit; nobis quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit... neque enim fas eſt nobis in terris imperium tenere; neque tu Thimiamatum Sacrorum habes poteſtatem.*

Secunda pars noſtræ reſponſionis, nimirum Principes politicos jure proprio & innato poſſe conſtituere impedimenta dirimentia matrimonium, quatenus eſt contractus civilis; Probatur. 1. quia ex dictis ad Reges & Principes politicos pertinet res temporales dirigere ad bonum publicum, cives legibus ſuis ita continere & inter ſe componere, ut ex ordine a ſe præſtructo Reipublicæ pax & tranquillitas efflorefcat: atqui nemo negaverit quin ex contractibus, quibus cives inter ſe componuntur, conjugalis ſit præcipuus, utpote familiarum nexus, & ſocietatis civilis fundamentum: Ergo civilis contractus conjugalis ſubjacere poteſt politicæ. *Matrimonium*, inquit Sanct. Thomas in Supplem. quæſt. 50. art. unico ad quartum, *in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur lege naturæ; in quantum eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino: in quantum eſt officium communitatis ſtatuitur lege civili*. Idem Sanctus Doctor ſcribit lib. 4. contra Gentes c. 78. 2. Chriſtus nihil ſanxit circa civilem contractum matrimonii, niſi quod ab eo removerit, quæ jure naturali repugnabant, ut polygamia ſimultanea & re-

repudium: Nihil mutuarunt Apoſtoli, ſed permiſerunt ut fideles nuptias celebrarent juxta varias Regnorum leges, adeo ut matrimonia v. gr. apud Perſas rata, apud Romanos eſſent irrita. 3. Eccleſia leges a Principibus Chriſtianis circa matrimonium latas confirmavit & laudavit. Concilium Lateranenſe primum Can. 5. legem, qua prohibet matrimonium inter conſanguineos, confirmat auctoritate legis civilis. S. Ambroſius epiſt. *66.* & S. Auguſtinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 16. laudat Theodoſii legem, qua vetat ne conſobrini matrimonio copulentur. Denique in regionibus, ubi ſectarii dominantur, matrimonio juxta leges ab iis præſcriptas celebrata ſunt rata, & in ſententia plurimum Theologorum vera Sacramenta. Hinc apoſtatæ noſtri, quando poſt contractum apud ſectarios matrimonium ad nos redeunt pœnitentes, ad alia vota tranſire nequeunt, vivente uxore ibi relicta, niſi conſtet eorum matrimonium initum fuiſſe ſpreta irritante lege municipali. Ex quibus evincitur Eccleſiam ſemper agnoviſſe in Principibus politicis jus conſtituendi impedimenta dirimentia.

Dices: non poteſt admitti in Principibus politicis ejuſmodi poteſtas circa contractum civilem, quia ſimul admittatur circa Sacramentum, quia contractus civilis eſt eſſentialis materia Sacramenti; ſublata autem materia Sacramento tollitur ipſum Sacramentum: atqui conſequens illud pugnat ſaltem indirecte adverſus definitionem Conc. Trident.: ergo & antecedens, veraque eſt eorum Thologorum ſententia, qua docent, ex quo Chriſtus matrimonium erexit ad dignitatem Sacramenti, Principes politicos poteſtatem non habere inducendi impedimenta dirimentia.

R. 1. Negando majorem, quia in hypotheſi quod civilis poteſtas ſtatuat aliquod impedimentum dirimens matrimonium, vel conſentiet, vel diſſentiet Eccleſia. Si primum, Sacramentum non erit irritum auctoritate civili, ſed Eccleſiaſtica dumtaxat, quæ in illis circumſtantiis legem civilem faciet ſuam. Si ſecundum, Eccleſia, relicto contractu civili, ſtatuet contractum naturalem pro materia eſſentialia Sacramen-

menti, quemadmodum in hypotheſi quod Princeps politicus conderet legem iniquam, qua irritaret civilem contractum conjugalem, proculdubio Eccleſia illicitum ejuſmodi contractum non admitteret ut eſſentialem Sacramenti materiam, ſed adhiberet alium juri naturali conſentaneum. Unde

R. 2. Negando etiam minorem, ſcilicet reſponſionem noſtram indirecte ſaltem repugnare definitioni Concilii Tridentini; namque Concilium ſolummodo perſtringit errorem, quo Sectarii docent eſſe poteſtatis civilis, nullatenus vero Eccleſiaſticæ, ſtatuere leges circa matrimonium, utpote contractum pure civilem, cauſſaſque matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, cui impietati formaliter opponitur iſta noſtra reſponſio, cum Eccleſiæ aſſerat jus ipſi divinitus conceſſum, etiam in hypotheſi metaphyſica, quod politica poteſtas ab Eccleſiaſtica diſſideret. Sed ejuſmodi diſſidium moraliter timeri non debet, ut patebit ex ſequenti reſponſione. Itaque

Tertia pars noſtræ reſponſionis, nimirum ambas poteſtates, Eccleſiaſticam ſcilicet & politicam, ita a Deo eſſe inſtitutas & ordinatas, ut nedum inter ſe pugnent, quin mutuo ſe foveant & adjuvent, probatur; quia Principes Eccleſiaſtici & politici Chriſtiani, ſunt membra ejuſdem Corporis, cujus caput eſt Chriſtus, *ex quo*, inquit Apoſtolus Eph. 4. *totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate*. Hinc Prælati Eccleſiæ pro ſuo officio docent ex verbo Dei & ſuo exemplo reverentiam & obedientiam, quam ſubditi debent Regibus & eorum Miniſtris; Apoſtoli, ut jam monuimus, in nuptiarum celebratione admiſerunt Imperatorum Ethnicorum leges, modo congruerent Evangelio: Patres Milevitani ad Imperatorem recurrunt, ut ſua auctoritate confirmet, quod circa nuptias ſtatuerant. Inde etiam Reges & Principes edocti quod Matrimonium Chriſtianorum ſit res ſacra & ſancte tra-

tractanda, ſua auctoritate conferunt, ut ſacri Canones, qui nuptias ſpectant, religioſe obſerventur. Sic Carolus Magnus in ſuis Capitularibus, ubi ſtatuit circa nuptias a Canonibus præſidium advocat, *ſic Gregorius ſenſit*, ait lib. 5. num. 5. & 6. & n. 7. *ita Canones prohibent copulari*: cauſſæ matrimoniales ſunt fori Eccleſiaſtici, juxta conſtantem Galliæ diſciplinam. Reges noſtri Chriſtianiſſimi, ubi obſiſtit aliquod impedimentum, quominus Matrimonium in familia regia contrahatur, ut ratio boni communis exigit, ad auctoritatem Eccleſiæ recurrunt. Denique Oratores Galli in Concilio Tridentino a Patribus poſtularunt nomine Caroli IX. ut juberent irritari matrimonia clandeſtina, & ea, quæ filii familias, inſciis vel invitis parentibus, contraxiſſent. Ergo perſuaſum ſemper fuit neceſſarium eſſe utriuſque poteſtatis Eccleſiaſticæ & civilis concurſum, ut aliqua impedimenta matrimonii inducantur, cum conjugalis contractus ſimul ſit civilis & Sacramentalis.

Dices: Concilium Trident. ſeſſ. 24. C. 1. de Reform. definiit rata ac valida eſſe filiorum familias matrimonia ſine conſenſu parentum contracta; verba illius ſunt: *eos Sancta Synodus anathema damnat .... qui falſo affirmant matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita facere poſſe*. Contra vero Henricus II. anno 1556. Carolus IX. an. 1561. art. Henricus III. in generalibus comitiis Bleſenſibus, art. 40. Henricus IV. anno 1606. Ludovicus XIII. an. 1629. & anno 1639. declarant ejuſmodi matrimonia invalide contracta; addit Henricus III. Parochos, qui ea benedixerint, puniendos tamquam raptus fautores; & Ludovicus XIII. in ſuo Edicto anno 1629. *Tenebuntur*, inquit, *judices eccleſiaſtici cauſſas matrimoniales convenienter huic articulo dijudicare*. Ergo ambæ poteſtates, Eccleſiaſtica & Civilis, non concordant circa impedimenta matrimonium dirimentia.

Nego conſequentiam; refert enim Cardinalis Pallavicinus lib. 22. c. 1. controverſiam circa matrimonia filiorum familias ita compoſitam ex conſenſu etiam

Ora-

Oratorum Gallorum, ut decretum Concilii conveniat cum Regni diſciplina. Atque ut veritas hiſtoriæ eluceat, paullo latius exponendum eſt quotuplex fuerit caput controverſiæ circa matrimonia filiorum familias.

In Concilio igitur duplex hic erat controverſiæ caput: alterum ſpectabat dogma fidei, an ſcilicet matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum contracta, jure naturali & divino eſſent irrita, quemadmodum definiebant Novatores: Alterum pertinebat ad diſciplinam, utrum expediret nova lege ejuſmodi matrimonia reddere irrita, ut præ ceteris Oratores Galli, Regis nomine ſolemniter petierunt, utpote noxia, ac familiis indecora, & odiorum potius quam amoris fomites inter conjuges.

Circa primum controverſiæ caput, Concilium ſub anathemate definiit contra Pſeudoreformatos matrimonia filiorum familias ſine parentum conſenſu non eſſe jure naturali aut divino irrita, probaturque definitio 1. ex Scriptura. Tobias junior conjugem duxit inſciis parentibus, Tob. 7. Jacob inconſulto patre, primæ uxori tres ſuper induxit Gen. 29. & 30. Judas ſine conſilio patris conjunctus eſt mulieri Chananitidi, Gen. 37. ſimiliter & Eſau, Gen. 26. quæ duo poſteriora exempla, etſi imitanda non ſint, oſtendunt tamen vera eſſe matrimonia ſine conſenſu parentum inita. Probatur 2. ratione ex S. Thoma deprompta 2. 2. q. 104. art. 5. „ In his, *inquit*, quæ ad naturam „ corporis pertinent, homo homini obedire non te„ netur, ſed ſolum Deo; quia omnes homines natu„ ra ſunt pares, puta in his quæ pertinent ad corpo„ ris ſuſtentationem, & prolis generationem: unde „ non tenentur, nec ſervi dominis, nec filii parenti„ bus obedire de matrimonio contrahendo, vel virgi„ nitate ſervanda, aut aliquo alio hujuſmodi. „ De ſervis omnes conveniunt, quod, invitis dominis, contrahere poſſint, & expreſſe habetur cap. *Dignum eſt*, tit. *De conjugio ſervorum*, cum jus Gentium, quo ſervitus eſt inducta, auferre nequeat jus quod natura conceſſit: atqui major eſt ſubjectio ſervo-

rum ad dominos, quam filiorum ad parentes: Ergo.

Quam autem aliena ſit a Novatorum errore Gallorum diſciplina, vel ex laudato Edicto Henrici II. liquet; in eo quippe declarat Rex Chriſtianiſſimus liberum eſſe filiis familias, triginta annos excedentibus, & filiabus familias, quæ 25. ætatis annum compleverunt, matrimonium inire, reverenter tamen petito, licet non obtento parentum conſenſu. Opportune quidem; quia contingit nonnunquam parentes eſſe ſordide avaros, qui ne dotem numerare cogantur, liberorum nuptias procraſtinant, magno ſalutis eorum detrimento, aut certe filiis uxores quærunt potius ampliſſime dotatas bonis licet male partis, quam bene moratas.

Quod vero ſpectat alterum controverſiæ caput, in primis declaravit ſancta Synodus Eccleſiam ex juſtiſſimis cauſſis conjugia filiorum familias inconſultis parentibus contracta ſemper fuiſſe deteſtatam, utpote quæ repugnent divinæ legi, tum poſitivæ, tum naturali; poſitivæ quidem, nam Scripturæ paſſim conjugia filiorum in poteſtate parentum conſtituunt, ut Exodi 34. v. 16. Deut. 7. v. 3. 1. Cor. 7. v. 36. 37. & 38. Naturali quoque, in iis ſiquidem maxime læduntur honos & obedientia jure naturali parentibus debita; quid enim parentibus acerbius contingere poteſt, quam ſi filii, quos impenſe diligunt, implicent ſe conjugiis, ut plurimum ſibi noxiis & familiæ indecoris, iiſque invitis obtrudant hæredes, nurum & generum, quibus parentes officium abſque propria electione impendere cogantur? Cum enim per matrimonium vir & mulier unum corpus efficiantur, debent gener & nurus quaſi filiorum loco haberi a ſoceris.

Hinc quæſtio in Concilio diutius agitata, num illicita ejuſmodi conjugia in poſterum irritari deberent. Ita exiſtimabant non pauci, maxime cum Eccleſia quondam ea ſuis legibus irrita feciſſet, ut patet tum ex epiſtola S. Baſilii ad Amphilochium, ubi Canone 42. vocat matrimonia filiorum familias ſine conſenſu parentum, irrita, fornicationes & concubinatum; quam diſciplinam hactenus retinuit Eccleſia Orienta-

lis,

lis, ut colligitur ex Photio in Nomocanone tit. 13. c. 9. & ex Balſamone, qui exeunte duodecimo ſæculo ſcripſit in illum Nomocanonem: tum ex epiſtola decretali, quæ licet falſo adſcribatur Evariſto, teſtatur tamen quæ fuerit diſciplina Eccleſiæ Latinæ nono ſæculo, quo prodiit cum aliis ſuppoſititiis epiſtolis ſummorum Pontificum ſecundi & tertii ſæculi; in ea quippe ſic habetur de ejuſmodi conjugiis: *non conjugia, ſed aut adulteria, aut ſtupra, vel fornicationes potius, quam legitima conjugia eſſe non dubitate.*

Germani non minus quam Galli exoptabant ut vetus illa diſciplina reſtitueretur; ſic enim loquuntur Patres Concilii Colonienſis an. 1536. parte 9. c. 43. „ Optandum ut Canon Evariſti Pontificis Concilio generali renovetur; tollanturque illa clandeſtina matrimonia, quæ invitis parentibus ac propinquis, „ Veneris potius quam Dei cauſſa contrahuntur. Nam „ quanta mala ex his clandeſtinis matrimoniis ſuboriantur, in aperto eſt. Interea vero donec Eccleſia „ de hoc proſpiciat, ſi non irrita, prohibita ſaltem „ ſint, & pœnæ Canonicæ, id eſt, excommunicationi, contrahentes, & qui his ope & conſilio adfuerint, ſubjaceant. „

Patres a Concilio ſelecti ad exponendam propoſitam quæſtionem, libratis in utramque partem momentis, primo delinearunt hocce decretum, quod refert Cardin. Palavicinus cit. lib. 22. c. 1. *præterea eadem Synodus irrita fecit ea matrimonia quæ contrahuntur a filiis familias ante annum decimum octavum completum, & a filiabus ante decimum ſextum completum abſque genitorum conſenſu;* ſed decretum novæ trutinæ ſubjectum non placuit, utpote non ſatis efficax remedium ad continendam Juvenum petulantiam. Unde pergit idem Hiſtoricus, „ de filiis familias ita variatum eſt, ut ma- „ rium conjugium abſque conſenſu parentum eſſet irri- „ tum ante annum vigeſimum; fœminarum vero ante „ decimum octavum completum; niſi ubi parentes ro- „ gati, conſenſum ad nuptias honeſte expetitas filiis „ iniquo judicio diſſentirent: filii vero obtenta a „ Præſule facultate, matrimonium contraherent. Vi-

des in hujuſmodi idea occupatos Tridentinos Patres in conciliandа auctoritate paterna cum filiorum libertate contrahendi matrimonii ; ubique enim ſcopulos advertunt . Si paternam auctoritatem in tuto collocent, periculum eſt, ne parentes parum æqui, jure a natura & a Deo ſibi conceſſo abutantur, filiiſque denegent in evidens æternæ ſalutis periculum, quod vili mancipio abſolute denegare non licet. Si vero filiorum libertatem vindicent, timendum ne ipſi, contempta paterna auctoritate, abrupti juvenilis ætatis fervore, in noxia matrimonia ferantur præcipites. Temperamentum quoddam excogitarunt hujuſce ideæ auctores, nempe ad judicium Præſulis recurrendum, ſi qua patrem inter & filium oriretur diſſenſio ; ſed obſtaret politica auctoritas; cum in hujuſmodi judicio plura occurrant diſcutienda, quæ ad forum civile pertinent.

Quare, omnibus ponderatis, ſancta Synodus tandem ſic decrevit c. 1. de Reform. „ tametſi dubitandum „ non eſt, clandeſtina matrimonia libero contrahen„ tium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia; „ quandiu Eccleſia ea irrita non fecit; & proinde ju„ re damnandi ſint illi, ut eos ſancta Synodus ana„ themate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, „ quique falſo affirmant matrimonia a filiis familias „ ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe & pa„ rentes ea rata vel irrita facere poſſe : nihilominus „ ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſſis illa ſemper „ deteſtata eſt, atque prohibuit.

Duæ ſunt partes hujuſce decreti, alioquin obſcuri, ut videtur pluribus Theologis, qui illud diverſimode interpretantur.

In prima parte Concilium anathemate percutit Novatores, & eos qui dixerint matrimonia clandeſtina, & ea quæ contrahuntur a filiis familias ſine parentum conſenſu eſſe irrita. Addit Concilium, *quandiu Eccleſia ea irrita non fecit*; ut ſignificet, 1. jure divino non eſſe irrita : ut de matrimoniis filiorum familias ſine parentum conſenſu contractis affirmabant Novatores. 2.

penes

penes Eccleſiam eſſe ea irrita facere, 3. non damnare ſe praxim eorum Latinorum, qui olim matrimonia filiorum-familias, non conſentientibus parentibus contracta, irritarunt; nec Græcorum, qui a pluribus ſæculis ea faciunt irrita.

In ſecunda parte Concilium declarat Eccleſiam ex juſtiſſimis cauſſis ſemper deteſtatam matrimonia filiorum familias abſque parentum conſenſu contracta, eaque hactenus prohibuiſſe ac prohibere, quibus verbis diluit calumnias Calvini, qui lib. 4. Inſt. c. 19. Romanorum Pontificum leges vocat impias in Deum & in homines iniquiſſimas, *qualis ſunt*, inquit, *aut conjugia inter adoleſcentulos parentum injuſſu contracta, firma, rataque maneant*. Nec dicas contradictorium eſſe Eccleſiam deteſtari ac prohibere ejuſmodi conjugia, & nihilominus ea habere firma ac rata; namque Eccleſia deteſtatur, prohibetque miniſterium Sacerdotis, qui conſcius gravium peccatorum Sacramenta conficit, nec propterea irrita declarat Sacramenta ſic confecta.

Porro Concilium in decurſu capitis decernit matrimonia, quæ in poſterum, (hoc eſt, poſt triginta dies numerandos a primo die, quo præſens decretum in unaquaque Parochia publicatum fuerit) clandeſtine contrahentur, fore irrita & prorſus nulla. De matrimoniis vere filiorum familias abſque conſenſu paterno poſtmodum contrahendis, nihil ultra pronuntiat, quam quod ab initio capitis decreverat, nimirum ea eſſe prohibita, & nihilominus rata, quandiu Eccleſia irrita non fecerit: atqui Concilium ea non declaravit irrita, niſi clandeſtine contrahantur, quod ut plurimum ante Concilium contingebat; nunc autem rarius: quin valide contrahere nequeunt niſi coram proprio Parocho & teſtibus. Quin & ex præcepto Concilii præire debent tres denunciationes; quibus ſi parentes intercedant, Parochus ultra procedere non poteſt, donec juridice removeatur interceſſio; atque hoc conſilio viſum eſt Patribus ſatis præcavere ſe graviora ac frequentiora, quæ ſequuntur incommoda ex matrimoniis filiorum familias.

Quomodo vero cum hocce decreto concilientur

Edicta Chriſtianiſſimorum noſtrorum Regum ſupra laudata, ad ſupplicem Clerici Gallicani expoſtulationem, occaſione Edicti Ludovici XIII. anno 1629. aperuerunt Magnus Regni Cancellarius, & Selecti ſanctioris Conſilii Officiales, qui ex ſcripto ſic reſponderunt Regis nomine, *verba iſta*, VALIDE AUT INVALIDE CONTRACTA MATRIMONIA, *non eſſe aliter explicanda quam per ſolam relationem ad contractum civilem per Laicos Judices*; ergo valide contrahuntur per relationem ad Sacramentum. Quoad alteram vero partem Edicti, in qua Judices Eccleſiaſtici dicuntur teneri cauſſas matrimoniales convenienter Edicto Bleſenſi dijudicare, reſponderunt iidem Regii Miniſtri juſtam & rationi congruam viſam fuiſſe Cleri commonitionem, ſcil. ſacros Canones & Eccleſiaſtica decreta eſſe unicam regulam & normam Judicii Eccleſiaſticorum, nec eos poſſe aut debere juriſdictionem, quam a ſolo Deo collatam habent circa res ſpirituales, ab ipſis Laicis mutuari. Ea Regis Chriſtianiſſimi Declaratio habetur in Commentariis Clerici Gallicani, tom. 3.

Inſtas: Senatus Pariſienſis matrimonia, de quibus agitur, ita reſcindit aliquando, ut poteſtatem facias iis, qui ea contraxerunt, ad alias nuptias convolandi. Ergo Regni diſciplina adverſatur Concilii decreto.

Diſtinguo antecedens, reſcindit ob impedimentum ſeductionis, de quo paragrapho ſequenti, ubi de raptu, Concedo: ob defectum conſenſus paterni, Nego antecedens. Itaque in matrimoniis, de quibus eſt ſermo, raptus ſeductionis cum defectu conſenſus paterni concurrit, & propter ejuſmodi raptum refert Gerbaſius noſter matrimonium inter Joſephum Pichum & Joannam Pollart initum, in ſuprema Curia Reformationis Juſtitiæ, quæ ſedebat apud Pictavos an. 1699. declaratum fuiſſe irritum, ita poſtulante clariſſimo viro Bignonio de Blanzi, qui tum Procuratoris Generalis vices agebat. Quod autem ſolus defectus conſenſus paterni Sacramentum non irritet: ipſemet Lovetus agnovit: „ Nullitas matrimonii, *inquit tit.* 6, „ proveniens ex defectu conditionum, quas requirit

„ as-

„ articulus quadrageſimus Bleſenſis Conſtitutionis „ nullatenus attingit ipſum Sacramentum, quod nihi- „ lominus in iſto matrimonio exiſtit. „

§. II.

De numero impedimentorum, quæ matrimonium dirimunt.

Q. 1. QUot ſunt impedimenta dirimentia?

R. Quindecim vulgo numerantur his verſibus expreſſa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

DE ERRORE.

Q. *Quotuplex eſt error?*

R. Duplex: alter perſonæ, quo ſupponitur una perſona pro alia, v. g. Lia pro Rachele: alter qualitatis & circa accidentia; ut ſi credatur puella nobilis, dives, virgo, unica hæres, vel primogenita, cum tamen his dotibus careat. Primus error jure naturali dirimit matrimonium, quia prorſus tollit conſenſum, ſine quo nullus eſt contractus, ut ex communi ſententia docuimus Tract. de Jure & juſtitia 3. parte de Contractibus: emptio v. gr. in qua ſupponit tabula ſtannea pro argentea, quam quis intendebat emere, eſt per ſe irrita & nulla, quia emens non conſenſit in tabulam ſtanneam. Ergo a pari matrimonium Jacobi cum Lia fuit nullum, cum non conſenſiſſet in Liam, ſed in Rachelem, Gen. 29. nec potuit evadere ratum & validum, niſi per ſubſequentem conſenſum, quo Liam, detecta fraude, acceptavit uxorem.

Contra vero ſecundus error, nempe qualitatis non irritat, nec dirimit matrimonium, quia non tollit

conſenſum, nec conſenſus objectum, ſcil. hanc perſonam, quam revera vult habere uxorem vel maritum, quamvis, ſi ſciret eſſe eam pauperem, aut ignobilem, nollet cum ea contrahere; aliud enim eſt, *nolui*, aliud, *noluiſſem*: primum excludit conſenſum, ac proinde matrimonium: ſecundum vero minime; multa enim actu volumus, quæ noluiſſemus melius conſulti. Firma tamen manent, quæ ſic voluimus, alias vix ullus contractus eſſet validus, cum fere ſemper nonnulla lateant, quæ ſi quis detexiſſet, nunquam contraxiſſet. Conſule in hanc rem, quæ dicta ſunt c. 2. de contractibus.

Obſervat tamen S. Thomas in Supplem. q. 51. art. 2. ad quintum, qualitatem aliquando refundi in perſonam, cum ſcilicet qualitas inſervit ad deſignandam determinate perſonam, eamque diſtinguit a quacumque alia. Exemplum affert S. Doctor conjugii meditati inter perſonas regias, puta inter infantem Hiſpaniæ & Delphinum Franciæ; ambæ enim illæ qualitates eſſe Infantem, & eſſe Delphinum, ita determinant perſonas, ut excludant quaſcunque alias. Unde ſi Infanti Hiſpaniæ ſupponeretur alter regiæ ſtirpis filius, vel etiam ipſius Regis filius ſed minor natu, nullum eſſet matrimonium, defectu conſenſus in Infante, utpote quæ non conſenſiſſet in alterum a Delphino. At res non ita ſe habet, quando voluntas fertur in hanc determinatam perſonam, cui adjunctas credit, ſed falſo, divitias, nobilitatem, &c. Caſus referam, elucidationis gratia, qui ab aliquot annis ad nos delatus eſt conſilio ſubſcripto duorum Advocatorum. Vagus quidam, Gallice *Aventurier* cultiori veſtitu, eleganti forma & jucundo ingenio jactitabat ſe ex illuſtri familia oriundum, & eo titulo frequens erat in domo viri nobilis, cui erat filia nubilis, placuit puellæ & patri; nuptias ſpoponderunt, ſi genus ſuum probaret: ille protulit falſa teſtimonia, & celebratæ ſunt nuptiæ. Comperta poſtmodum viri infimæ plebis fallacia, quæſitum eſt an valeret ejuſmodi matrimonium. Negarunt Advocati; de quibus ſupra, hac ratione ducti, quod error dans cauſſam contractui, facit contra-

ctum

ctum irritum; præſertim ſi ex dolo alterius contrahentis oriatur. Sed nullus fuit error niſi circa qualitatem, puella ſciens & volens conſenſit in perſonam, de qua agitur, nulla fuit hic deceptio, ſed ſolum circa ejus qualitates.

Ergo ratum fuit matrimonium ſaltem quoad contractum ſpiritualem & ſacramentalem, ſi non quoad conventiones matrimoniales & civiles, „ error qualitatis non excludit conſenſum, *inquit Gratianus cauſa 29. qu. 1.* utpote ſi quis emerit agrum, vel „ vineam quam putabat eſſe uberrimam. Quamvis iſte „ erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non poteſt tamen emptionem reſcindere: ſimiliter qui ducit uxorem meretricem, vel corruptam, „ quam putat eſſe caſtam, vel virginem, non poteſt „ eam dimittere, & alia ducere. „

Quod dicitur de errore dante cauſſam contractui; manifeſte pugnat contra jus civile lib. de Inſtit. §. 1. de exceptionibus, ubi expreſſe habetur dolum dantem cauſſam contractui, etiamſi ſit ab altero contrahente, non irritare contractum. Si tamen diſſolubilis eſt contractus, poſſet reſcindi pro voluntate partis deceptæ; atqui contractus conjugalis non eſt diſſolubilis: Ergo ſi ab initio validus fuit, firmus manere debet.

Inſtas: contractus ad cauſſam nullus eſt, non ſubſiſtente cauſſa finali, v. g. eleemoſyna data ei, qui ſe fingebat pauperem, reſtituenda eſt, quia donatio illa fuit nulla, cum cauſſa ejus finalis, ſcilicet pauperis ſublevatio non ſubſiſtat: atqui cauſſa finalis matrimonii, de quo eſt ſermo, non ſubſiſtit: Ergo.

Nego minorem: cauſſa enim finalis matrimonii eſt generis humani propagatio, non vero nobilitas, aut divitiæ. Ex quo ſequitur eum, qui ex errore contrahit cum laborante impotentia perpetua, invalide contrahere, non vero qui ex ſimile errore contrahit cum ignobili & paupere.

Inſtabis iterum: qui ſervam quam putabat liberam, ducit in uxorem, invalide contrahit, licet ſervitus & libertas ſint ſolummodo qualitates perſonæ, quæ du-

citur. Ergo a pari irritum eſt matrimonium puellæ nobilis, quæ ex errore nubit ignobili. *

Nego conſequentiam & paritatem: quia Eccleſia inter impedimenta dirimentia ſtatuit ſervitutem, ut ſtatim dicemus, nullatenus vero ignobilitatem, aut paupertatem.

DE CONDITIONE.

Q. 1. *Quid hic intelligitur nomine conditionis?*

R. Intelligitur ſtatus ſervilis, ſeu perſonæ, quæ eſt ſub dominio alterius tamquam ejus poſſeſſio, & res ipſi propria, de qua diſponere poteſt, & pro libito vendere, locare, permutare, non tamen occidere: nam ex alibi dictis ſolus Deus habet dominium directum in vitam hominis. Cum autem in Gallia locum non habeat ejuſmodi ſervitus, & famuli noſtri domeſtici ſint ab ea liberi; quæ fuſius tractant Theologi & Canoniſtæ de impedimento conditionis, leviter attingemus.

Q. 2. *An & quomodo conditio ſit impedimentum dirimens?*

R. Conditio ſervilis 1. dirimit matrimonium inter perſonam liberam & ſervam, idque ſaltem Jure Eccleſiaſtico & civilis, ſi perſona libera ignorabat alterius ſervitutem. 2. Non dirimit, ſi perſona libera, dum contraxit, conſcia erat ſervitutis alterius. 3. Non dirimit, ſaltem a duodecimo ſæculo, ſi ambæ perſonæ ſervituti obnoxiæ inter ſe contrahant, etiam invitis dominis. Primum & ſecundum habentur cap. 4. *Propoſuit*, lib. 4. tit. 9. *De conjugio ſervorum*: & cap. 4. *Ad noſtram*, eodem tit. Tertium vero cap. 1. *Dignum eſt*, eodem tit.

Dixi, 1. *Saltem Jure Eccleſiaſtico & Civili*: quia nonnullis videtur ſervitutem jure naturali irritare matrimonium, ea ratione ducti, quod cum ſervus ſit ſub dominio domini, per contractum matrimonii non poteſt tradere alteri poteſtatem in proprium corpus jam domino obligatum, *eorum enim: qui ſunt in alterius poteſtate, pacta conventa firmi nihil habent*, inquit S. Baſilius ep. ad Amphil. Can. 10. Idem defi-

niunt

niunt leges civiles, Novella 22. de nuptiis cap. 10. in Authent. ſed ſervitus jure Gentium inducta deſtruere non poteſt, quæ ſunt juris naturalis, ut alimenta ſumere, ſomno neceſſario indulgere, Matrimonio copulari. Vide S. Thom. in Suppl. quæſt. 52. art. 2.

Dixi 2. *ſaltem a duodecimo ſæculo*, quia irrita prius erant matrimonia inter ſervos inita abſque conſenſu dominorum, ut patet ex laudata ep. S. Baſilii ex Conc. Vermerienſi 8. ſæculo, & ex Conc. Cabillonenſi II. ann. 813.

Q. 3. *Qui ex ſententia Judicis damnati ſunt ad triremes, vel ad mortem, quam fuga declinarunt, poſſuntne valide matrimonium contrahere?*

R. Invalide contrahunt quantum ad effectus civiles, valide vero quantum ad ipſum fœderis vinculum & Sacramentum.

Prima pars probatur ex Senatuſconſulto Pariſienſi ann. 1625. quod refertur a Fevreto lib. 5. cap. 3. de abuſu; & ratio eſt, quia homines illi ſunt civiliter mortui; omnia quippe jura civitatis, familiæ, originis, ac libertatis, amiſerunt.

Secunda pars probatur, quia impedimentum conditionis matrimonium dirimens eſt juris poſitivi Eccleſiaſtici; atqui nulla lex Eccloſiaſtica irritat hujuſmodi hominum matrimonia: Ergo. Nec refert quod homines ſic proſcripti & pene ſervi, videantur pejoris conditionis quam ipſa mancipia; cum amiſerint jus in propriam vitam, quod retinent mancipia; inde enim ſolum evincitur, quod juſta foret lex irritans eorum matrimonia; ſed quamdiu non feretur, rata habebuntur.

DE VOTO.

Q. 1. *Quodnam votum impedit matrimonium?*

R. Solum votum caſtitatis perpetuæ, ſeu Religionis.

Q. 2. *Quotuplex eſt votum caſtitatis perpetuæ?*

R. Du-

R. Duplex, ſcilicet ſimplex & ſolemne; ſimplex vocatur, quod fit privatim vel ſine ea ſolemnitate, quam Eccleſia præſcripſit. Solemne, quod emittitur in profeſſione ſolemni Religionis ab Eccleſia approbatæ. Conſule quæ ſuſe tradidimus de ſolemnitate votorum. Tract. de Relig. cap. 5. §. 2.

Q. 3. *Utrumque caſtitatis votum dirimitne matrimonium?*

R. Solemne dirimit, ſimplex vero reddit illicitum, non vero invalidum, ut diximus cap. præc.

Q. 4. *Votum ſolemne fuitne ſemper impedimentum dirimens?*

R. Videtur non fuiſſe ubique, niſi labente ſæculo 6. nam S. Auguſtinus lib. de dono viduitatis cap. 11. rejicit eorum opinionem, qui dicebant nuptias Virginum, quæ caſtitatem voverant, non eſſe nuptias, ſed adulteria: *Non mihi videntur*, inquit, *acute ac diligenter conſiderare quid dicant ... cum volunt eas ſeparatas reddere continentiæ; faciunt maritos earum adulteros viros, cum ſuis uxoribus vivis alteras duxerint*. S. tamen Baſilius ep. ad Amphil. Can. 6. fuit in oppoſita ſententia. Sed a ſæculo 6. fuit lex univerſalis, voto ſolemni dirimi matrimonia poſtmodum contracta, ut patet ex S. Gregorio lib. 7. ep. 9. Conc. Triburienſi cap. 23. anno 895. ex Conc. Troslejano cap. 8. anno 909. & cap. *Meminimus*; quod eſt Alexandri III. tit. *Qui Clerici, vel voventes*.

DE COGNATIONE.

Q. 1. *Quotuplex cognatio Matrimonium dirimit?*

R. Triplex, nempe ſpiritualis, legalis, & naturalis; quæ vulgo dicitur conſanguinitas.

Q. 2. *Quid eſt cognatio ſpiritualis?*

R. Eſt affinitas, quæ oritur ex Baptiſmo vel Confirmatione; cum enim baptiſmus ſit ſpiritualis quædam nativitas, utpote Sacramentum regenerationis, eaque in Confirmatione perficiatur: qui ad illa Sacramenta non currunt, ut Miniſter & ſuſceptores, habentur tamquam

Pa-

Patres ſpirituales, ac propter ſuſceptores vocitari ſolent patrinus & matrina; atque in horum Sacramentorum reverentiam voluit Eccleſia, ut cognatio ſpiritualis ex iis orta eſſet impedimentum matrimonium dirimens, in quo difficilius diſpenſat Summus Pontifex, quam in impedimento affinitatis carnalis; quin Fagnanus in cap. ex litt. lib. 4. tit. 11. *De cognatione ſpirituali*, monet Gregorium XIII. noluiſſe diſpenſare cum puella, quæ novennis infantem é ſacro fonte levaverat, ut cum eo jam adulto contraheret, quia cognatio ſpiritualis major eſt & difficilius diſſolvitur, quam carnalis, ut habetur Gloſſa in cap. *Qui dormierit*, cauſſa 27. q. 2.

Q. 3. *Cognatio ſpiritualis paritne impedimentum dirimens jure naturali, aut divino?*

R. Minime, quia ante ſæculum 4. nullum hujuſce impedimenti invenitur veſtigium, nec colligi poteſt ex lege ſive naturali, ſive Evangelica.

Q. 4. *Inter quos contrahitur cognatio ſpiritualis?*

R. Jure novo, ſcilicet decreto Conc. Trid. ſeſſ. 24. C. 2. de ref. contrahitur tantum inter ſuſceptores & ſuſceptum, ſive in Baptiſmo, ſive in Confirmatione, & illius patrem, ac matrem, necnon inter Miniſtrum illorum Sacramentorum, & ſuſcipientem, ac illius patrem & matrem.

Ergo qui offerunt jam baptizatum in caſu neceſſitatis, ut ſuppleantur omiſſæ Baptiſmi cæremoniæ, nullam cognationem contrahunt, ut diximus capite præcedenti, quia ad Sacramentum nullatenus cooperantur.

Ergo patrinus & matrina poſſunt matrimonium inter ſe conjungi, quia ex Conc. Trid. cognationem ſpiritualem non contrahunt.

Q. 5. *Qui in caſu neceſſitatis infantem baptizavit, contrahitne cognationem ſpiritualem cum eo, & cum parentibus ejus?*

R. Si pater ipſe prolem legitimam baptizet, non contrahit; ceteri vero contrahunt.

Prima pars reſponſionis expreſſe habetur cap. *Si vir*, lib.

lib. 4. tit. 11. *De cognatione ſpirituali*, & cap. *Ad limina*, quod eſt Joannis VIII. cauſſa 30. quæſt. 1.

Secunda pars probatur; quia exceptio firmat regulam: atqui regula communis eſt baptizantem contrahere cognationem cum baptizato & cum parentibus ejus, excepto ſolo caſu, *ſi vir vel mulier ſcienter, vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit*: Ergo ceteri contrahunt. Ita Fagnanus in laudatum cap. *Si vir*, ubi plures laudat pro hac ſententia, & hanc rationem reddit, cur pater aut mater excipiatur a communi regula, quod legitimi conjuges habeant jus acquiſitum petendi debitum, quo non debent privari propter opus religioſum & laudabile, dicente enim Domino; *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; & iterum, *vir non dimittat uxorem, niſi fornicationis cauſſa*: extra controverſiam eſſe debet cognationem ſpiritualem, quæ eſt juris humani, ad legitimos conjuges non extendi.

Dixi, *prolem legitimam*, quia ſi pater in caſu neceſſitatis baptizet filium, quem ex concubina ſuſcepit, cognationem cum ea contrahit, ita ut illam in uxorem ducere nequeat; quia, inquit Fagnanus poſt Navarrum in Enchirid. cap. 16. num. 34. nullum jus habet petendi a concubina debitum.

Q. 6. *Quando per procuratorem ſponſor infantem levat e ſacro fonte, uter contrahit cognationem ſpiritualem?*

R. Diſſentiunt Theologi; alii cenſent contrahi a ſolo procuratore: quam opinionem Cardinalis Le Camus Epiſcopus Gratianopolitanus amplexus eſt in ſuis ſtatutis Synodalibus: quia ad contrahendam cognationem ſpiritualem, neceſſe eſt ut ſuſceptores neophytum, dum abluitur, tangant, juxta communiorem ſententiam, de qua dubitandum non eſſe poſt Conc. Trid. cap. 2. de ref. & Declarationem Cardinalium, ſcribit Fagnanus in cap. *Super eo*, lib. 4. tit. 11. *De cognatione ſpirituali*, num. 4. 5. 6. & 7. alii contra contendunt contrahi a ſolo mandante; ipſe enim ut cauſſa principalis ſpondet, agit & tangit per procuratorem tamquam per inſtrumentum. Ita Ledeſma

q. 56.

q. 56. Bonacina qu. 3. part. 2. num. 34. Navarrus lib. 5. conſil. Fagnanus in caput *Veniens*, tit. *De cognatione ſpirituali*, qui duo poſteriores aſſirmant Congregationem Cardinalium ſic judicaſſe. Ceterum, quamvis huic ſententiæ adhæreamus uti veriori & communiori; quia tamen non eſt omnino certa, cenſemus occurrente hujuſmodi caſu, ad Epiſcopum confugiendum, qui in dubio diſpenſare poteſt.

Ex dictis autem circa contractum, quem Theologi & Canoniſtæ communiter requirunt in ſponſoribus, & quem ſupponit Concilium Tridentinum citato capite ſecundo, obſervabit Parochus ut patrinus & matrina, nec plures ex decreto Concilii ibidem infantem tangant.

Q. 7. *Quid eſt cognatio legalis, ex qua oritur impedimentum dirimens?*

R. Eſt propinquitas perſonarum ex adoptione conſurgens, cap. unico lib. 4. tit. 12. *De cognatione legali*, & cap. *Per adoptionem*: cauſſa 30. quæſt. 3.

Definitur autem adoptio, perſonæ extraneæ aſſumptio ad hæreditatem.

Q. 8. *Quas perſonas inhabiles ad contrahendum reddit cognatio legalis?*

R. Ratione cognationis legalis irritum eſt matrimonium 1. inter adoptantem & adoptatum, & poſteros adoptati uſque ad quartum gradum. 2. inter uxorem adoptantis & adoptatum, ac viciſſim inter uxorem adoptati, & adoptantem. 3. inter filios, aut filias adoptantis, & adoptatum, ſive adoptatam. Sed hoc ultimum impedimentum deſinit ceſſante adoptione, id eſt, ex quo filii, aut filiæ adoptantis, liberi ſunt ab ejus poteſtate per ipſius mortem, vel per emancipationem, ex cap. unico de cognatione legali; cum duo priora impedimenta remaneant, ſoluta adoptione. Sed iſta non ſunt apud nos in uſu, cùm in Gallia non eligantur, ſed naſcantur hæredes. Quare his non immorabimur.

Q. 9. *Quid eſt conſanguinitas?*

R. Eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Cum autem deſcendentes poſſint eſſe ſtipiti, ſeu origini propin-

pinquiores, vel remotiores, gradus in conſanguinitate debent obſervari.

Q. 10. *Quomodo computantur gradus conſanguinitatis?*

R. Canoniſtæ, & ab iis Theologi duplicem lineam ſtatuunt, alteram rectam, alteram tranſverſam, ſeu collateralem.

Linea recta eſt ordinata ſeries conſanguineorum, qui a ſe mutuo deſcendunt, ut a patre filius vel filia; a filio qui reſpectu avi, aut aviæ dicitur nepos, vel neptis; ab iis pronepos vel proneptis; ab his rurſum abnepos vel abneptis, &c.

In hac linea juxta computationem juris civilis, in quo tot ſunt gradus, quot perſonæ, pater dicebatur in primo gradu, filius in ſecundo, nepos in tertio. Sed juxta jus Canonicum, quod nunc obtinet, pater, qui eſt ſtipes & origo totius Genealogiæ, non computatur, ideoque filius, qui ab ipſo immediate procedit, eſt in primo gradu, nepos, qui a filio immediate deſcendit, eſt in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto, & hujus filii in quinto.

In linea tranſverſa ſeu collaterali, non comparantur deſcendentes cum iis a quibus gradatim deſcendunt, ſicut in linea recta; ſed omiſſo communi ſtipite inter ſe conferuntur, ut frater cum ſorore; hi autem, ut primi occurrunt, in hac linea, & immediate deſcendunt a ſtipite, ita computantur in primo conſanguinitatis gradu: filii vero fratris & ſororis, quos conſobrinos vocamus, in ſecundo: filii conſobrinorum in tertio: ab iis nati in quarto, & ſic deinceps.

Circa lineam collateralem obſervandum eſt conſanguineos inter ſe conferri vel in gradu æquali, vel in gradu inæquali, ſeu mixto, ut ajunt. Gradus æquales ſunt qui æqualiter diſtant a communi ſtipite, & ita frater & ſoror ſunt in primo gradu æquali, filius fratris, & filia ſororis in ſecundo gradu æquali. Gradus inæquales dicuntur, quorum unus magis diſtat a communi ſtipite quam alter, atque eo modo frater, qui reſpectu filiæ ſororis vocatur patruus, eſt in gradu inæquali, qui ideo dicitur mixtus, quia conſtatur ex primo gradu, in

quo

quò eſt pàtruus, & ex ſecundo, in quo collocata eſt ſororis filia.

In gradu autem mixto; qui attingit primum, ut in exemplo patrui collati cum filia ſororis. ubi pro diſpenſatione ſupplicatur, exprimi debet quis ſexus ſit in primo gradu, an vir, an mulier, quia longe difficilius conceditur; ut filius ſororis vel fratris in uxorem ducat amitam, aut materteram, quam patruus aut avunculus ſororis vel fratris filiam; honeſtati enim repugnare videtur, ut ea, quæ jure naturæ ſuperior eſt, & in qua relucet auctoritas paterna, vel materna, per matrimonium ſubdita fiat & inferior: At ejuſmodi indecora ratio non accidit, cum patruus aut avunculus natam, ſeu ex fratre, ſeu ex ſorore ducit in matrimonium. Hinc Deus Levitici 8. prohibet, ne quis ducat ſororem patris, vel matris, non vero ſororis filiam, *turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies, quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro ſit matris tuæ...*

Nec illud omittendum, nempe ut exprimatur quotus ſit gradus mixtus, ſemper incipiendum a gradu maſculi; quamvis ſit remotior a ſtipite; ſic relatio amitæ, vel materteræ ad filium fratris, vel ſororis ducitur a ſecundo ad primum; patrui vero vel avunculi ad fratris, vel ſororis filium, ducitur a primo ad ſecundum.

Q. 11. *Conſanguinitas dirimitne matrimonium in quolibet gradu contractum?*

R. 1. In quolibet gradu lineæ rectæ dirimit: *inter eas perſonas*, inquit Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum c. 39. *quæ parentum liberorumve locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt veluti inter patrem & filiam; vel avum & neptem... & uſque in infinitum*. Hujus ſententiæ innumeros fere patronos cumulat Sanchez lib. 7. diſp. 51. & ratio eſt, quia pudor & reverentia, quæ homini naturaliter inſita eſt erga parentes, facit ut hujuſmodi concubitum & conjugium natura refugiat, atque exhorreſcat: omnes autem deſcendentes ſunt filii illorum, a quibus primam originem ducunt, proptereaque leges civiles omnem

ejuſ-

ejuſmodi copulam damnant, ut patet ex Inſtit. tit de nupt. par. inter eas. S. tamen Thomas 2. 2. q. 154. art. 9. ad tertium & in Supplem. qu. 54 art. 3. videtur ſenſiſſe matrimonium lege naturali non eſſe irritum in linea recta, niſi in primo gradu: quam ſententiam ſequuntur Cajetanus, Fag. in c. *Vir qui*, tit. *De conſang. & affinit.* & alii.

R. 2. Conſanguinitas in linea collaterali matrimonium jure naturali dirimit in primo gradu æquali; in ceteris remotioribus jure ſolum Eccleſiaſtico, idque ad quartum uſque gradum incluſive, nec ulterius.

Prima pars reſponſionis, quæ eſt de matrimonio jure naturali prohibito inter fratres & ſorores, probatur adverſus Cajetanum, quia ejuſmodi matrimonium ita naturæ rationali repugnat, ut Gentiles *ipſi ſolius* naturæ ductu exiſtimaverint ſocietatem humanam pati non poſſe ejuſmodi matrimonium. Id patet ex c. 12. Geneſ. ubi Abraham Ægyptum ingreſſurus Saræ perſuaſit, ut diceret ſe ipſius ſororem, ne ab Ægyptiis crederetur uxor.

Dices: filii Adam in prima mundi generatione duxerunt ſorores: Ergo.

Nego conſeq. quia ex ſæpe dictis lex naturalis alia eſt invariabilis, qua prohibentur ea, quæ per ſe ſunt mala, ut blaſphemia, mendacium, & cetera, quæ ex nulla circumſtantia cohoneſtari poſſunt: alia variabilis propter evidentem neceſſitatem, aut magnam Eccleſiæ utilitatem; ſic Deus permiſit aliquando polygamiam ſimultaneam, libellum repudii, & in prima mundi generatione conjugia inter fratres & ſorores, ſicut iiſdem de cauſſis Eccleſia concedit Paſtorem abeſſe a ſuo grege; eundem Clericum poſſidere alterum beneficium, quamvis utrumque ſit contra jus naturale. Unde Sanctus Auguſtinus libr. 15. de civitate Dei caput 16. „ commixtio ſororum & fratrum, *inquit*, quanto „ fuit antiquior, compellente neceſſitate: tanto „ poſtea facta eſt damnabilior, religione prohi„ bente.

Secunda pars, ſcilicet matrimonium lege naturali non eſſe prohibitum in ſecundo gradu, etiam mixto,

mul-

multò minùs in remotioribus lineæ collateralis, probatur, quia in Lege Moſaica, permittebantur ejuſmodi matrimonia, exceptis cum amita, aut matertera, Levit. 8. tum quia in Eccleſia per quatuor priora ſæcula Chriſtiani copulabantur cum conſobrinis, juxta Imperatorum legem, ut agnoſcit S. Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. „ Experti etiam ſumus, *inquit*, „ in connubiis conſobrinarum etiam noſtris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui „ proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri „ per leges licebat, quia id nec divina prohibuit & „ nondum prohibuerat lex humana; verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur „ illiciti, & quod fiebat cum conſobrina, pene cum „ ſorore fieri videbatur. „ Ex quibus verbis tria colligere licet. Primum, matrimonia cum patruo, vel amita hactenus habita fuiſſe inceſta, ut aſſerit Suetonius in vita Claudii Imperatoris cap. 26. Secundum cum conſobrinis legibus fuiſſe conceſſa. Tertium, naturæ aliquo modo repugnare ejuſmodi conjugia, ac proinde quarto labente ſæculo cœpiſſe prohiberi, *quis dubitet*, inquit Sanctus Auguſtinus citat. cap. 16. *honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe conjugia?* Immo poſterioribus ſæculis indecorum viſum eſt, ſi parentes in ſua familia coercerent a ſe deſcendentes inter ſe miſceri. Unde Concilium Wormatienſe anno 868. canone 32. ſtatuit, ne quis de propria cognatione uxorem accipiat, *uſque dum*, inquit, *generatio recordatur, cognoſcitur, aut memoria retinetur.* Cum autem homines eſſent diuturnioris vitæ, cognationis memoria non cenſebatur extincta niſi in octavo gradu, ut ſcribit undecimo ſæculo Alexander II. epiſt. 38. ideoque conſuetudo obtinuit a tempore Sancti Gregorii, ut Matrimonia non fierent intra ſeptimum conſanguinitatis gradum, ut patet ex libr. 12. epiſtol. 22. duravitque ad decimum tertium uſque ſæculum, quo Concilium Lateranenſe IV. anno 1215. cap. *Non debet*, libr. 4. titul. 14. *De conſanguinit. & affinit.* reſtrinxit ad quartum gradum incluſive, ſpectata enim breviori hominum vita,

vix

vix in quinta generatione ſupereſt cognationis memoria.

Dices: Deus Levit. 8. prohibet ne quis ducat ſororem patris aut matris; Ergo matrimonium illud non ſolum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam divino prohibitum eſt.

Diſtinguo conſequens, prohibitum eſt in lege veteri, Concedo: in lege nova, Nego conſeq. præcepta enim cæremonialia & judicialia legis veteris non obligant in lege nova: prohibitio autem illa pertinet ad legem poſitivam & judicialem: & quamvis ſit admodum conſantanea naturæ rationali, cauſſæ tamen adeo graves poſſunt occurrere, ut in ea Summus Pontifex diſpenſare poſſit.

Q. 12. *Quid ſi quintus conſanguinitatis gradus ſit mixtus cum quarto?*

R. Etiamſi mixtus eſſet cum tertio aut ſecundo; non impediret matrimonium; ita definiit Gregorius IX. cap. *Vir*, lib. 14. tit. 4. *conſang. & affinitat. Vir*, inquit, *qui a ſtipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere diſtat quinto . . . . . . licite poſſunt matrimonialiter copulari*, nec indigent ulla diſpenſatione.

DE CRIMINE.

Q. 1. *Quæ crimina dirimunt matrimonia?*

R. Homicidium & adulterium.

Q. 2. *Quot in caſibus duo illa crimina dirimunt matrimonium?*

R. In quatur caſibus.

Primo, quando quis occidit conjugem conſpirante vel conſentiente occiſi conſorte; ſuperſtes enim conjux non poteſt matrimonium inire cum homicida, ex cap. *Laudabilem*, lib. 3. tit. *De converſione infidelium*, ubi Cæleſtinus III. ad quæſitum, num mulieres Chriſtianæ copulari poſſent cum Saracenis ſpe eos adducendi ad fidem, licet earum viros occidiſſent, reſpondet cum diſtinctione, „ Si, *inquit*, in mortem „ ipſorum malitioſe fuerint machinatæ, licet ea„ rum

„ rum ſtudio ad fidem acceſſerint, tamen nec eis ad-
„ hærere debent . . . . cum tale damnum cum tali
„ lucro Eccleſia compenſare non velit . . . . . Quod
„ ſi tales non procuraverint virorum interitum defun-
„ ctorum, matrimonium inter hujuſmodi perſonas
„ licite poteſt contrahi.

Secundo ſi cum homicidio unius conjugum præceſſit adulterium cum ſuperſtite, etiamſi ſuperſtes homicidium non conſenſerit. Ita definiit Alexander III. cap. *Super hæc*, *tit*. „ De eo, qui duxit in uxorem, „ quam polluit per adulterium. *Sic enim habet*: ſi „ adulter eſt in mortem uxoris aliquid machinatus, „ ſive fidem dedit, ſive non, quod ea defuncta, „ hanc eſſet ducturus, ſecundum Canones ab ejus „ conſortio prohibetur.

Tertio, cum adulterium commiſſum eſt, accedente promiſſione acceptata futuri matrimonii poſt obitum conjugis. *Audivimus rem execrabilem*, inquiunt Patres Triburienſes anno 895. can. 40. „ quendam ne- „ fario fornicationis opere alicujus uxorem (viven- „ te eo) commaculaſſe, & in argumentum iniquita- „ tis, juramento confirmaſſe, ſi ad ejus legitimum ſu- „ pervixiſſent ambo maritum, ut ille fornicator illam „ adulteram ſibi aſſociaret thoro & legitimo matrimo- „ nio . . . tale igitur connubium anathematizamus, „ & Chriſtianis omnibus obſeramus. „ Nec refert, juxta Rituale Carnotenſe, quod promiſſio adulterium præceſſerit, vel ſubſecuta fuerit.

Dixi 1. *accedente promiſſione*, quia ſine ea, *mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri poteſt conjugium cum quo præceſſit adulterium*, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. c. 10.

Dixi 2. *acceptata*, niſi enim alter acceptaverit, ſive expreſſe, ſive tacite, adulterium non irritat matrimonium. Silentium autem non habetur pro acceptatione.

Quarto, cum quis, vivente legitima conjuge, matrimonium iniit & conſummavit cum altera conſcia prioris conjugii; hanc enim non poteſt habere uxorem, ſi quæ prius ab eo legitime ducta fuerat, fato fungatur.

tur. Id patet ex cap. *Veniens*, l. 4. tit. 7. *De ea*; *qui duxit in matrimonium*, &c.

Dixi 1. *& conſummavit*: quia ex cap. *Si quis*, eodem tit. ſi adulterium non commiſit ſive ante, ſive poſt contractum hujuſmodi matrimonium, nullum exiſtit impedimentum.

Dixi 2. *altera conſcia*, quia ſi bona fide contraxit; eum exiſtimans liberum, cum quo contraxit, nihil obſtat quominus cum eo legitime conjungi poſſit poſt obitum prioris uxoris.

DE DISPARITATE CULTUS.

Q. 1. *Quid eſt cultus diſparitas?*

R. Eſt diverſitas Religionis in contrahentibus.

Q. 2. *Omnes religione diſpares ſuntne inhabiles ad contrahendum inter ſe?*

R. Minime; namque Catholici cum hæreticis contrahere poſſunt, ſaltem valide, utrum autem licite, expendemus poſtea. Probatur reſponſio, quia matrimonia Catholicorum cum hæreticis inita nullo jure dici queunt invalida, ſive naturali aut divino, ſive Canonico: non jure naturali aut divino, quia ad veritatem Sacramenti non requiritur fides in ſuſcipiente, ut alibi probavimus. Non etiam jure Canonico; nullus enim Canon ea irritans proferri poteſt.

Dices: Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. ſolemni edicto anno 1680. prohibuit ſuis ſubditis, ne quovis prætextu matrimonia cum hæreticis contraherent, declaravitque ejuſmodi matrimonia alioquin fore irrita.

Diſtinguo, fore irrita quoad effectus civiles, Concedo: quoad vinculum Sacramentale, Nego.

Q. 3. *Quinam igitur inhabiles ſunt ad contrahendum inter ſe propter cultus diſparitatem?*

R. Chriſtiani & infideles non baptizati. Nullus quidem proferri poteſt Canon expreſſus, quo probetur noſtra reſponſio, ſed extant Leges Imperatorum Valentiniani & Valentis lib. 3. Cod. Theodoſiani tit. 14. & lib. 9. tit. 54. quibus declarantur connubia Chri-

Chriſtianorum cum Infidelibus irrita & morte plectenda. Hæ autem leges ſenſim ita obtinuerunt, ut ante duodecimum ſæculum ejuſmodi conjugia ubique haberentur invalida. Id conſtat ex Magiſtro Sententiarum, qui lib. 4. diſt. 39. ſcribit non valere matrimonia Chriſtianorum cum Infidelibus; quod poſt ipſum una voce docuerunt omnes Theologi & Canoniſtæ.

Q. 4. *Quo jure irrita ſunt matrimonia Chriſtianorum contracta cum Infidelibus?*

R. Solo jure canonico; namque Chriſtiani ad quintum uſque ſæculum matrimonia cum Infidelibus contraxerunt, ut patet vel ex ſancta Monica, quæ nupſit Ethnico, teſte S. Auguſtino lib. 9. Confeſſ. c. 9. & ex ſancta Clotilde, quæ Clodoveum Francorum Regem habuit maritum, cum adhuc eſſet infidelis, & quamvis Patres illorum temporum, ut Tertullianus & S. Cyprianus, improbarent hujuſmodi conjugia, ea tamen nullus dixit irrita, nec ſic conjunctos ſeparare tentavit.

Dices 1. Eſdras 1. lib. c. 9. & 10. ſeparavit filios Iſrael ab uxoribus alienigenis, quas in captivitate duxerant: Ergo.

Nego conſeq. Namque 1. etiamſi detur matrimonia Fidelium cum Infidelibus fuiſſe irrita per legem veterem, nihil inde concludi poteſt contra matrimonia Chriſtianorum, qui non ſubjacent legi veteri, 2. Samſon, Salomon, & Eſther valide contraxerunt cum Infidelibus; Ergo Lex vetus non irrita faciebat matrimonia Fidelium cum Infidelibus. 3. Cum apud Judæos libellus repudii & polygamia locum haberent, Eſdras gravibus ex cauſſis potuit compellere Judæos ad diſſolvenda per libellum repudii matrimonia alioquin valide contracta.

Dices 2. Baptiſmus ideo dicitur janua Sacramentorum, quia ſine eo non patet aditus ad alia Sacramenta. Ergo ſicut non baptizatus Confirmationem v. g. valide non ſuſcipit, ita nec matrimonium, quod non poteſt eſſe irritum in uno contrahente, quin ſimul ſit & in alio, cum matrimonium non ſit unius, ſed duorum.

Diſtinguo conſequens; ita nec matrimonium in ra-

tione Sacramenti, Concedo: in ratione contractus naturalis & civilis, Nego cenſeq. Itaque id unum evincit objectio, nempe matrimonium Chriſtianorum cum Infidelibus non eſſe Sacramentum, ſaltem in infideli conjuge, quod ultro concedimus.

Q. 5. *Matrimonia Fidelium cum Infidelibus non baptizatis, fueruntne ſemper illicita, & aliqua lege prohibita?*

R. Affirmative.

Probatur 1. ex Scriptura, Deuteronomii 7. *filiam tuam non dabis filio ejus* (Chananæi) *nec filiam illius accipies filio tuo; quia ſeducet filium tuum*. 1. Cor. 7. *nubat tantum in Domino*, id eſt, homini Chriſtiano, ut interpretantur Tertullianus l. 5. contra Marcionem cap. 7. S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 3. Theodoretus, & S. Th. in eum locum. Et 2. Cor. cap. 6. *nolite jugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras?*

Probatur 2. ex Conciliis.

Concilium Eliberitanum Can. 15. „ Gentilibus, *inquit*, minime in matrimonium dandæ ſunt virgines „ Chriſtianæ. *Et can.* 16. neque Judæis, neque Hæreticis, neque Schiſmaticis dari placuit, eo quod „ nulla poſſit eſſe ſocietas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abſtinere per quinquennium placet.

Carthaginenſe III. Can. 12. „ placuit, ut filius & „ filia Epiſcoporum vel quorumlibet Clericorum Gentilibus, vel Hæreticis, aut Schiſmaticis matrimonio „ non jungantur.

Chalcedonenſe Can. 14. „ Sed neque Hæretico, vel „ Pagano, vel Judæo matrimonio conjungere, niſi „ utique perſona, quæ Ortodoxæ conjungitur, ſe ad „ Orthodoxam fidem convertendum ſpondeat. „ Quæ poſteriora verba juxta interpretatione Zonaræ & Balſamonis accipienda ſunt de ſponſione, quæ ante nuptias impleatur. Idem decernit Concilium Agatheſe cap. 67.

Pro-

Probatur 3. ex Patribus.

Tertullianus cit. lib. 5. contra Marcionem cap. 7. *certe*, inquit, *præſcribens tantum in Domino eſſe nubendum, ne quis fidelis Ethnicus matrimonium contrahat, legem tuetur Creatoris, Allophylorum nuptias ubique prohibens.*

Sanctus Cyprianus Serm. de lapſis ſcribit, *jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, proſtituere eſt cum Gentilibus membra Chriſti.*

S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, acriter inſectatur Chriſtianos, qui cum infidelibus matrimonium ineunt: *At nunc*, inquit: „ pleriſque contemnentes Apoſtoli juſſionem, junguntur Gentilibus, & „ templa Chriſti idolis proſtituunt, nec intelligunt ſe corporis ejus partem eſſe, cujus & coſtæ ſunt . . . . licet in me ſævituras ſciam plurimas matronarum, licet eadem impudentia, qua „ Dominum contempſerunt (*nubendo infidelibus*) in „ me pulicem & Chriſtianorum minimum debacchaturas: tamen dicam quod ſentio, loquar quod me „ Apoſtolus docuit, non illas juſtitiæ eſſe, ſed iniquitatis; non lucis, ſed tenebrarum: non Chriſti, „ ſed Belial: non templa Dei viventis, ſed ſana & „ idola mortuorum.

S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 9. „ cave „ Chriſtiane, *inquit*, Gentili aut Judæo filiam tuam „ tradere. Cave, inquam, Gentilem aut Judæam, „ atque alienigenam, hoc eſt, Hæreticam, & omnem „ alienam a fide tua uxorem accerſas tibi. „ Tum plures rationes congerit, ut oſtendat conjugium Chriſtiani cum infideli repugnare Dei inſtitutioni. Primam repetit ex ſubverſionis periculo: „ cum ſancto ſanctus „ erit. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, „ ubi una caro & unus ſpiritus eſt.... ratio docet, „ ſed amplius exempla movent. Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & a Religione fecit diſcedere. „ Secundam ex unitate Spiritus, quæ debet eſſe inter conjuges: „ quomodo poteſt congruere caritas, ſi diſcrepet fides? *Tertiam a Dei vocatione*, ſi credas a Deo tibi, quod ſortitus es, conju-

„ gium datum, unde & Salomon ait, *a Deo præparatur* „ *viro uxor*, non poſſunt hoc diſpares fide credere.

Q. 6. *Matrimonia Chriſtianorum cum infidelibus ſuntne jure divino prohibita?*

Certum eſt ejuſmodi matrimonia jure naturali & divino iis eſſe prohibita, quibus ſunt ſubverſionis occaſio; ſic enim artes per ſe licitæ ſunt vitandæ aut deſerendæ ab iis, qui eas abſque evidenti ſalutis periculo exercere nequeunt, juxta illud Matth. 5. *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Quæſtio igitur eſt, utrum matrimonia Chriſtianorum cum infidelibus ſecundum ſe ſpectata præciſe ſint jure divino prohibita.

S. Auguſtinus lib. 1. de adulterinis conjugiis c. 25. noluit quæſtionem definire, tum propter Scripturarum obſcuritatem, tum propter multorum Chriſtianorum exempla, qui abſque peccati conſcientia cum infidelibus copulabantur. Et quamvis S. Hieronymus cit. lib. adverſus Jovinianum morem illum acriter inſectatus ſit, Concilium tamen Carthaginenſe tertium, in quo ſedit S. Auguſt. nuptias illas non interdixit niſi Clericorum filiis. Verba ſancti doctoris ſunt: „ Non enim tempo„ re revelati Teſtamenti novi, in Evangelio vel ullis „ Apoſtolicis litteris ſine ambiguitate declaratum eſſe „ recolo: utrum Dominus prohibuerit Fideles Infidelibus „ jungi. Quamvis Beatiſſimus Cyprianus inde non du„ bitet, nec in levibus peccatis conſtituat, jungere „ cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id eſſe „ dicat proſtituere Gentilibus membra Chriſti. *Et l. de* „ *fide & opere c.* 19. quæ noſtris temporibus jam non „ putantur eſſe peccata, quoniam revera in novo Teſta„ mento nihil inde præceptum eſt, & ideo aut licere cre„ ditum eſt, aut velut dubium derelictum. „ S. Doct. concludit propter ejuſmodi dubium, „ Omni modo co„ nandum eſt, ne fiant tales conjunctiones. Quid enim „ opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mit„ tere? „ cum ſcriptum ſit Eccl. 3. *qui amat periculum, in illo peribit.* Sed Eccleſia poſt tempora S. Auguſtini, difficultatem elucidaſſe videtur, cum ejuſmodi matrimonia irrita fecit, utpote indecora & periculoſiſſima.

Qua-

Quare ad propoſitam quæſtionem.

R. Verior videtur & Traditioni magis conſentanea eorum ſententia, qui docent matrimonia Chriſtianorum cum Infidelibus eſſe jure divino abſolute prohibita. Id enim evincunt textus in præcedenti reſponſione laudati, tum Scripturæ, tum veterum Patrum. Scripturæ quidem; verba enim Apoſtoli 1. Corin. 7. v. 39. *cui vult nubat tantum in Domino*, licet duobus modis exponi poſſint, ut monet S. Auguſt. cit. cap. 25. lib. 1. de conjug. adult. ſcilicet, nubat, aut Chriſtiana permanens, & ut Chriſtianam decet, aut homini Chriſtiano: duo tamen illi modi conjungendi ſunt (nedum ſe excludant) ut habeatur integer verborum ſenſus; utrumque enim Apoſtolus exigit, a muliere Chriſtiana, ut, ſalva fide, nubat homini Chriſtiano; & ita communiter intellexerunt Patres & veteres Theologi, ut Magiſter Sententiarum, S. Thomas, &c. Laudati etiam textus Tertulliani SS. Cypriani, Hieronymi, & Ambroſii conjunctiones Chriſtianorum cum Infidelibus vituperant ut Legi Creatoris contrarias, & Chriſto contumelioſas, in quibus membra Chriſti Gentilibus proſtituuntur, ſociatur juſtitia cum iniquitate, lux cum tenebris, Chriſtus cum Belial; quæ ſane reperiuntur in omni conjugio Chriſtiani cum infideli, etiamſi nulla ſit ſubverſionis ſuſpicio: Ergo ejuſmodi conjugia ſecundum ſe ſpectata legi divinæ repugnant.

Nec obſtat quod plures ſanctæ mulieres, ut Cæcilia, Monica, Clotildis, &c. viris Ethnicis nupſerint; vel enim nupſerunt ſpeciali Dei inſtinctu, qui auctoritate ſua diſpenſare potuit in lege a ſe ſancita, & gratia ſua firmare nubentes, ne ex infidelis conſortio ſubverterentur; miraculis probavit ſuo conſilio & motu matrimonium ſanctæ Cæciliæ cum Valeriano fuiſſe initum, non carne conſummandum, ne proſtituerentur membra Chriſti; ſed ſpiritu & martyrio ut ſpiritualiter eſſet mater ſponſi & aliorum, quos fide ſua Chriſto peperit; vel illæ mulieres in ſimplicitate ſua ſecutæ ſunt morem, & in eo ex bona fide excuſandæ, non laudandæ.

Q. 7. *Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, qua lege ſunt prohibita, an divina, an ſolum Eccleſiaſtica?*

R. Diſſentiunt Theologi, Azor, Sanchez, Pontius, & alii, quibus ſe adjunxit Iſambertus noſter olim in Scholis Sorbonicis Profeſſor Regius, cenſent eſſe prohibita ſolum lege humana, adverſus quam præſcribi poteſt, adeo ut ex illis Theologis quidam doceant ad contrahendum cum hæretico opus non eſſe diſpenſatione iis in locis, in quibus Catholici permixti ſunt cum hæreticis, ut in nonnullis Germaniæ partibus; quia hujuſmodi matrimonia ſunt quodammodo neceſſaria; ſicut autem in neceſſitate licet pecuniam ſub uſuris accipere ab uſurario, & Sacramenta petere a Paſtore improbo, quamvis uterque peccet, ille uſuras exigendo; iſte Sacramenta violando: Ita culpandus non eſt Catholicus, qui ex quadam neceſſitate jungitur cum hæretica, quæ malitiæ ſuæ imputare debet, quod Sacramentum indigne recipiat, non autem Catholico, qui utitur jure ſuo. Et vero ſi ejuſmodi matrimonia eſſent jure divino prohibita, non in eis diſpenſaſſent Summi Pontifices, ut Clemens VIII. & Urbanus VIII. cum certum ſit poteſtatem humanam non diſpenſare in lege divina.

Alii Theologi contra affirmant matrimonia, de quibus agitur, eſſe jure divino prohibita, atque in ea ſententia ſunt Eſtius in quarta diſt. 39. §. 1. & 4. Sambovius quondam in Scholis Sorbonicis Regius Profeſſor tom. 1. caſu 77. 78. 79. & 80. & Gamachæus noſter etiam in Scholis Sorbonicis Regius Profeſſor de matrimon. c. 28. ſic habet; „ Etiamſi ex hypotheſi „ omnia removeantur apoſtaſiæ & ſeductionis pericu- „ la, tamen reſtat ſemper prima ratio ſumpta ex ju- „ re divino, nimirum reverentia Sacramentis debita, „ ut nec recipiantur in ſtatu peccati mortalis, neque „ prudenter & ſcienter alteri tribuantur peccatum mor- „ tale habenti, quando peccatum fuerit notorium; „ non enim Summus Pontifex habet poteſtatem mu- „ tandi jus divinum, & inſtitutionem Chriſti. Immo „ non ſolum eſt jus divinum, ſed etiam naturale, „ ut Sacramenta digne & reverenter tractentur. Ergo

„ nec in talibus nuptiis poteſt idem Summus Ponti-„ fex diſpenſare.

Probatur autem hæc ſententia, 1. iiſdem Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimoniis ac rationibus, quibus demonſtravimus matrimonium Chriſtianorum cum infidelibus repugnare jure divino; efficacius quippe concludunt adverſus matrimonia Catholicorum cum Hæreticis: tum quia Hæretici ſunt excommunicati, atque ideo devitandi, ad tit. 3. nec in domum recipiendi; 2. Joan. multo minus in conſortium conjugale admittendi, cum ſit arctiſſimum ſocietatis genus: tum quia „ hæreſis, *ut ait Eſtius cit.* §. 4. eſt peſſimum „ infidelitatis genus, eoque minus conjugia cum iis „ permitti debent, quo & perículoſior eſt cum illis „ converſatio, & difficilior eorum converſio. „ Unde Concilium Burdigalenſe II. an. 1624. „ periclitatur „ admodum, *inquit*, fides contrahentium, ſi unus con-„ jugum hæreſi infectus, & pertinaciter in ea perſe-„ verans, alter non ſine peccato & irreverentia ſanctæ „ Matris Eccleſiæ cogatur jugum trahere ærumno-„ ſum... & experientia ſit compertum etiam ex Ca-„ tholicis non paucos talibus matrimoniis a fide Or-„ thodoxa defeciſſe. „ Sed etſi nullum conjugi periculum eſſet, magnum tamen erit proli naſcituræ, quæ ſicut ab utroque parente ali debet & educari, ita ad utriuſque curam pertinet eam inſtituere in iis quæ ſunt Religionis. Annon vis & injuria timenda eſt ex parte mariti Hæretici, quem ejus Pſeudo-miniſter pro ſuo officio inducet, ut qua vi, qua arte liberos in ſuam ſectam traducat, etiam contra fidem datam, & juramento confirmatam, cum juramentum illud in Hæreticorum principiis ſit illicitum, & ſine novo peccato impleri nequeat? Mitto exempla parentum plus ponderis habere erga liberos, quam verba, moraliterque eſſe impoſſibile, ut iſti in fide firmi ſint, & in exercitiis Religionis Catholicæ ferventes, ſi videant alterum e parentibus iſta deridere, & tanquam ſuperſtitioſa traducere; quo fit, ut *longe lateque ſerpat & propagetur hæreticæ pravitatis ſoboles*. Verba ſunt Concilii Burdigalenſis jam laudati.

His adde Eccleſiam Græcam adeo periculoſa exiſtimaſſe ejuſmodi conjugia, ut ea a pluribus ſæculis hactenus irrita fecerit, ut conſtat ex Concilio Trullano, quod ſeptimo ſæculo celebratum eſt; ſic enim habet Canone 72. *non licere unum Orthodoxum cum muliere Hæretica conjungi; neque vero Orthodoxum cum viro Hæretico copulari; ſed & ſi quid ejuſmodi a quopiam factum apparuerit; irritas nuptias exiſtimare, & nefarium conjugium diſſolvi. Neque enim ea, quæ non ſunt miſcenda, miſceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum ſortem cum Chriſti parte conjungi oportet.* Quod autem ſeverior illa diſciplina vigeret duodecimo ſæculo, teſtantur Zonaras, & Balſamon, qui eodem ſæculo notis ſuis hunc Canonem illuſtrarunt: *nam qui ſimul ita vivunt* (inquit Zonaras) *ut eorum animi in iis, quæ ad finem pertinent, contrario modo affecti ſint, quo pacto eos in aliis convenire poſſe quiſquam arbitretur?*

Probatur 2. quia, ut conceditur Patronis oppoſitæ ſententiæ, licitum eſſe in gravi neceſſitate pecuniam ſub uſuris accipere ab uſurario, & Sacramenta petere a ſacrilego Paſtore: ita concedant oportet lege naturali & divina prohibitum eſſe, qualibet ſuppoſita neceſſitate, vel uſuras exercere, vel Sacramenta indigne ſuſcipere, vel ea adminiſtrare publicis peccatoribus, & ab Eccleſia præciſis, vel denique ea conficere in ſtatu peccati mortalis: atqui in matrimonio Catholicorum cum Hæreticis gravia illa ſacrilegia concurrunt. 1. Sacramentum matrimonii indigne recipitur. 2. Adminiſtratur publicis peccatoribus, iiſque a corpore Chriſti per excommunicationis gladium abſciſſis. 3. In communi ſententia Canoniſtarum & Theologorum Miniſter hujus Sacramenti ſunt contrahentes, qui illud conficiunt, & ſibi invicem miniſtrant, atque adeo notorius Hæreticus & excommunicatus conficit Sacramentum, illudque adminiſtrat Catholico, & viciſſim Catholicus Hæretico. Quid autem cogitari poteſt magis repugnans legi divinæ & naturali? Ergo.

Yſambertus, ut vim hujus argumenti declinaret, excogitavit unum contrahentem ſibi, non alteri miniſtrare Sacramentum, nec proinde Catholicum illud conferre

ferre notorio hæretico, quod nefas eſſe non diffitetur. Sed quo fundamento, quave auctoritare recedit a communi ſententia: licet ne in Sacramentorum adminiſtratione ſequi opinione minus probabilem, ſi tamen iſta ſit probabilis.

Nec difficultatem omnino ſolvunt, qui juxta opinionem ſat communem contendunt matrimonia Catholicorum cum Hæreticis non eſſe Sacramenta, niſi acceſſerit benedictio Sacerdotalis, qua denegata (ſicut denegandam præſcripſit Clemens VIII. quando diſpenſavit cum Duce Barrienſi, ut Catharinam Henrici IV. Francorum Regis Chriſtianiſſimi ſororem, ſed hæreticam duceret) hujuſmodi matrimonia erunt contractus mere civiles, ab omni ſacrilegii ſpecie alieni. Hæc, inquam, ſolutio non ſatisfacit 1. Quia certum non eſt benedictionem Sacerdotalem neceſſario requiri ad rationem ſacramenti matrimonii, cum opinio communior, quam Bellarminus ſupra dicebat videri ſententiam Eccleſiæ, aſſerat eſſe Sacramento accidentalem, & omnem contractum conjugalem validum in Chriſtianis eſſe Sacramentum: ac proinde Catholicus, qui contrahit cum hæretica, probabili, ne dicam cum Bellarmino longe probabiliori periculo ſe exponit violandi legem naturalem & divinam per ſacrilegam Sacramenti adminiſtrationem & ſuſceptionem. Quis autem licitum dixerit ſe conjicere in tale peccandi periculum? 2. Eſto matrimonium eo modo contractum non ſit Sacramentum, repugnat ſaltem Chriſti inſtitutioni; ut quid enim Chriſtus matrimonium evexit ad dignitatem Sacramenti, niſi ut Chriſtiani ſacramentaliter conjungerentur? an non eo ipſo abſtulit omnem alium contrahendi modum? id certe inclamat univerſalis Eccleſiæ Traditio. 3. conſtat ex allatis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimoniis, matrimonia Catholicorum cum perſonis diſparis Religionis lege naturali & divina eſſe prohibita.

Fruſtra pro oppoſite ſententia laudatur diſpenſatio a Clemente VIII. obtenta, cum ei magis adverſetur, quam faveat, ut conſtat ex Spondani hiſtoria ad an. 1600. refert quippe Hiſtoricus diſpenſationem ſæ-

pius petitam, conſtanter a Summo Pontifice fuiſſe denegatam *ob periculum ſeductionis ac perverſionis, & pravæ inſtitutionis ac perverſionis liberorum, rixarumque & odiorum, quæ facile inter conjugatos diſparis cultus oriuntur.* Cum autem urgeretur Clemens VIII. tum efflagitante Cardinale de Oſſat pro Rege Chriſtianiſſimo, & inſtantibus præcibus Ducis Barrienſis, qui ea de cauſſa Romam profectus fuerat; tum exemplo Gregorii XII. quem dicebant, nec ſatis probare poterant ex epiſt. 590. laudati Cardinalis, parem gratiam conceſſiſſe duabus mulieribus in Provincia Mediolanenſi, tandem *importunitate fere magis*, inquit Hiſtoricus, *quam libera Clementis voluntate impetrata fuit illa diſpenſatio*, eo fere modo, quo Adrianus Sextus in alia cauſſa, quam refert Dominicus Soto in 3. diſt. 27. qu. 2. art. 4. *Improbis præcibus ſuccumbens reſpondit ſe dare quod poſſet, ſed tamen credere nihil poſſe*; namque diſpenſatio pro Duce Barrienſi conſcripta non fuit per reſcriptum authenticum, & publicum, ſed per epiſtolam privatam a Cardinalibus ſubſcriptam, & ad Epiſcopum Virdunenſem directam, quæ tamen (Catarina interim e vivis ſublata) effectu caruit, *ſingulari & inſcrutabili providentia divina*, inquit Spondanus.

Profertur adverſus poſteriorum hanc ſententiam altera diſpenſatio ab Urbano VIII. conceſſa anno 1625. ut Henricia Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi ſoror Carolo Anglorum Regi Hæretico nuberet ob publicam Eccleſiæ utilitatem (nempe ut Catholici in Anglia quæ ſunt Religionis Catholicæ liberius exequerentur, cum tamen contrarium contigerit) & ea conditione; ut Regina in ſuo Palatio haberet Epiſcopum Catholicum & duodecim Capucinos, qui ibidem Eccleſiæ Catholicæ ritus & officia libere exercerent, & inſuper liberi ex matrimonio ſuſcipiendi juxta Catholicorum mores uſque ad decimum quintum ætatis annum inſtituerentur.

Reſpondet Sambovius Summum Pontificem in cauſſa tanti momenti, in qua agebatur de communi Religionis utilitatem, ſecutum eſſe opinionem, quam exiſtima-

ſtimabat probabilem, omnimoda cautione adhibita adverſus incommoda, quæ ex matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis timeri debent; nec propterea peccare Theologos in reverentiam capiti Eccleſiæ debitam, qui contra ſentiunt: Gamachæus erga ſedem Apoſtolicam obſervantiſſimus, nihilominus ſcripſit loco citato, *nec in talibus nuptiis poteſt idem ſummus Pontifex diſpenſare*. Quot Theologi docent ſimplicem Presbyterum etiam ut miniſtrum extraordinarium conferre non poſſe Sacramentum Confirmationis aut Diaconatus, licet proferantur nonnullæ diſpenſationes Summorum Pontificum, quæ favent oppoſitæ ſententiæ? Sed omiſſa hujuſmodi reſponſione, lector ſaltem intelligit, quam periculoſum ſit Catholicos matrimonio jungi cum Hæreticis; cumque ipſi ſummi Pontifices in cauſſis urgentiſſimis vix iſta permittant, quantacunque etiam adhibita cautione, deterrendos eſſe Catholicos ab ejuſmodi conjunctionibus, quamlibet obtendant neceſſitatem: quod ſi acquieſcere noluerint, remittendos ad ſedem Apoſtolicam.

DE VI, SEU COACTIONE.

Vis inferri poteſt vel pœnis & vexationibus, vel minis, quæ gravem metum injiciunt.

Q. 1. *Metus irritatne matrimonium?*

R. Irritat, modo gravis ſit & injuſte incuſſus. Ita habetur cap. *Veniens*, & cap. *Conſultationi*, lib. 4. titul. 1. *De ſponſal.*

Dixi 1. *modo metus ſit gravis*: quia metus levis ratio non habetur, alias vix nulla eſſet matrimoniorum firmitas; quæ enim filia-familias non objiceret ſe in matrimonium conſenſiſſe aliquo timore reverentiali vel mundano? Metus igitur, ut ſit impedimentum dirimens, is eſſe debet, qui cadat in conſtantem virum, ut dicitur cit. cap. *Veniens*, & cap. *Conſultationi*. Habenda tamen eſt ratio perſonæ, quia metus, qui eſſet levis reſpectu viri, poſſet eſſe gravis & impedimentum dirimens reſpectu puellæ. Non abs re erit utriuſ-

que metus aliquod proferre exemplum. Pater vel Mater indicat filio ſive filiæ ſe peroptare, ut oblatas nuptias acceptet: illi, ne parentibus, diſpliceant, conſentiunt, ægre tamen. En metus levis. Sed Pater aut Mater gravia minatur, niſi filia obtemperet, v. g. quod remanebit innupta & indotata, quod cum illa duro aget, &c. En metus gravis, quod non raro filii-familias inducuntur ad conſentiendum; ideoque Parochorum eſt inquirere præſertim a puellis, non ſolum in ipſa ſolemnitate nuptiarum, ubi præ pudore plerumque veritatem obtegunt, ſed privatim, cum eos ad Sacramentum præparat.

Dixi 2. *& injuſte incuſſus*, quia ſi juſte incutiatur, quantumcumque gravis ſit, modo uſum rationis non auferat, irritum non facit matrimonium, ut patet in eo, quam Judex timore mortis cogit ad ducendam puelam, quam vitiavit.

Q. 2. *Quo jure metus dirimit matrimonium, an naturali, an poſitivo?*

R. Poſitivo, quia metus nec voluntarium nec liberum omnino perimit, ſed minuit dumtaxat, ut docent Philoſophi, & nos Tract. de Juſt. & Jure 3. p. c. 2. probavimus contractum ex metu initum valere ſecundum leges civiles, parte tamen læſa requirente, eſſe reſcindendum, ſi ſit diſſolubilis. Cum autem matrimonium ſit indiſſolubile, & gravia timenda eſſent incommoda, ſi coacte iniretur, Eccleſia ſuis legibus occurrit, nempe matrimonia injuſto metu contracta fecit irrita: ac noviſſime in Conc. Tridentino ſeſſ. 24. cap. 9. de reform. anathemate percuſſit, qui quovis modo, directe vel indirecte, alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant.

Q. 3. *Quomodo matrimonium ex metu injuſto irritum poteſt fieri ratum ac firmum?*

R. Neceſſe non eſt ut partes coram Parocho & teſtibus iterum ſe ſiſtant; ſed ſatis eſt, ut pars quæ fuerat invita, conſentiat in copulam conjugalem. Unde in foro judiciali non eſſet audienda, ſi conſummato matrimonio, reſilire vellet ex contractu propter vim ſibi

ſibi illatam. Ita decrevit Clemens III. cap. *Ad id*; lib. 4. tit. 1. *De ſponſalib. & matrim.*

DE ORDINE.

Diximus Tract. de Sacram. Ord. 3. part. cap. de cœlibatu Clericorum, initiatos aliquo Ordine ſacro inhabiles eſſe ex decreto Eccleſiæ ad contrahendum matrimonium; ibique fecimus ſatis iis, quæ ad illud impedimentum pertinent. Quare non eſt cur hic immoremur.

DE LIGAMINE.

Q. 1. *Quid eſt Ligamen?*

R. Eſt vinculum matrimonii legitime contracti, licet non conſummati, quod excludit ſecundas nuptias, niſi ſolutum fuerit per mortem alterutrius conjugis, ut demonſtravimus C. de polygamia ſimultanea. Et hoc impedimentum non ſolùm eſt juris Eccleſiaſtici, ſed etiam naturalis & divini.

Q. 2. *Quando uxor ſuſpicata mortuum eſſe virum ob longam ejus abſentiam, ad ſecundas nuptias convolavit, quid facto eſt opus, ſi redeat vir ille?*

R. Mulier illa ad priorem virum, omni cunctatione ſepoſita, redire tenetur, eſſetque adultera, ſi eum poſteriore conjugaliter habitaret, utpote qui ſit ipſi alienus. Filii tamen ex illo concubitu cum bona fide ſaltem alterutrius ſuſcepti non ſunt illegitimi, quia in fide legitimi matrimonii ſunt procreati: ſecus ſi cum mala fide utriuſque parentis: puta ſi obreptitie ad ſecundas illas nuptias convolarunt. Patet ex dictis de irregularitate, ubi de defectu natalium.

Q. 3. *Quid ſi vir a pluribus annis abſens non redeat, nec quidquam uxor ejus de ipſo acceperit ſive per litteras, ſive per nuntium?*

R. Uxor ſic derelicta nubere non poteſt, niſi proferantur indicia moraliter certa mortuum eſſe conjugem. In hoc concordant leges Eccleſiaſticæ & civiles; nam cap. *In præſentia*, lib. 4. tit. 1. *De ſponſ. & matr.*

ſic

ſic decernit Clemens III. *quantocumque annorum numero ita remaneant* (uxores) *viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium convolare, nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum recipiant nuntium de morte virorum*. Et Imperator Juſtinianus authentica *hodie*, cap. de repudiis, corrigit legem, quæ uxoribus permittebat alias inire nuptias poſt quinquennalem virorum abſentiam, ſicque ſtatuit, *hodie quantiſcunque annis maritus in expeditione remanſerit, mulier ſuſtinere debet, licet neque litteras, neque reſponſum ab eo acceperit*. Quod ſi mulier nupturiens proferat teſtes vel ſcripturas ad probandam conjugis mortem, Parochus horum examen remittet ad Officialem, cujus eſt judicare an prolata teſtimonia fidem faciant, & juridice pronuntiet ejuſmodi mulierem liberam eſſe ad contrahendum.

Q. 4. *Quid agendum, quando matrimonium, de quo eſt ſermo, eſt contractum ex levioribus indiciis, ut non raro contingit ob neglectam regulam mox præſcriptam?*

R. Vel certiora indicia haberi poſſunt, vel non: ſi primum, ſunt inquirenda; ſi ſecundum, ratio habenda eſt bonæ vel malæ fidei, cum qua contraxerunt, aut ſaltem eorum alter.

Primo, ſi mulier ſtatum ſuum Confeſſario vel Parocho candide expoſuit, & ille ex diuturniori conjugis abſentia, & quibuſdam indiciis, auctor fuit, ut oblatas nuptias acceptaret, ambo libere uti poſſunt ſuo conjugio, quamdiu non ſupervenerit nova ratio prudenter dubitandi, num ſuperſtes ſit prior conjux; in hoc enim poſteriori caſu, niſi inquiſitione facta dubium illud depoſuerint, abſtinere ſe debent ne adulterii reos ſe conſtituant. Colligitur ex cap. *Dominus*, lib. 4. tit. *De ſecundis nuptiis*, ubi Lucius III. poſtquam pronuntiavit mulierem ad ſecundas nuptias non admittendam, niſi de morte ejus conjugis conſtiterit, ſic pronuntiat: „Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti; quod a ſe tamen

„ no-

ſi novertt nullatenus exigendum ,, . Hic ſupponitur alterum non dubitare, alias nec ipſe poſſet exigere contra propriam conſcientiam; *omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, Rom. 14.

Secundo, ſi mulier mala fide litteras confixerit, quæ mortem prioris conjugis teſtatam facerent, debitum exigere non poteſt, ſed reddere tenetur marito falſitatis minime conſcio, niſi adſint conjecturæ adeo graves, inquit Eſtius in 4. diſt. 58. §. 8. ut non tantum probabile fiat, ſed etiam moraliter certum quod conjux vivat; quia in moralibus id pro vero tenendum eſt, quod moraliter certum habetur, atque adeo mulier debitum reddens in adulterii crimen ſe conjiceret.

Tertio, ſi ambo mala fide contraxerint, & apud Parochum obrepſerint incerti de morte prioris conjugis, thoro ſe ſeparare tenentur, donec moraliter conſtet e vivis exceſſiſſe conjugem, quia propter dubium præcedens, & malam utriuſque fidem, potius præſumitur adulterium, quam matrimonium.

Quæ de ligamine dicta ſunt, ea ad impedimenta conſanguinitatis & affinitatis ſunt transferenda, ſi circa ea dubium aliquod oriatur, contracto jam matrimonio: ita enim definiit Innocentius III. cap. Inquiſitioni, *lib.* 5. *tit.* 39. De ſententia excommunicat. *in quo ſic ſcribit*: ,, diſtinguimus, utrum habeat conſcien,, tiam hujuſmodi ex credulitate levi & temeraria,, an probabili, & diſcreta. Et quidem ad ſui Paſto,, ris conſilium (conſcientia levis & temerariæ cre,, dulitatis expleta) licite poteſt non ſolum redde,, re, ſe exigere debitum conjugale. Utrum cum con,, ſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & ,, diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta, debi,, tum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ,, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, vel con,, tra judicium conſcientiæ, committat offenſam. ,, His poſterioribus verbis docet Summus Pontifex, quomodo mulier cum probabili conſcientia adulterii poſſit debitum reddere, non vero exigere, cum conſcientia peccati non deponatur pro nutu voluntatis, ſed ſolum

judicio in contrarium probabiliori: nimirum ejuſmodi mulier in duplici peccati periculo verſatur, hinc adulterii, ſi prior conjux vivat; inde injuſtitiæ, ſi ei debitum deneget, qui bona fide cum ea contraxit: certum eſt autem quod in dubio nullus ſit ſpoliandus jure ſuo; & hoc judicio non ſolum probabiliori, ſed etiam certo, mulier deponit conſcientiam dubiam de validitate matrimonii, & abſque peccandi periculo debitum reddit poſtulanti; ſed ipſa ab altero exigere non poteſt, quando conſcientia pulſat ejus animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti; quia non habet, quo dubium illud excludat. Quæ hic dicuntur de muliere, intelligenda ſunt de viro, qui prudenter formidat, aut juſtam habet formidandi cauſſam, ne contraxerit cum impedimento dirimente ſive ligaminis, ſive conſanguinitatis vel affinitatis. Vide Navarrum Enchir. cap. 16. num. 40. & 41. & fuſius in cap. *Si quis autem*, de Pœnit. diſt. 7. Sed quia in iis diſcutiendis peracri & intelligenti judicio opus eſt, Parochus, ne quid temere agat, ab Epiſcopo quæret conſilium.

DE PUBLICA HONESTATE.

Publica honeſtas Jure Canonico eſt impedimentum exurgens, tum ex ſponſalibus validis tum ex matrimonio rato & non conſummato; Ex ſponſalibus non excedit primum gradum; ex matrimonio rato extenditur ad quartum uſque gradum incluſive, ut latius expoſuimus cap. *De ſponſ.* §. 1. & 2. hic conſulendis. Unum addam ibidem dictis, nempe modernis quibuſdam viſum fuiſſe hujuſmodi impedimentum extingui ſponſalibus diſſolutis ſive mutuo ſponſorum conſenſu, ſive morte alterius; ſed quo fundamento id aſſerant, non apparet: cur enim publica honeſtas ſic deſineret, cum affinitas & cognatio ſpiritualis maneant, illa diſſoluto per mortem matrimonio, iſta mortuo baptizato; Fagnanus in cap. *Ad audiendam*, num. ult. lib. 4. tit. *De ſponſ. & matr.* refert quæſtionem delatam fuiſſe ad Sacr. Cardinalium Congregationem,

quæ

quæ declaravit die ſexta Julii 1658. ejuſmodi impedimentum non tolli per ſponſalium diſſolutionem, quod Summus Pontifex nempe Alexander VII. juſſit in dubium deinceps non revocari.

DE AMENTIA.

Certum eſt amentiam jure naturali impedire matrimonium, cum tollat uſum rationis, ac conſequenter conſenſum, ſine quo nullus poteſt eſſe contractus.

DE AFFINITATE.

Q. 1. *Quid eſt Affinitas?*

R. Eſt perſonarum proximitas ex carnali copula proveniens, fornicarius v.g. fit proximus matri & ſorori illius mulieris, cum qua rem habuit.

Dicitur autem affinitas, quaſi duorum ad unum finem unitas, quatenus duo diverſæ cognationis per copulam fiunt una caro, & tendunt ad eundem finem, ſcilicet utriuſque cognationis conſervationem.

Dixi; *ex carnali copula*; quia niſi fuerit ſeminis permixtio in vaſe debito, non contrahitur affinitas. Unde Adonias 3. Reg. c. 2. non erat affinis cum Abiſag vidua patris ſui Davidis; quia David eam non cognoverat; publicata tamen honeſtas obſtabat quominus Adonias eam duceret.

Q. 2. *Quotuplex eſt Affinitas?*

R. Jure veteri triplex eſt, quod brevius & facilius hoc explicatur exemplo. Maria nupſit fratri meo, & conſummato eorum matrimonio, efficitur mihi & conſanguineis meis affinis: En primum genus affinitatis. Mortuo fratre meo, Maria nubit Petro, & matrimonium conſummat, ſicque Petrus mihi & conſanguineis meis efficitur affinis. En ſecundum genus affinitatis. Tandem moritur Maria, & Petrus ejus viduus contrahit cum Anna, quæ etiam mihi & conſanguineis meis fit affinis. En tertium genus affinitatis. Sed Concilium Laten IV. cap. 50. referturque cap. *Non debet*, lib. 4. titul. 14. *De conſanguinitate*, ſolum retinuit primum

affi-

affinitatis genus, & alia duo ſuſtulit, & ita natum eſt commune illud effatum, *affinitas non parit affinitatem*, hoc eſt affinitas, quam filius aut frater contrahit cum Maria, quam pater, aut frater duxit uxorem, non efficit, ut ſoror Mariæ, vel filia, quam ex aliis nuptiis ſuſceperat, ſit affinis filio aut fratri ejus mariti. Quare ſæpius contingit ut duo fratres ducant duas ſorores, pater quoque viduam & filius ejuſdem viduæ filiam.

Adverſus communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam, quidam Patroni in Senatu Pariſienſi opponunt Senatuſconſultum Rothomagenſe anni 1607. vel 1617. juxta collectionem Arreſtorum Rothomagenſium; quo (ut refert Gofridus ex Beraldo in artic. 275. Conſuetudinis Normanniæ) judicatum eſt ex ſententia Theologorum Pariſienſium, repugnare publicæ honeſtati, ut gener viduus in uxorem ducat eam mulierem, cui ſecundo nupſerat ſocer ſuus defunctus; declarataque eſt ſubreptitia diſpenſatio, quam Neuſtrius quidam a Summo Pontifice impetrarat, ut contraheret ejuſmodi matrimonium, quod etiam ipſi prohibitum fuit ſub pœnam capitis. Fevretus hujuſce Placiti meminit.

Narrat inſuper Mornacus in legem 42. de ritu nuptiarum, cauſſam prædicti Neuſtrii a Curia Rothomagenſi translatam fuiſſe ad ſacratius Regis Conſilium: „ Ex quo, *inquit*, cum amandatus eſſet vir clariſſimus „ ad Senatus Pariſienſis triumviros, de peritia triumviralis ſententiæ latum fuit poſtea in Conſiſtorio Principis auguſtum immotumque judicium, quo Rothomagenſis convaluit auctoritas, anno 1610. „ Ergo Conc. Lateran. IV. cap. *Non debet*, ſupra laudato, loquitur dumtaxat de affinitate inter collaterales, nullatenus vero inter aſcendentes & deſcendentes.

Nego conſ. hæc enim diſtinctio gratis excogitata eſt, cum nulla fulciatur auctoritate, ſive Concilii poſterioris, ſive Theologorum, ſive Canoniſtarum, qui in laudatum caput ſcripſere.

Ad antecedens vero reſpondeo 1. merito in dubium revocari quod ſcribunt laudati juriſperiti, quia non con-

conveniunt circa annum ſcriptum, ſeu datam, ut ajunt: alter enim annotat annum 1607. alter 1610. alter 1617. 2. quia referunt cum Neuſtrio diſpenſatum fuiſſe a Summo Pontifice: atqui in Curia Romana non agnoſcitur affinitas, de qua eſt ſermo, ſed ſublata habetur per Concilium Lateranenſe IV. 3. quia narrat Godefridus Senatum Rothomagenſem judicaſſe ex conſilio Theologorum Pariſienſium, quod veriſimile non eſt, cum conſtantiſſimum ſit apud omnes Theologos ejuſmodi affinitatem ſublatam fuiſſe per Concilium Lateranenſe. Sed quidquid ſit de illo Arreſto,

Reſpondeo 2. Banageus in Conſuetudinem Normanniæ refert ſimilem quæſtionem noviſſime motam in Senatu Rothomagenſi occaſione matrimonii, quod Andreas Hullin abſque diſpenſatione contraxerat cum Maria Dargonges vidua Ludovici Ruan, cujus filiam ex altero matrimonio ſuſceptam idem Hullin duxerat. Cumque Hullin adverteret Advocatum Catholicum ſibi adverſari, cauſſam ad privatum Regis Conſilium tranſtulit, in quo ex conſenſu partium judicatum eſt anno 1670. ratum eſſe ejuſmodi matrimonium, & ſine abuſu contractum. Mortuo autem Hullin, hæredes ejus adverſus Placitum novam litem inſtituerunt in eodem privato Conſilio; ſed cauſſa ſua ceciderunt: & anno 1676. abſolute pronuntiatum eſt, matrimonium, de quo erat controverſia, valide fuiſſe celebratum.

Q. 3. *Quotuplici modo contrahitur affinitas?*

R. Duplici, nempe ex copula licita, ſeu ex matrimonio conſummato; & ex copula illicita ſeu fornicaria.

Q. 4. *Ad quem gradum ſe extendit impedimentum affinitatis?*

R. Concilium Lateranenſe quartum citato cap. *Non debet*, illud reſtrinxit in linea collaterali ad quartum gradum incluſive, cum prius extenderetur ad ſeptimum uſque. Sed Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. c. 4. de reform. diſtinxit inter affinitatem ex copula licita, & eam quæ oritur ex copula fornicaria: circa primam nihil immutandum duxit, ac proinde matrimonium etiamnum dirimit uſque ad quartum gra-

dum

dum incluſive; ſed circa affinitatem ex copula illicita ſic ſtatuit, „ impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimi, ad eos tantum, qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit (*Synodus*) in ulterioribus vero gradibus ſtatuit hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere. „ Cumque nulli in dubium revocarent num affinitas ex copula illicita ſaltem eſſet impedimentum ſimplex, & illicitum reddens matrimonium in tertio & quarto gradu, etſi illud non dirimat juxta Concilii decretum? Pius V. in ſua Conſtitutione, *Ad Romanum*, anno 1566. declaravit ejuſmodi affinitatem nec dirimere, nec impedire ultra ſecundum gradum.

Ergo qui poſt ſponſalia cognovit ſororem ſponſæ ſuæ, neque cum eadem ſponſa poteſt promiſſum implere & matrimonium contrahere; obſtat enim impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita: neque cum ejus ſorore quam carnaliter cognovit, quia impedit publica honeſtas ex ſponſalibus validis exurgens.

Dixi Concilium Lateranenſe reſtrinxiſſe impedimentum affinitatis ad quartum gradum in linea collaterali, quia in linea recta in quocunque gradu matrimonium dirimit ſicut & conſanguinitas; aſcendentes enim & deſcendentes loco parentum & liberorum habentur. Abraham v. g. in ſua genealogia eſt primus parens Efron, quin ex quinto gradu eſt ſocer uxoris Efron, unde ſi ſupervixiſſet, Efron mortuo, non potuiſſet eam in uxorem aſſumere propter impedimentum affinitatis.

Q. 5. *Quomodo numerantur gradus affinitatis?*

R. Eodem modo numerantur quo gradus conſanguinitatis, adeo ut ſicut ſoror eſt in primo gradu conſanguinitatis, filius ſororis in ſecundo, & hujus filius in tertio; ita maritus ſororis fit in primo gradu affinitatis, uxor filii ſororis in ſecundo, &c.

Q. 6. *Quo jure affinitas dirimit matrimonium?*

R. 1. In linea recta dirimit jure naturali. Probatur

tum

tum ex reſponſione ad quartam quæſtionem : tum ex Scriptura 1. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio*, inquit Apoſtolus, *& talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat*. Quibus verbis Apoſtolus teſtatur ipſas Gentes ſolo naturæ ductu execratas fuiſſe inceſtas illas conjunctiones.

R. 2. Affinitas in linea tranſverſa & collaterali jure Eccleſiaſtico dirimit matrimonium. Eſt contra Pſeudo-reformatos, probaturque 1. ex Scriptura. In lege naturæ Jacob duas ſorores Liam & Rachelem duxit uxores, Gen. 29. Judas præcepit filio ſuo Onam ut copularetur uxori fratris ſui ſine liberis defuncti. Gen. 38. In lege ſcripta Deus non ſolum permiſit, ſed etiam præcepit Deut. 18. ut, ſi frater abſque liberis mortuum fuerit, ſuperſtes ejus frater accipiat uxorem defuncti, & ſuſcitet ei ſemen. In novo Teſtamento nihil legitur, quod adverſetur ejuſmodi nuptiis. 2. Summi Pontifices aliquando diſpenſarunt in primo gradu lineæ tranſverſæ, ut Alexander VI. cum Emanuele Rege Luſitaniæ, qui ſucceſſive duxit duas ſorores Ferdinandi Regis Hiſpaniarum filias; & Julius II. cum Henrico VIII. Anglorum Rege, qui Catharinæ viduæ fratris Arturi, & ejuſdem Ferdinandi filiæ conjunctus eſt, licet poſtea, matrimonium cauſſatus illegitimum, privata auctoritate illam repudiaverit. Ex quo ortum eſt ſchiſma Anglicanum. Ergo ſolo jure Eccleſiaſtico ejuſmodi nuptiæ prohibitæ ſunt, cui concinunt leges civiles Cod. Theodoſ. lib. 3. tit. 12.

DE CLANDESTINITATE.

Q. 1. *Quod matrimonium cenſetur clandeſtinum?*

R. Quod non contrahitur coram proprio Parocho vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus. Concilium enim Tridentinum ſeſſ. 24. c. 1. de reform. contractus matrimonii aliter initos fecit irritos & prorſus nullos, quod & Henricus III. in Comitiis Bleſenſibus edixit. Utrum au-

autem ſola Parochi præſentia ſufficiat, valeatque matrimonium coram ipſo renitente, nec benedicente, & duobus teſtibus contractum, expendimus, ubi de Miniſtro hujus Sacramenti.

R. 2. *Eſtne neceſſe ut Parochus præſens matrimonio, ſit charactere ſacerdotali inſignitus?*

R. Neceſſe eſt neceſſitate præcepti, non neceſſitate contractus civilis.

Prima pars, quæ eſt de neceſſitate præcepti, probatur, quia Concilium Tridentinum citato cap. 1. præcipit nuptiarum ſolemnitatem, „ ſtatuitque Benedi-„ ctionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam „ niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam „ ad prædictam benedictionem faciendam, alio Sacer-„ doti committi poſſe, quacumque conſuetudine, etiam „ immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, „ vel privilegio non obſtante.„ Atqui benedictio illa eſt actus ordinis Sacerdotalis, quem inferiores Clerici nonniſi temere & cum irregularitatis periculo uſurparent. Adde in plurium Theologorum ſententia valde probabili, Sacerdotem eſſe Miniſtrum hujus Sacramenti, formam vero eſſentialem verba ab ipſo prolata. Ergo Parochus nondum Sacerdos ea temere proferet.

Secunda pars, nempe ad veritatem contractus civilis neceſſe non eſſe ut Parochus ſit inſignitus charactere ſacerdotali, eſt quidem contra Sylvium & Navarrum, quem laudat in 45. quæſtionem Supplem. art. 1. quæſito ſeptimo, ſed eſt communior & confirmata pluribus declarationibus Cardinalium; probaturque ex ipſomet Concilii decreto; in eo quippe aliud non requiritur ad veritatem matrimonii, quam præſentia Parochi & duorum vel trium teſtium: Ergo ſicut neceſſe non eſt ut teſtes ſint Sacerdotes, ita nec Parochus. Ipſe Navarrus lib. 4. conſil. tit. 1. conſil. 30. teſtatur ſe hac ratione propenſum fuiſſe in noſtram ſententiam, ſed auſum ſe non fuiſſe eam amplecti, quia audierat, ſed falſo, ut contendit Fagnanus, ſacram Congregationem ſtare pro oppoſita. Sed audiendum eſt

Fagna-

Fagnanus in c. „ Quoniam , *lib.* 1. *tit.* De conſtitu-
„ tionibus: Sacra Congregatio, *inquit n.* 25. declara-
„ vit validum eſſe matrimonium contractum coram
„ Parocho etiam invito, & per vim adducto, qui ſibi
„ aures obturaverat.... item coram Parocho tam vi-
„ ri, quam mulieris etiam in aliena Parochia; etiamſi
„ Epiſcopus illi matrimonium interdixerit. Idem co-
„ ram Parocho etiam minoribus tantum Ordinibus ini-
„ tiato.... quo loco illud eſt nota dignum, quod
„ Navarrus, quamvis conſilio 9. de Clandeſt. deſp.
„ optimis rationibus ſentiret validum eſſe matrimo-
„ nium contractum coram Parocho non Sacerdote; ta-
„ men quia audivit, licet falſo, Sac. Congreg. incli-
„ naſſe in contrariam partem, conſequenter profeſſus
„ eſt in ſe non audere recedere a ſententia, in quam
„ per errorem credidit Sacram Congreg. inclinaſſe. „
Idem ſpeciatim confirmat de Parocho excommunicato non tolerato, modo publicus hæreticus non ſit, in caput *Ad abolendam*, lib. 5. tit. 7. num. 38. & ratio eſt, quia non eſt privatus ſuo beneficio, & vere eſt Parochus, licet indignus, nec refert quod ea quæ juriſdictionis ſunt, exercere nequeat, v. g. valide non abſolvat, quia eſſe teſtem initi contractus conjugali, non eſt actus juriſdictionis.

Objicit Sylvius cum quibuſdam aliis verba Concilii, *qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius licentia*. Pronomen enim *alio* eſt relativum ad eum, qui ſit etiam Sacerdos, ita ut neceſſe ſit, ut duo qui ſic inter ſe conferuntur, ſint ambo Sacerdotes. Ergo Concilium ſupponit Parochum debere eſſe Sacerdotem.

Nego conſeq. ſenſus enim verborum eſt, matrimonium celebrandum eſſe coram proprio contrahentium Parocho, vel alio qui ſit Sacerdos, ut ſignificatur Parochum non poſſe dare alteri licentiam, de qua agitur, niſi ille ſit Sacerdos: quod omnes ex laudatis Conc. verbis colligunt. Vide Barboſam de Parocho num. 60.

Q. 3. *Quando contrahentes ſunt diverſæ Parochiæ vel diœceſeos, ſatiſne eſt ad veritatem Matrimonii, ut celebretur coram Parocho alterutrius contrahentis?*

R. Affir-

R. Affirmative, probaturque ex univerſali Eccleſiæ diſciplina. Peccaret tamen ille Parochus, ſi contrahentes admitteret, non acceptis litteris teſtimonialibus alterius Parochi, quibus certiorem illum faceret proclamaſſe ſe banna promiſſi matrimonii, nemine contradicente, Parochianum ſuum, vel Parochianam ad Sacramentum Pœnitentiæ acceſſiſſe, nihilque obſtare quominus Sacramentum matrimonii ipſi conferat.

Q. 4. *Quid ſi titulus Parochi ſit controverſus, & in rei veritate nullus?*

R. Modo Parochus non ſit intruſus, habeatque titulum coloratum, ut ajunt, valet matrimonium, quia ubi eſt error communis, Eccleſia ſupplet quod deeſt ex parte tituli, juriſdictionemque tribuit Paſtori credito.

Q. 5. *Quis eſt Parochus proprius, an Parochus originis, an domicilii, an loci, in quo contrahetur?*

R. Eſt Parochus domicilii, niſi contrahentes ſint vagi, omnique domicilio careant. Praxis Eccleſiæ illud demonſtrat, & ratio ſuadet, quia in loco domicilii banna proclamantur, & ibi deprehendi poteſt, ſi quæ ſint impedimenta, ubi ſedem habent contrahentes. Quod ſi maneant in diverſa Parochia, ſicut in utraque debet fieri denuntiationes, ita in utraque poteſt celebrari matrimonium. Uſus tamen obtinuit, ut celebretur coram Parocho mulieris; pudor enim non videtur pati, ut puella virum quærat.

Dixi, *niſi contrahentes ſint vagi*; hi quippe & non alii, contrahere poſſunt coram Parocho loci, in quo diverſantur, obtenta prius Ordinarii Licentia; ſic enim ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. cap. 7. de reform. „ multi ſunt qui vagantur . . . & ut improbi „ ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, „ omnes ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile „ recipiant: Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, ut „ eos ſevere coerceant. Parochis autem præcipit, ne „ illorum matrimoniis interſint niſi prius diligentem

„ in-

„ inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata „ ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. „ Sed eſt aliud malum non minus grave & magis frequens, nempe mendici concubinas tamquam uxores per pagos circumducere ſæpius deprehenduntur a Parochis vigilantiſſimis, qui cupientes tanto malo mederi, obtinuerunt a Parochianis, ut ipſos monerent quoties hujuſmodi hominum genus in tectum recipiunt.

Q. 6. *Quamdiu extraneus commorari debet in Parochia; ut in ea ſortiatur domicilium; poſſitque ibi contrahere coram Parocho tamquam proprio?*

R. Omnes Theologi & Canoniſtæ conveniunt eum, niſi ſit vagus, qui in aliqua Parochia diverſatur veluti in tranſitu, nec in ea fixit ſedem, non eſſe Parochianum ejuſdem loci, colligiturque ex cap. *Is qui*, tit. *De ſepulturis in 6.* in quo ſic habetur, *Is qui ad villam ſe transferre recreationis cauſſa, vel ut ruralia exerceat; ſi non electa ſepultura decedat, non in Eccleſia dictæ villæ, ſed in ſua Parochiali ſepeliri debet;* Ergo Parochus ejuſdem villæ non erat ipſi proprius, ut potuiſſet coram ipſo contrahere, multo minus ſi in fraudem illuc ſe contuliſſet, eo animo ut ibidem liberius contraheret. Certum itaque eſt Parochum non eſſe proprium niſi reſpectu eorum (vagis exceptis) qui ſedem fixerunt in ejus Parochia, & in ea aliquandiu commorati ſunt. Sed quamdiu? Variæ ſunt opiniones. Alii cenſent ſatis non eſſe qualemcumque habitationem, niſi adſit animus perpetuo habitandi, ſine quod domicilium non acquiritur. Sed quia de mente alterius nobis non conſtat, niſi per ſignum aliquod externum, lex civilis ad conſtituendum domicilium, requirit decennium. Sed tam diuturnum tempus non requirunt leges Eccleſiaſticæ ad acquirendum jus Parochianum, ut patet ex cap. *Significavit*, lib. 3. tit. 29. *de Parochis*, ubi ſatis eſt Cæleſtino III. quod quidam in civitatem Anconenſem ad habitandum ſe contuliſſent ut Epiſcopus loci in eos juriſdictionem acquireret. Quare alii exiſtimant quamcumque habitationem ſufficere, modo non ſit recreationis gratia, vel ad ru-

ralia exercenda, aut breviorem aliquam cauſſam; alii volunt habitationem annalem, aut pro majori anni parte. Fagnanus in cit. cap. *Significavit*, n. 39. refert Sac. Congregationem ad dubium ſibi propoſitum reſpondiſſe matrimonium valere, ſi contrahentes ſaltem per menſem in Parochia fuerint commorati.

Sed quidquid ſit de variis illis opinionibus, Parochi in Gallia habent certam regulam in Ritualibus vel ſtatutis diœceſanis præſcriptam, & Regio Edicto firmatam; nempe domicilium ad contrahendum ſufficiens non acquiri, niſi contrahentes per ſex menſes in Parochia habitaverint, ſi ſint ejuſdem diœceſeos, per annum vero, ſi diverſæ.

Q. 7. *Qui ante præfinitum illud tempus contraherent, matrimonium eſſetne invalidum?*

R. Qui ita contraxiſſent, in utroque foro Eccleſiaſtico & Civili cogerentur iterum fidem mutuo ſibi dare coram proprio Parocho & teſtibus.

Q. 8. *Hæc regula eſtne extendenda ad filios familias, qui diutius abſuerunt, cauſſa v. g. ſtudiorum, militiæ, famulatus, &c. & poſtmodum redeunt ad domum paternam?*

R. Non videtur extendenda: tum quia idem eſt domicilium parentum ac filiorum, quandiu iſti remanent ſub poteſtate paterna: tum quia facto probant ſe habere animum perpetuo manendi in parochia, niſi rerum mutatio eos alio avocet.

Q. 9. *Qui metu ne parentes aut alii ſe opponant eorum matrimonio, alio demigrant, ibique commorantur per tempus lege præſcriptum, contrahuntne valide?*

R. 1. Si ſint filii familias, ætate minores, ad contrahendum non debent admitti ſine conſenſu parentum; alioquin tam Parochus quam contrahentes ſeveritati regiorum Edictorum, de quibus ſupra, merito ſubjacerent. 2. Si ſint ſui juris & extra poteſtatem paternam, nobis aliquando viſum fuit, cum quibuſdam aliis, eos non valide contrahere, quia illuc demigrarunt in fraudem, quæ nemini patrocinari debet. Sed re attentius perpenſa, & cum peritioribus noſtris Theologis diſcuſſa, oppoſitam ſententiam amplectimur, utpote

pote communiorem, qua aſſeritur ejuſmodi matrimonium eſſe ratum ac firmum, cum ſecundum leges celebratum fuerit. Fraudulenter quidem egerunt illi mutantes habitationem, & fraus ejuſmodi non deberet illis patrocinari, ſi jus Parochianorum in alio loco non eſſent conſecuti, ideoque Parochus loci eos uti extraneos, & minime ſibi ſubditos a peccatis abſolvere, vel matrimonio conjungere non poſſet. Sed nulla eſt fraus in eorum habitatione; vere enim in loco commorati ſunt per totum tempus a lege præſcriptum, ut acquiratur jus parochianum, ratione cujus admiſſi ſunt ad contrahendum. Ita fere Sylvius in Supplementum S. Thomæ q. 45. art. 5. quæſtiuncula 4. ad calcem, Bonacina de natura & proprietatibus matrim. q. 2. punct. 8. n. 7. ubi alios pro hac ſententia laudat, & Fagnanus in cit. cap. *Significavit*, num. 36. & ſeq. eam confirmat judicio ſacræ Congregationis, in qua cum multos annos fuerit a ſecretis, teſtis eſt locupletiſſimus quatuor deciſionum ejuſdem Congregationis in propoſito caſu.

DE IMPOTENTIA.

Q. 1. *Quid eſt Impotentia?*

R. Eſt defectus vel ex cauſſa naturali, vel ex maleficio proveniens, quo impeditur copula carnalis, qua perſonæ fiant una caro. Quamobrem Eunuchi ſunt incapaces matrimonii, quemadmodum Sixtus V. declaravit an. 1587. licet aliqui eorum vas muliebre penetrare queant. Qui laborant impotentia ex defectu naturali, dicuntur frigidi: qui vero ex maleficio, maleficiati; nimius tamen ardor nonnullos reddit impotentes.

Q. 2. *Sterilitas & impotentia ſuntne quid idem?*

R. Minime; ii quippe ſoli dicuntur impotentes; qui matrimonium conſummare nequeunt. Steriles vero, qui ex copula præhabita fructum, prolem ſcilicet, non ſuſcipiunt, ut ſenes adhuc habiles ad conſummandum matrimonium, ſed inhabiles ad generandum. Porro ſterilitas, niſi conjuncta ſit cum impotentia, matrimonium non dirimit: unde ſenes non ſunt arcendi a

matrimonio, niſi deficientibus viribus præ ſenectute evaſerint impotentes; in quo caſu valide non contrahunt, ſed hujuſmodi defectus mulieribus ex ſenectute præciſe non accidit, viris vero ſæpiſſime.

Quod autem impotentia matrimonium dirimat, patet ex lib. 4. tit. toto 15. de frigidis & maleficiatis: & ratio eſt, quia nemo poteſt contrahere de eo quod non habet in ſua poteſtate, v. g. vendere agrum quem tradere nequit: atqui impotens uſum ſui corporis alteri tradere non poteſt: ergo, atque ita impotentia eſt impedimentum dirimens non ſolum jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturali.

Q. 3. *Quotuplex eſt impotentia?*

R. Generatim dividi poteſt in temporalem, quæ ſine peccato & vitæ periculo tollitur, vel tolli poteſt; & in perpetuam. Iſthæc rurſus dividitur in abſolutam & reſpectivam; illa eſt reſpectu cujuſcumque, iſta reſpectu unius tantum, puta mulieris arctioris.

Q. 4. *Quævis impotentia eſtne impedimentum dirimens?*

R. 1. Temporalis non dirimit; quia ſpem non tollit habendæ copulæ vel creſcentibus viribus, ut contingit iis, qui pubertate adepta, ſtatim contrahunt, vel adhibitis remediis, quibus conjugati uti poſſunt ſine peccato & vitæ periculo, ex cap. *Ex Litteris*, & c. *Fraternitatis*, tit. laudato *De frigidis & maleficiatis*.

R. 2. Impotentia, quæ ſupervenit matrimonio rato, etſi nondum conſummato, illud non diſſolvit; quia ex dictis matrimonium ratum eſt indiſſolubile, ſolo caſu religioſæ profeſſionis excepto.

R. 3. Sola impotentia perpetua matrimonium antecedens, ſive ſit abſoluta, ſive reſpectiva, eſt impedimentum dirimens; dicitur autem perpetua, quando ſine peccato, aut vitæ periculo expelli non poteſt; quia perſona conjugata tale periculum ſubire non tenetur, ex citato capite *Fraternitatis*.

Dixi, *quando ſine... vitæ periculo*, quia ſi remedia perſonam conjugatam nulli periculo exponant, ea, exigente parte altera, adhibere tenetur ad expellendam impotentiam.

Q. 5.

Q. 5. *Quid facto eſt opus, quando dubium eſt an impotentia ſit temporalis aut perpetua?*

R. Lex tum civilis 1. authent. de nuptiis §. *per occaſionem*, qua recvocatur Lex *In cauſis*, Cod. de repudio: tum Canonica cap. *Laudabilem*, Cod. *De frig. & malef.* triennium concedit conjugibus, *a tempore celebrati conjugii*, inquit Cæleſtinus, *ſi frigiditas probari non poſſit, cohabitent per triennium*, quo elapſo, ſi matrimonium conſummare non potuerint, indicit ſeparationem. Facta autem ſeparatione, qui laborat impotentia tantum reſpectiva, poterit cum alia perſona conjungi: ſecus ſi impotentia ſit abſoluta.

Dixi ſummus Pontifex, *ſi frigiditas probari non poſſit;* quia ſi impotentia ſit certa, & nulla ſpes adſit eam expellendi, cujuſmodi eſt impotentia ex ſenectute proveniens, quæ quotidie fit major, ne ſemel quidem copulam attentare licet; ejuſmodi enim conatus non eſſent niſi ſpurcitiæ & fœdæ pollutiones.

DE RAPTU.

Q. 1. *Quid eſt Raptus?*

R. Deſcribitur a Gratiano 36. q. 1. violenta abductio puellæ a domo paterna, ut corrupta in uxorem habeatur. Sed præterquamquod ad rationem raptus neceſſe non eſt, ut mulier abducta fuerit corrupta, hæc deſcriptio non comprehendit omnes raptus ſpecies; namque verus raptus eſt, ſive vidua, ſive filiafamilias ſive filiusfamilias vi aut ſeductione abducatur ad contrahendum matrimonium. Quare raptus generatim deſcribi poteſt perſonæ abductio vi aut ſeductione, ad contrahendum matrimonium.

Celebris autem eſt raptus diviſio in raptum violentiæ, qui fit renitente perſona abducta, & in raptum ſeductionis & ſubornationis, cui perſona rapta non repugnat, blanditiis, voluptatis illecebris, & promiſſis ſeducta. „ Violentia, *inquit S. Thom.* 2. 2. qu. 154. „ *art.* 6. quandoque infertur tam ipſi virgini quam „ patri, quandoque autem infertur patri, ſed non „ virgini, puta cum ipſa conſentit, ut per violentiam

„ de domo patris abſtrahatur .. . . qualitercumque
„ violentia adſit, ſalvatur ratio raptus.

Q. 2. *Uterque raptus eſtne impedimentum dirimens?*
R. Affirmative.

Probatur 1. ex lege civili: extat lib. 9. codicis Theodoſiani tit. 24. conſtitutio Conſtantini Magni, qua raptori amputatur omnis ſpes eam ducendi uxorem: *quam vel invitam rapuerit, vel volentem abduxerit*. Similia leguntur in Novella 143. Juſtiniani Imperatoris; & Carolus Magnus in Capitularibus lib. 7. c. 395. „ Placuit, *inquit*, ut hi qui rapiunt feminas, „ vel furantur, aut ſeducunt, eas nullatenus habeant „ uxores, quamvis eis poſtmodum conveniet, aut eas „ dotaverint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum „ ſuorum acceperint. „

Probatur 2. ex lege Eccleſiaſtica Canone *De raptoribus*, qui eſt Concilii Aurelianenſis I. cauſſa 36. Raptor qui confugerit ad Eccleſiam, morte non eſt pleſtendus, ſed raptæ ſervire tenetur, niſi ſe redemerit: quod ſi puella raptori conſenſerit, reddetur patri, cui raptor tenebitur ſatisfactione ſimili. Canon. 66. Concilii Meldensſi an. 845. *quicumque deinceps rapere virgines vel viduas præſumpſerint, ſecundum Synodalem beati Gregorii* (ſecundi in Concil. Romano) *definitionem ipſi & complices eorum anathematizentur, & raptores ſine ſpe conjugii perpetuo maneant*. Idem ſtatuitur Can. 10. Concilii Ticinenſis ann. 85. Innocentius III. c. *Accedens*, l. 5. tit. 17. *De raptoribus*, aliquid remiſit ex ſeveritate legis, permiſitque ut raptor cum rapta poſtmodum conſentiente contrahere poſſit: *Rapta puella*, inquit, *legitime contrahet cum raptore, ſi prior diſſenſio poſtmodum tranſeat in conſenſum*. Sed Concilium Trident. reſtringit hanc facultatem, inhabilemque reddit raptorem ad contrahendum cum rapta etiam conſentiente, niſi in loco tuto & libero fuerit conſtituta, atque hac cautione novum poſuit Matrimonii impedimentum: verba illius ſunt ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformatione: „ Decernit ſancta Synodus inter ra„ ptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate rapto„ ris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium.

„ Quod

„ Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto „ libero conſtituta, illum in virum habere conſenſe- „ rit, eam raptor in uxorem habeat. „ Hic generatim de raptu loquitur Concilium, nec diſtinguit inter raptum violentiæ & raptum ſeductionis. Hinc controverſia inter Theologos; utrum in hocce decreto comprehendatur raptus ſeductionis? Negat Sanchez cum aliis, quos citat lib. 7. diſp. 13. n. 13. affirmant vero Ledeſma c. 26. Henriquez c. 14. Zerola in praxi p. 2. verbo *Raptus*, & alii. Porro Senatus Pariſienſis huic poſteriori adhæret ſententiæ, cumque raptus ſeductionis vim inferat puellæ parentibus, apud ipſum puella non cenſetur conſtituta in loco tuto & libero, niſi poteſtati paternæ ſubjaceat juxta Concilium Aurelianenſe ſupra laudatum, *ſi vero quæ rapitur*, inquit, *patrem habere conſtiterit, & puella raptori ſenſerit, poteſtate patris excuſata reddatur*. Sed in iis Parochi non agant niſi ex Epiſcopi conſilio & præſcripto.

CAPUT X.

De diſpenſatione circa impedimenta Matrimonii.

Conſtat ex dictis tom. 3. de legibus c. 11. diſpenſationem in lege humana aliquando eſſe neceſſariam, in iis ſcilicet circunſtantiis, in quibus eſſet noxia; legi enim inſiſtere, cum ejus obſervantia infert præjudicium, crudelitatem ſapit; ait Symmachus Papa Ep. ad Avitum. Sed nonnullæ difficultates circa diſpenſationes in impedimentis matrimonii ſunt elucidandæ. Itaque

Q. 1. *Cujus eſt facultas diſpenſandi circa impedimenta matrimonii?*

R. Ex communi Eccleſiarum conſuetudine, quæ vim legis obtinet, ſolius eſt Summi Pontificis diſpenſare in impedimentis dirimentibus jure humano inductis, ubi præſertim agitur de matrimonio contrahendo; uni-

verſalis enim uſus recurrendi ad Sedem Apoſtolicam ut habeatur diſpenſatio ab impedimentis dirimentibus, indicat eam eſſe Catholicorum mentem, ejuſmodi facultatem ipſi eſſe reſervatam.

Dixi 1. *Ex communi Eccleſiarum conſuetudine*, quia nullum Concilium generale, nullumve decretum Sedis Apoſtolicæ ubique receptum jus illud Summo Pontifici reſervavit. Quæſtio quidem ea de re mota eſt in Concilio Tridentino; ſed nihil ibi fuit definitum.

Dixi 2. *quæ vim legis obtinet*: id agnoſcunt Concilium Turonenſe c. 9. an. 1583. Concilium Toloſanum c. 8. anno 1597. & Rituale communiter.

Dixi 3. *in impedimentis dirimentibus* diximus enim Epiſcopos diſpenſare in impedimentis ſimplicibus, exceptis tamen votis Religionis, & caſtitatis perpetuæ.

Dixi 4. *in impedimentis.... jure humano inductis*; quia in iis quæ ſunt juris naturalis aut divini, nulla poteſt eſſe diſpenſatio, ut ſupra obſervavimus.

Dixi 5. *ubi præſertim agitur de matrimonio contrahendo*, quia quando matrimonium eſt bona fide contractum cum impedimento occulto, nec ſine ſcandalo aut magno incontinentiæ periculo contrahentes recurrere poſſunt ad Summum Pontificem; diſpenſandi facultatem penes Epiſcopum eſſe docent communiter Theologi & Canoniſtæ, & ita ſibi fuiſſe reſponſum in Curia Romana ſcribit Zerola in praxi 1. p. verbo *Diſpenſatio*. Et certe conſuetudo, quæ Ordinariorum ſigat poteſtatem circa impedimenta dirimentia, non ſunt introducta in deſtructionem, & in animarum perniciem, quibus Epiſcopi jure divino opitulari tenentur. Atque ob eandem rationem Epiſcopi hic diſpenſare poſſunt, etiam matrimonio nondum contracto, ſed ipſa die contrahendo, qua detegitur impedimentum occultum, propter quod matrimonium non poteſt differri abſque gravi perturbatione & incommodo. Viam conſulunt nonnulli ad vitanda omnia incommoda; nempe ſi Parochus auctor ſit ſponſo aut ſponſæ, ut emittat ad certum tempus caſtitatis votum, quod evulgare licebit abſque periculo infamiæ & ſuſpicionis

malæ;

malæ. Sed aliorum judicio permitto, an via illa ſit tuta & conſulenda.

Quin plures Epiſcopi in Gallia contendunt ſuas Eccleſias ex diuturno uſu præſcripſiſſe adverſus conſuetudinem, atque eo titulo diſpenſant, nemine contradicente, ab aliquibus impedimentis etiam publicis, ſive contrahendo, ſive de contracto.

Q. 2. *Quando contrahentes ſunt e diverſis Diœceſibus, eſtne neceſſe, ut uterque Epiſcopus cum eis diſpenſet in impedimento, puta affinitatis aut conſanguinitatis, quo inveniuntur conſtricti?*

R. 1. Uſus obtinuit, ut ambo Epiſcopi diſpenſent, idque rectus ordo & optima diſciplina poſtulant: tum quia diſpenſationes concedi non debent, niſi cognita cauſſa: atqui unus Epiſcopus cauſſam ſatis expendere non poteſt, quando alter contrahentium eſt ex altera diœceſi: Ergo: tum quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, qua caret Epiſcopus erga incolas alterius diœceſis. Ergo neceſſe eſt ſaltem neceſſitate præcepti, ut in propoſito caſu uterque Epiſcopus diſpenſet. Utrum autem neceſſe ſit etiam neceſſitate Sacramenti, major eſt difficultas, quia hoc ipſo quo unus Epiſcopus diſpenſavit cum ſubdito ab impedimento affinitatis aut conſanguinitatis, ſubditus non cenſetur affinis aut conſanguineus alterius quam ducere exoptat, nec iſta viciſſim; cum enim affinitas & conſanguinitas ſint relationes reciprocæ, quæ non exiſtunt niſi inter duo correlata, nemo poteſt eſſe affinis aut conſanguineus reſpectu illius qui affinis non eſt, nec conſanguineus. Neque propterea Epiſcopus diſpenſans cum ſubdito juriſdictionem magis exercet in non ſubditum, quam Parochus matrimonio conjugens Parochianum ſum cum Parochiana diverſæ parochiæ, inſcio ejus Paſtore: iſta enim indirecte & per accidens ſequuntur ex facto alterius, quemadmodum licet quis nullum jus habeat in fundum vicini, multa tamen facere poteſt in proprio fundo, ex quibus commoda & incommoda oriuntur in fundo vicini. Nihilominus

R. 2. Niſi ambo Epiſcopi diſpenſent in matrimonio, de quo eſt ſermo, invalide contrahitur. Ita Sam-

bovius tom. 1. caſu 75. & 76. ubi confutat oppoſitam Barboſæ ſententiam, multum improbat quod Epiſcopus N. eam in praxi fuerit ſecutus, cenſetque matrimonium ſic contractum eſſe iterandum juxta formam a Concilio Tridentino preſcriptam. Sic quoque ſentit Natalis Alexander in Theol. dog. & mor. art. 13. de diſpenſatione circa impedimenta matrimonii regula 15. Peritiſſimos etiam Theologos in hanc rem conſului, qui ejuſmodi matrimonium admodum dubium exiſtimant, & eorum alter Officialis mihi reſpondit, quod ſi ad forum ipſius res iſta deferretur, remitteret partes ad proprium Parochum, ut coram ipſo & teſtibus iterum contraherent, obtenta prius altera diſpenſatione. Et ratio eſt, quia Epiſcopi vulgo in ſuis litteris exprimunt diſpenſare ſe quatenus eos ſpectat, hoc eſt, conditionate, ſi Epiſcopus alter diſpenſaverit cum ſuo diœceſano, atquo eo ſenſu mandata Epiſcoporum, qui mentem ſuam non ita diſtincte exprimunt, accipere cogit communis uſu & praxis, ſecundum quam in caſu propoſito ad diſpenſationem unius Epiſcopi, ſive in bannis, ſive in impedimentis, accedit alterius Epiſcopi diſpenſatio. Quid ita, niſi quia abſolute neceſſaria creditur, nec ulla ſufficiens auctoritas contrarium ſuadet? Quod enim adducitur de Parocho, qui conjungit Parochianam ſuam cum parochiano alterius parochiæ abſque parochi illius conſenſu, nullius eſt momenti, cum ex communi Theologorum ac Canoniſtarum ſententia, & ex Declarationibus ſacræ Congregationis Cardinalium ejuſmodi conſenſus non requiratur, immo nec illum præbere ſoleant Parochi, quando eorum Parochiani contra„ cturi ſunt in ſponſæ parochia, ſatiſque ſit certiorem facere parochum ſponſæ proclamaſſe ſe banna parochiani ſui, nemine contradicente.

Q. 3. *Quomodo matrimonium prius irritum, convaleſcit, diſpenſatione impetrata?*

R. 1. Si impedimentum ſit publicum, contrahentes novum conſenſum præbere debent coram proprio parocho & teſtibus; niſi enim conſtaret apud eos qui impedimentum norunt, matrimonium convaluiſſe, habe-

haberentur ut concubinarii, & filii eorum illegitimi.

R. 2. Quando impedimentum eſt occultum, neceſſe non eſt ut contrahentes iterum coram parocho ſe ſiſtant; ſed ſatis erit, ut ſecrete mutuo conſentiant. Eſt communis Theologorum & Canoniſtarum ſententia, & ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, & Pius V. motu proprio, apud Sanchez lib. 2. diſp. 37.

Dices: ſi matrimonium fuit invalidum ex defectu conſenſus in altero conjuge, qui ficte aut ex gravi metu conſentit, ſatis eſt, ut ille poſtmodum libere conſentiat in copulam affectu maritali, nec in altero requiritur novus conſenſus; Ergo a pari ſatis erit ſi pars conſcia impedimenti ex crimine occulto, ſola novum eliciat conſenſum.

Nego conſeq. & paritatem. Ratio autem diſparitatis eſt, quod in contractu ex gravi metu ab una parte inito, ambo in contrahentes fuerunt perſonæ legitimæ & ad contrahendum habiles, conſenſus unius partis fuit verus, nihilque defuit ut eſſet validus, quam reciprocus alterius partis conſenſus. Accedat ergo reciprocus ille conſenſus ad alterius partis conſenſum, in quo pars illa ſupponitur permanere, perfectus erit contractus. At res aliter ſe habet in contracta invalido ex crimine occulto, ex quo exurgit affinitas, quia ambæ partes fuerunt ad contrahendum inhabiles & perſonæ illegitimæ, atque adeo conſenſus utriuſque fuit nullus: Ergo neceſſe eſt ut utraque pars novum eliciat conſenſum. Quod ſi dicas partem, quæ impedimenti ex crimine conſcia non eſt, in priori ſuo conſenſu conſtanter permanere; illumque ratum habere eo ipſo, quo exigit aut reddit debitum affectu maritali, idem eſt ac ſi dixeris illam conſtanter adhærere vitio ſeu nullitati antecedentis conſenſus, eamque ratam habere. Sed inde exurgit graviſſima difficultas, ſequenti quæſtione aperienda & diſcutienda. Itaque

Q. 4. *Ut convaleſcat Matrimonium, eſtne neceſſe ut pars conſcia criminis occulti & irritantis, vitium ſeu invaliditatem contractus alteri parti aperiat?*

R. Affirmat communiter Theologi & Canoniſtæ cum

veteres, tum recentiores, quorum quamplurimos appellat & ſequitur Sanchez lib. 2. diſp. 35. & 36. *Dico*, inquit Scotus in quartum diſt. 35. q. 1. *quod ſi impedimentum non exprimatur perſonæ inſciæ, ipſa in copula carnali ſequenti non conſentit novo conſenſu, ſed ſolum reddit virtute primi conſenſus, qui nullus fuit*. Et gloſſa in caput *Propoſitum* l. 4. tit. 7. *De eo, qui duxit uxorem*, ſic habet: *in primo conſenſu, qui fuit nullus, intelligitur perdurare*. Confirmatur exemplo Novitii, cujus profeſſio fuit nulla ex defectu ætatis; quandiu enim defectum illum ignoravit, vota ſæpius ab ipſo iterata non firmant, nec validam reddunt ejus profeſſionem, liberumque ipſi erit egredi, eum vitium profeſſionis in ejus notitiam venerit, quia vota ſua iteravit virtute voluntatis qua profeſſus eſt, quæ fuit nulla; atque hanc ſententiam ſupponit veram Tribunal Pœnitentiariæ Romanæ; in diſpenſationibus enim, quas ad diſcretum Confeſſarium dirigit, hanc clauſulam interſerit; *cum ipſis latoribus*, DE NULLITATE PRIORIS CONSENSUS CERTIORATIS (*ſed ita caute, ut ſi illa adhuc ignoravit, latoris delictum nuſquam detegatur*) *diſpenſat, ut matrimonium inter ſe contrahere valeant*. Verum quam viam ſatis tutam Confeſſarius, etiam prudentiſſimus, aperiet mulieri, quæ ex fornicationem cum conſanguineo viri impedimentum dirimens contraxit, ut abſque ſuſpicione ſaltem gravioris criminis ipſum monet hactenus irritum & nullum fuiſſe eorum matrimonium? *Merito*, inquit Van-Eſpen 2. p. tit. 14. c. 7. n. 8. *executor hic non tantum humana, ſed vel maxime divina conſilia & auxilia adhibebit; recurrendo ad Patrem luminum, ut eum lumine ſuo illuminet, quid in caſu adeo perplexo agere debeat*.

Forte feliciter ſuccedet, ſi mulier criminis & impedimenti conſcia viro declaret ſe ſcrupulis angi propter conſenſum quem primo dedit in ipſa nuptiarum celebritate, & re cum Confeſſario diſcuſſa, ipſum exiſtimaſſe inſufficientem fuiſſe conſenſum ad veritatem Sacramenti, ſed vitium facile corrigi poſſe, ſi ambo iterum invicem conſentiant. Hæc loquendi ratio ſuſpicionem criminis amovere poteſt; multis quippe

capi-

cap'tibus contingit conſenſum eſſe invalidum, forte coactus fuit, vel fictus, vel ſub conditione non impleta. Aliam viam proponunt graves Theologi, nempe ſi mulier blanditiis virum deliniat, & in ſui amorem alliciat hoc vel ſimili modo: *Ita te diligo, ut ſi non eſſet inter nos matrimonium, te acciperem, & ita de facto te accipio, ſi quis forte fuerit in noſtra conjunctione defectus, denegabitne tam ardenter diligenti ſimilem amoris teſtificationem?* Viro ſimiliter reſpondente & teſtificante ſe illam actu & de facto accipere in conjugem, coaleſcit matrimonium, inquiunt.

Verum plures Theologi improbant poſteriorem hanc rationem faciendi ratum matrimonium, tum quia repugnat clauſulis diſpenſationum, quibus præſeribitur ut nullitas matrimonii fiat utrique parti manifeſta: tum quia pars impedimenti ignara non intendit novo ſuo conſenſu novum inire contractum, ſed ſolummodo confirmare præcedentem, in quo perſeverare ſe teſtatur. Sed quidquid ſit de iſta controverſia, certum videtur mulierem hujuſmodi explicatione, quantumque vaga & indeterminata, tutam non eſſe a peſſimis ſuſpicionibus, rixis, & aliis incommodis, ſin minus reſpectu viri ſimplicis & rudioris, ſaltem reſpectu acutioris. Quamobrem Fagnan. in cap. *Significatum*, lib. 3. tit. 31. *De regularibus*, totis viribus & multis rationibus probare conatur matrimonium prius invalidum, ſublato per diſpenſationem impedimento convaleſcere per cohabitationem affectu maritali, ſicut & ſolemnem Religionis profeſſionem irritam ob defectum ætatis in Novitio, ratam fieri per unius anni perſeverantiam in habitu Religionis poſt adeptam ætatem, etiamſi Novitius non advertat invalidam fuiſſe ſuam profeſſionem: ita enim decernitur in Clementina lib. 3. tit. 9. cap. *Eos*, in quo Summus Pontifex ſic edicit: *Eos qui deinceps in diſcretionis ætate conſtituti Novitiorum habitum in aliqua Religione per annum portaverint, hoc ipſo Religionem illam decernimus eſſe profeſſos.* Idem ſtatuitur cap. *Is qui*, in 6. lib. 3. tit. 14. *De regularibus*. Nec argumentari licet pari de eo, qui ex gravi metu profeſſus eſt; idem enim non convaleſcit

ejus

ejus profeſſio per perſeverantiam in habitu Religioſo, nec per iterationem votorum, quia præſumitur idem impedimentum metus in eo permanere. Fatetur tamen ille auctor ſuam opinionem auctoritatibus fere eſſe deſtitutam, ſed ſolidioribus rationibus, inquit, ac juribus eſſe munitam. Sanchez loc. cit. Bonacina de natura & proprietatibus matrimonii quæſt. 2. puncto 9. num. 8. & alii quos appellat, cenſent mulierem, de qua eſt ſermo, poſſe agere ex iſta ſententia, licet minus probabili, quando ſuis illecebris novum conſenſum a viro tetrico obtinere nequit, & imminet gravioris incommodi periculum, ſi nullitatem præcedentis matrimonii detegat, clauſulamque diſpenſationum, de qua ſupra, appoſitam eſſe cum hac reſtrictione, *ſi fieri poſſit*; neque enim in deſperationem conjicienda eſt illa mulier.

Quamvis nihil definiam in materia tam ſalebroſa & periculoſa, Parochos tamen juvat noſſe difficultatum nodos: 1. ut diligentius caveant; ne Parochiani cum aliquo impedimento occulto contrahant, cum graviſſimo huicce malo remedium vix adhiberi queat. 2. ut, ſi forte in audiendis confeſſionibus deprehendunt pœnitentes contraxiſſe cum impedimento dirimente, quod invincibiliter ignorant, non ipſis manifeſtent quin plus exploraverint num præſens habeant remedium, aut periculum ſit, ne pœnitentem conjiciant in proximam peccandi occaſionem, nempe ſi urgeatur mulier ad reddendum debitum conjugale, quod impedimenti neſcia citra ſcelus redderet; nullatenus autem poterit quocumque prætextu, dum illius fuerit conſcia. Confeſſarius igitur in iis circumſtantiis impedimentum diſſimulabit, pœnitentemque alia de cauſſa remittet, donec conſilium acceperit, in primis a ſuo Epiſcopo. Ita communiter docent Theologi, & ipſemet Innoc. III. cap. *Quia circa*, tit. *De conſanguinitate*, in quo ſic habet: *diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta* (licet bona fide) *cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videas ſcandalum imminere.*

Sunt aliæ plures difficultates elucidandæ circa diſpenſationes, ſed cum illas ſigillatim attigerimus & ſolveri-

verimus Tractatu de Legibus cap. 11. & 13. ad quæ Lectores poſſunt recurrere; hic operi noſtro finem imponimus; in quo ſi quid incautis nobis & imprudentibus forte excidit, quod minus cum Eccleſiæ doctrina congruat; eo libentius emendabimus, quod conſcii nihil nos ſcire in fidei morumque argumentis niſi quæ ab eadem Eccleſia didicimus; id unum ſemper ſtuduerimus, ut ea tantum teneremus, quæ illa nos docet voce Paſtorum, quos Spiritus Sanctus nobis præfecit; ut non ſimus fluctuantes, & circumferamus omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris, Eph. 4.

Hac adducti ratione in illis articulis, de quibus nihil dum Eccleſia decrevit, eos auctores ſecuti ſumus, qui & morum & doctrinæ integritate ab illa maxime probati, opiniones ſuas communes, magiſque laudatas in ſcholis effecerunt. Ubi vero illos inter ſe diſcrepantes oſtendimus, tam neutri præ ceteris adhærentes, in di incubuimus, ut nude & aperte horum & illorum mentem exponeremus, rati eorum eſſe Præſulum, qui noſtram hanc ſuis Theologiam tradi volent, illas amplecti opiniones, quas melioribus nixas argumentis judicabunt.

Ceterum fuſiores idcirco fuimus, quam initio fuerat a nobis propoſitum, quia Illuſtriſſimi quidam Antiſtites edocti longo uſu rerum, nos commonuerunt ejuſmodi tractatibus tam brevibus, tam jejunis parum juvari, parumque erudiri eos, quibus docendi populos, regendarumque parœciarum cura eſt committenda; immo periculoſum eſſe in Candidatorum manus ſubjicere inanem & exſuccum libellum, unde dum tentantur, ſterilia quædam ad interrogationes reſponſa depromant, & qui deinde futurus ſit plane inutilis. Sint igitur Theologici tractatus ejuſmodi, ut qui ſacris deſtinantur, per totum vitæ curſum ſtudere poſſint, & in quibus abunde explicata ſatiſque ſtabilita reperiant, quæ ceteros docere tenebuntur.

His de cauſſis inſtitutum jam a nobis Compendium abjecimus, atque huic operi, quod modo edimus in lucem, penitus incubuimus. In illo autem breviter, quan-

quantum fieri pôtuit, quæ ſint Clericorum Sacerdotumque officia, & qua ratione poſſint implere ſubjecimus: notavimus inſuper quæ plerumque peccantur ab iis qui aliorum regendorum curam ſuſceperunt, & difficultates innumeras, quas paſſim per quadraginta annos & amplius deprehendimus, in quibus ſolvendis doctiores etiam aliquando conſulere duximus operæ pretium, ſicque in hoc ipſo opere plerique, quos vocant, conſcientiæ caſus evoluti deciſique reperiuntur. Quin & nonnullos e noſtris Doctoribus accepimus auctores eſſe iis qui decurrendum licentiæ curſum aggrediuntur, ut hoc opere noſtro, qualecumque eſt, tanquam duce utantur ad ſtudiorum ſuorum rationem recte inſtituendam.

Atque ut Seminariſtæ, quo tempore in Seminariis commorantur, poſſint ſententias & ſummam rerum, quæ in fuſioribus tractatibus continentur, mente colligere, & præ oculis habere, quo facilius, cum periculum ſcientiæ ſuæ facient, valeant reſpondere: Compendium, Deo juvante Theologicum ſumus elaboraturi, quod dum in Seminariis exercebuntur, volvere poterunt ſæpius, iterumque revolvere.

A D-

ADDITAMENTUM
AD THEOLOGIAM
DOGMATICAM ET MORALEM
D. LUDOVICI HABERT,
continens
HISTORIAM
POENITENTIÆ PUBLICÆ
Conſcriptam, notiſque & animadverſionibus illuſtratam
a R. P. GERALDO ZURCHER
O. S. Ben. SS. Theol. & J. U. Prof. Sangal.
CUM
DISSERTATIONE PRÆVIA
De Eruditionis Præſtantia
ad Neo-Theologos.

De Pœnitentia DEUS præſtet, ut nullis fidelibus neceſſaria ſit. *Pacianus Epiſc. Barcinon. Epiſt. I. ad Sympronianum.*

Æternitatem cogita, quiſquis ſapis;
Deum amare, dein juvare proximos;
Eccleſiam protegere, proterere hæreſes;
Hic finis eſto, hæc meta ſtudiorum omnium.

APPROBATIO.

LIbellum hunc, ſeu *Hiſtoria de Pœnitentia Publica* varia eruditione ſuis e fontibus hauſta refertum, nihil, quod cum Orthodoxa noſtra fide pugnet, continere, plura vero confundendis Novatoribus idonea complecti hiſce atteſtor.

Pater Antonius Ruttimanu J. U. D. Reverendiſs. & Celſiſſimi S. R. I. Principis, & Abb. Monaſt. S. Galli Offic. in Spiritual. Gener.

PRæſens Lucubratio *Hiſtoria de Pœnitentiæ Publicæ, &c.* Opera *R. P. Geraldi Zurcher*, olim SS. Theologiæ, & nunc J. U. Profeſſoris, conſcripta, tantum abeſt, ut Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus quidquam adverſum contineat, ut veteris Eccleſiæ diſciplinam perſpicue proponat, & *Hæreticorum* calumnias ſolide retundat. Legi accurate ſingula, atque perſpexi in illis mirum ſelectæ eruditionis ſtudium, & indefeſſam Auctoris in evolvendis veterum monumentis induſtriam. Quare Opuſculum ſolidæ eruditionis cupidis utiliſſimum, & luce publica digniſſimum cenſeo. In S. Galli 5. April. Anno 1752.

P. Yſo VValſer, J. U. D. ibid
SS. Theolog. Prof. Ord.

DIS-

DISSERTATIO PRÆVIA

DE

PRÆSTANTIA ERUDITIONIS, & ſcopo Opuſculi.

AD NEO-THEOLOGOS.

§. I.

NON diu, nec ancipiti, conſilii lance penſitandum mihi fuit, quid potiſſimum poſt abſoluta Trieteridis ſacræ ſtudia Religioſis Auditoribus meis memoriæ loco relinquerem. Satis mihi compertus erat eruditionis amor, ad cujus notitiam ſingulorum mentes concordia mirabili propendebant. Velificandum proin votis tam ardentibus eſſe æquum arbitrabar, ea præcipue ratione ductus, cum quod perpolito hoc ſæculo turpe ſit, eruditionem omnino ignorare; tum ut oſtendatur, quam impudenti mendacio Antonius Charlas Orbem literarium decipere attentaverit, dum in ſua *Pareneſi* indiſcriminatim ſcribit, quod Theologia, in Monaſteriis tradita, longe ab eruditione Eccleſiaſtica diſtare ſoleat, multique Theologiæ Profeſſores in Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſtudio peregrinos ſe ſe demonſtrent.

Dum vero de præſtantia eruditionis diſſertationem hanc præmitto, eruditionis nomine *ſacram* intelligo, in qua Theologos omnes, ſi non ad plenum exercitatos, ea generatim tamen imbutos eſſe velim. Quanti momenti res hæc ſit, id enimvero demonſtrandum jam ſuſcipio.

§. II.

§. II.

PRius tamen innuere paucis licebit, quam eruditionem ſacram Neo-Theologo addiſcendam ego exiſtimem. Poteſt enim eruditionis ſacræ nomine intelligi vel ſtudium Scripturæ divinæ, vel lectio Patrum, vel notitia Conciliorum, vel denique notitia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Et quidem Scripturæ Sacræ ſtudium Theologo neceſſarium eſſe, nemo, qui ſapit, ambigere poteſt. In quo enim ſe fundat Theologus, niſi in fide, quam ſaluberrimam in aliis gignere, nutrire, & defendere ut præcipuum, ita proprium ſolius Theologiæ officium eſt: Fides autem cui innititur, in quo ſolidatur, niſi in divina revelatione? Et hæc quid aliud eſt quam Verbum DEI ſcriptum, vel traditum? ut adeo qui neglecta notitia Scripturæ vel Traditionum Theologiam vel docere, vel diſcere tentat, ſtructuram ſine fundamento moliri videatur. Præclarum hac in re laudatiſſimi Cornelii a Lapide monitum eſt; *Ille*, inquit Præfat. in Pentateuchum, *qui Scholaſticam* (Theologiam) *a Sacra Scriptura ſeria commemoratione divellere ſe poſſe putat, prolem ſine matre, domum ſine fundamentis; & ad inſtar terræ* (globi terraquei) *penſilem, aquæductus ſine ſcaturigine, ſegetem ſine ſemine, concluſionem ſine principiis uti deſultoria, ita deluſoria levitate fruſtra ſperat, vel expectat.* Edit. Pariſ. 1637. fol. 2. colum 1. D. Sed de neceſſitate ſtudii Scripturarum alii differant; Sufficiat Neo-Theologis unum textum notaſſe ex S. Auguſtino, qui in (a) epiſtola ad Sixtum Presbyterum Romanum ita circa finem loquitur, „ Hæreticorum, inquit.... inquietudine ut Scripturas VIGILANTIUS perſcrutemur, unde, ne ovile Chriſti noceant, EIS POSSIT OCCURRI, tanquam de ſomno ignaviæ noſtræ excitatur induſtria.

De

(a) *Eſt in epiſtolis D. Aug. vet. edit. ordin.* 105.

De SS. vero Patr. lectione, etſi Neo-Theolog. ob penuriam temporis, vel Auctorum eoſdem pervolvere haud liceat, ſequentia tamen notabo, ſedulo monens, ut, dum adoleverint, & rei temporis vel librorum copia iiſdem fuerit, eorum lectionem minime prætermittant.

1. Enim, cum S. Scriptura difficilis intellectu ſit, ejus autem (a) *interpretatio proprio ſermone non fiat*, multo minus privato ſpiritu (ut tamen volunt Novatores) hinc eorundem SS. PP. ſedula lectio ad intelligenda ſcripturæ Myſteria non poteſt non eſſe proficua.

2. Ex SS. Patribus optime innoteſcit, quæ antiquæ Eccleſiæ Doctrina fuerit, & Diſciplina. Hinc

3. Etſi 1. Lutherus imprudenter aſſeveraverit: (b) *OMNES Patres in fide erraſſe, & , ſi ante mortis articulum converſi non fuerint, æternum periiſſe*, ejus tamen Sectatores Patrum auctoritate ſibi opus fore exiſtimantes, eorum doctrinam ſuis favere novitatibus aggreſſi ſunt demonſtrare. En extremam Prædicantium Lutheranorum temeritatem, & audaciam!

Samuel Deyling Lutheranus Superintendens Islebienſis Anno 1717. librum vulgavit Lipſiæ, cui Titulus: *Irenæus, Veritatis Evangelicæ Teſtis*; quo dicendi genere innuit, Irenæum adſtipulari falſis Lutheranorum dogmatibus. Quam belle vero Irenæus cum Lutheranis concordet, patebit ejus libros legenti, in quibus aperte docet: Traditiones retinendas, & ſequendas eſſe: Eccleſiam Romanam Matrem ceterarum eſſe atque Magiſtram: in dubiis, & controverſiis ſtandum eſſe Judicio Romanæ Sedis: ab ea deficientes reputandos eſſe ſuperbos, Apoſtatas, Hæreticos, &c. Videatur Irenæus terſis oculis, liberoque a paſſionibus, & præjudiciis animo *l.* 2. *c.* 47. *l.* 3. *c.* 3. & *lib.* 4. *cap.* 43. & 63. Concludant Luthericolæ, an Irenæus cum ipſis ſentiat, & qui ſint Judicio ejuſdem Irenæi, ſuperbi nimirum, Apoſtatæ, & Hæretici, cum nimis apertum ſit, ipſos a Roma-

(a) *II. Petr. I.* 30.
(b) *Tom.* 2. *VVitemberg. fol.* 434. *edit.* 1551.

mana Eccleſia defeciſſe. Ceterum Irenæus Epiſ. Lugdunenſis, ſæc. II. ſanctitatis, & doctrinæ laude floruit.

Joannes Fridericus Mayer, Lutheranus Superintendens Generalis, qui anno 1712. ſubitanea morte e vivis ſublatus eſt, An. 1680. adverſus R. P. Georgium Heidelbergerum S. J. librum compilavit, ediditque *Grimmæ* ſequenti titulo: „ D. *Chryſoſtomus* Lutheranus Orthodoxæ Veritatis adverſus decreta Concilii Trid. Aſſertor, *Georgii Heidelbergeri* Lojolitæ *Chryſoſtomo* Papiſtæ e diametro oppoſitus.„ Sed facile Chryſoſtomus a Lutheraniſmo vindicatur; tractat enim de cultu Reliquiarum, venerationeque Sanctorum: de neceſſitate bonorum operum: deque multis aliis, quorum infenſiſſimi hoſtes Lutherani ſunt; ſpeciatim quoque regiæ celſitudini poteſtatem ſacerdotalem præfert (Vide infra c. 8. n. 32.) quam miſeri Prædicantes Luthericolæ laici Superioribus ſuis ſubjiciunt: neque id mirum: laici enim, & ipſi Prædicantes ſunt, neque plus quoad poteſtatem Sacerdotalem poſſunt quam Diabolus, & ipſius Mater, docente id ipſum ipſorum Sectæ conditore Luthero. Tomo namque VI. ipſius operum Jen. Germ. fol 105. edit. An. 1557. poſtquam dixiſſet, *ſi Dæmon in virum aut Parochum transfiguratur Miſſam celebraſſet, abſolviſſet, aliaque Sacramenta adminiſtraſſet, credendum tamen fore, Sacramenta fuiſſe valida; validum Baptiſma, validam Abſolutionem, validum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti nos ab eo accepiſſe*, hæc ſubjungit: *Fides enim noſtra, & Sacramenta perſonæ alliganda non ſunt, ſive ea bona vel mala ſit, conſecrata, vel non conſecrata, vocata, aut ſecus*, DIABOLUS AUT EJUS MATER. (a)

Hæc Lutherus loc. citato; qui alibi omnem baptizatum

(a) *Ob hunc textum ſerio perpenſum, An. 1732. D. Joannes Gaſt, Argentinenſ. Luther. antea undeviginti annis Præco, Cathol. fidem amplexus eſt, ut pluribus refert Clariſs. D. VVeislinger Parte II.* Reſponſionis Solidæ *pag.* 299.

ium de ſacerdotali poteſtate gloriari poſſe aſſerit, his formalibus: *Omnis, qui baptizatus eſt, gloriari poteſt, quod jam Sacerdos, Epiſcopus, & Papa conſecratus ſit.* Tomo I. Germ. Jen. edit. A. 1555. fol. 321. Mirari jam deſino, cur poteſtatem Sacerdotalem Laicis ſubjiciant Prædicantes: baptizati enim ſutores, ſartores, infantes, pueri, feminæ, qui ſecundum Evangelium Lutheri Sacerdotes, Epiſcopi, quin & ſummi ſunt Pontifices, merito laicæ poteſtati ſubduntur.

Antonius Reiſer, Lutherani Evangelii Hamburgi Præco, Francofurti A. 1677. librum imprimi curavit, cui titulum præfixit; „ S. Auguſtinus veritatis (*a*) Evangelico-Catholicæ in potioribus fidei controverſiis Teſtis, & Confeſſor. „ Sed quam bonus Lutheranus Auguſtinus fuerit, ejus libros vel obiter evolventi innoteſcet. Aſſerit enim purgatorium dari; pro vita functis orandum eſſe; B. Virginem Mariam ſine peccato vitam traduxiſſe, eamdemque invocandam; DEUM intueri merita, & interceſſiones Sanctorum, iiſque moveri; Reliquias SS. cultu religioſo proſequendas eſſe (non vero a nobis *adorari*, ut ad invidiam uſque in nos fingunt Adverſarii). Dari arbitrium non ſolum a coactione, ſed ab omni liberum neceſſitate; hæc & plura alia Catholicorum dogmata, quæ Auguſtinus adverſum heterodoxos acerrime propugnat, ſufficienter ipſum liberant a calumnia, eidem abs Reiſero impacta, quaſi Sanctus hic Doctor Lutheranorum fidei Patronus eſſet.

Anno 1715. Typis Lipſienſibus liber vulgatus eſt cum titulo; „ Gregorius Magnus Papa Lutheranus „ Auctore Joanne Petro Stute, Magiſtro Lutherano. Quis hic non juſte ſuccenſeat ob extremam hujus Lutherani impudentiam? Lippis, & tonſoribus notum eſt, Gregorium M. ſtrenuiſſimum Religionis Catholicæ, & vindicem fuiſſe; & propagatorem; aſſeruiſſe merita bonorum operum; probaſſe invocationem Sanctorum; inſtituiſſe Litanias, & Proceſſiones; ritus Sacrificii Miſſæ auxiſſe; fidelibus defunctis Miſſas prodeſſe, & ſexcenta alia profeſſum fuiſſe, quæ Lutherani refugiunt,

(*a*) *Vult dicere: Lutheranæ.*

& tamquam ſuperſtitioſa aut enormiter ignorantes, aut ſtudioſe malitioſi condemnant.

Sed necdum finis impoſturæ Prædicantium. Georgius Henricus Goz, Lutheranus olim Annèbergæ Superintendens, anno 1701. Dreſdæ edidit *De Lutheraniſmo D. Bernardi Schediaſma Theologicum*, ut titulus libelli ſonat. Anno vero 1656. Joannes Georgius Dorſcheus Præco Lutheranus Argentorati ſcriptum publicavit cum titulo: *Thomas Aquinas, dictus Doctor Angelicus exhibitus Confeſſor veritatis Evangelicæ Auguſtana confeſſione repetitæ*. Denique Leopoldus Dom a nobis ad Lutheri caſtra transfugiens, Scotum, Doctorem ſubtilem, & apprime Catholicum, Lutheri placitis adſtipulari aſſeruit in ſcripto, cui nomen dedit: *Scotus Evangelicus*. Bernardus, ille Mariæ cultor devotiſſimus, Romanæ Eccleſiæ, ejuſque dogmatum, ac in primis Primatus Romanæ Sedis defenſor acerrimus: Thomas item Aquin. & Scotus, DD. Eccleſiæ Rom. addictiſſimi, Lutherani ſunt; riſum teneatis amici!

„ Quinti Evangelii Præconibus, atque Poetis
„ Falſum ſcribendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Si quæras erudite Lector, quid per hujuſmodi libros, apertis ſcatentes erroribus atque mendaciis, Miniſtri Lutherani intendant, cum tamen eorundem Majores, & (*a*) Lutherus cumprimis, Auctoritatem SS. PP. exſufflare omnibus nervis contenderint? Reſpondeo: Prædicantes probe agnoſcere inanitatem fundamenti fidei ſuæ. Dum enim e SOLIS Bibliis (quæ ſecundum criterium privati ſpiritus Lutheranus quiſque, ſar-

(a) Quanto plus lego in PP. libris, eo magis ſcandalizor, *inique ait Lutherus in Colloq. Menſ. Isleb. edit. A.* 1567. *f.* 476. *Ibid. f.* 487. *ait* S. Hieron. Hæreticus fuit. *Item ib. f.* 474. S. Baſilius omnino nihil prodeſt. *Nec mirare, quod hæc aſſeruit, nam de DEO ipſo ita Lutherus loquitur impiiſſime*: DEUS Hæreticus eſt, & hoc tam verum, *lege & horreſce*, eſt, quam verum eſt, celebrem Univerſitatem Ingolſtadienſem doctam eſſe. *T.* 2. *Jen. fol.* 452. *edit.* 1558.

ſartoribus etiam, & ſutoribus non exceptis, dilucidat; ut adeo tot ſententiæ ſint, quot capita) prætenſam ſuæ ſectæ veritatem Luthericolæ conantur demonſtrare, meliore fundamento non gaudent, quam Calviniſtæ, Sociniani, Ariani, Anabaptiſtæ, ſimiliſve farinæ Sectarii: cum quod inſiſtendo ſuis principiis in æternum Lutherani oſtenſuri non ſint, ſe verum, & incorruptum DEI VERBUM, verumque ejus ſenſum habere; tum etiam, quia Sectarii, & præcipue Sacramentarii, quos Lutherani vatiniano odio proſequuntur, quique teſte Luthero (a) *Indiabolatum*, *perdiabolatum*, & *ſuperdiabolatum cor habent*, æque ac Lutherani ad Biblia provocant, ſuoſque errores ex iiſdem ſe demonſtrare jactitant. E *ſolis* ergo *Bibliis*, nec Sectæ ſuæ prætenſam veritatem defendere, nec adverſantes Sectas erroris redarguere Lutherani poſſunt. Quid ergo? Patrocinium novitatum Lutheranarum quæritandum fuit, nec melius occurrebat, quam ſi per inſignem calumniam antiquis Eccleſiæ Patribus affingerent, eoſdem Cultores, Teſtes etiam, & Confeſſores, Sectæ Lutheranæ fuiſſe. Sed per hoc ipſum aliud nil effecere, quam quod Religionem ſuam (ſi tamen eſt aliqua) proſtituerint, quam utpote apertis hiſce mendaciis per ſummam impudentiam auſi ſunt ſuſtentare; omniumque inſuper eruditorum, cum Catholicorum, tum & Auguſtanæ Confeſſioni adhærentium riſui, & juſtæ indignationi ſe ſe expoſuerint.

Ex modo dictis ſat, ſuperque colligere licebit, quanti interſit, lectionem SS. Patrum non negligere, ad intelligendum videlicet, quis genuinus Scripturæ ſit ſenſus; quæ antiquæ Eccleſiæ doctrina fuerit, & diſciplina; adque obſtruendum iniqua loquentium ora, qui SS. PP. ſumme Catholicos, per impudentiam ſingularem Lutherizare cogunt, quorum tamen lucubrationes ipſorum Sectæ conditor, Martinus (b) Luther, non tanti, ac Æſopi Fabulas æſtimavit: *Poſt Biblia*, in-

 quis

(a) *T.* 8. *Jen. A.* 1550. *f.* 195. *T.* 2. *VVittenb. Germ. An.* 1548. *fol.* CCL.

(b) *Sic ſcribit Matheſius infra in Nota citandus.*

quit Lutherus (*a*) *MELIORES non dantur libri, quam Catonis Scripta, & FABULÆ ÆSOPI.* Meliores ergo Lutheri Judicio Æſophi Fabulæ ſunt, quam libri SS. PP. Cypriani, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, & ceterorum: erubeſcant hic, ſi poſſunt, Lutheri Sectatores.

Anno 1530. die 22. April. ad Philippum Melanchtonem Auguſtam Lutherus epiſtolam (*b*) direxit, in qua inter alia ita ſcribit: *Pervenimus tandem in nonoſtrum Sinaj, cariſſime Philippe, ſed faciamus Zion ex iſta Sinaj, ædificabimuſque ibi tria taaernacula Pſalterio unum; Prophetis unum, & ÆSOPO unum.* Talem Patrem, ut Æſopus eſt, Eccleſiæ Lutheranæ non invidemus. Ceterum erudite Lector, ſi tibi ad manus non ſunt Scripta, & Libri PP., volve, & revolve Jodoci Coccij, ad noſtram fidem converſi, inæſtimabilem, & rariſſimum librum, qui inſcribitur; *Theſaurus Catholicus*, & deprehendes, quam male Novatores cum doctrina Patrum concordent. Auſim dicere, ſi omnes Libri Polemici a noſtris conſcripti, ſimul perirent, ex ſolo Coccij *Theſauro Catholico* refutari abunde poſſent adverſa nobis Heterodoxorum dogmata.

§. III.

QUod attinet Concilia, eorum ſaltem notitiam exactam Theologiæ Candidatus comparare ſtudeat; quæ Œcumenica ſunt, & a ſummo Pontifice approbata: Particularium enim ſingulorum, cum plurima ſint, accurata notitia opus haud eſſe exiſtimo: quiſque tamen Diœceſis ſuæ in qua habitat, Synodos Particulares exacte norit oportet, quas utpote ſeu ſtatuta ac ſaluberrimas leges ſummo in pretio habere, ac venerari decet, & quarum tranſgreſſio excuſationem vix admittit.

Con-

(*a*) *In Colloquiis Menſal. Germ.* Islebii *editis Anno* 1566. Dreſda *Ann.* 1723. *fol.* 715.

(b) *Jo. Franc. Buddeus in ſuppl. Epiſt. Lutheri epiſt.* 112. *ut cit. a Cl. VVeisling. in* Armamentario Cathol. *f.* 571. *edit. Argentinenſ. An.* 1749.

Conciliorum Generalium Summam exhibet R. P. Joſephus Biner S. J. in libro ſuo eruditiſſimo, quem inſcripſit: *Apparatus Eruditionis ad Juriſprudentiam, præſertim Eccleſiaſticam &c.* quique Oeniponti Anno 1747. typis excuſus prodiit. Optandum eſſet, ut quilibet Neo-Eheologus, cui ampli Conciliorum Tomi ad manus non ſunt, eo libro proviſus notitiam Conciliorum Generalium exactam perdiſceret: ſic enim clare intelligeret, Heterodoxorum placita omni retro venerandæ Antiquitati contraria eſſe; detegeret eorundem fraudes, interpolationes, corruptioneſque; verum denique a falſo, aurum a ſcoria facillime diſcerneret. Quantum enim præjudicium falſitatis novitias Sectas pati neceſſarium eſt, quando doctrinam illam, quæ Apoſtolorum ætate, & antiquæ Eccleſiæ temporibus jam tum floruit, in ſola Religione Romano-Catholica etiamnum vigere ex Conciliorum actis perſpicere cuivis licet, illaſque opiniones pleraſque, quibus hodiedum Novatores adhærent, jam inde in illis prædamnatas fuiſſe nemo non aperte cognoſcet?

§. IV.

IDem dicendum arbitror de notitia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, qua Sectarii ad errores ſuos magis ſtabiliendos paſſim abutuntur. „ Vidi ego, inquit Gisbert, (a) qui non admodum ſenui, vidi ipſe . . . cum Calviniſtam inter, nuperis ſuis ſcriptis contra Fidei perpetuitatem tota Gallia famoſum, & nonnullos Catholicos diſputatio de Fide haberetur coram viris primariis, vidi inquam, & ſenſi premi Hæreticum, in eaſque redigi anguſtias reſponſionum, quæ ne ſuis quidem placere poſſent. Verum rem alio callide detorquens eo perfugit, ut diceret; Concilium Oecumenicum errare poſſe, & de facto erraſſe, quod nominabat Concilium Ariminenſe in cauſſa Arianorum. Hic vero,

(a) *In* vera Idea Theologiæ *pagina* 19. *edit. Græcienſ.* 1731.

quod eam, credo, partem Hiſtoriæ non ſatis teneret Catholicus diſputator, perſequi adverſarium noluit per avia, & ignota loca, & victoriam, quam in manibus habebat, miſere dimiſit. Mihi quidem: quamquam nec ſatis Hiſtoria inſtructus eram, nec ſatis decebat per ætatem, loqui juniorem in multitudine Presbyterorum, ſubibat tamen animum pugnæ ſuccedere, & ut loquar cum Hieronymo (Epiſt. 84.) *extorquere gladium de manibus hoſtium, ac Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare*; ſed continui metum, ut debui; ex eo tamen invaſit me vehemens ardor ſtudia iſta non negligendi, invaluitque ea cupiditas ſuperioribus annis, cum toties abuti viderem Hiſtoria Eccleſiaſtica Hæreticos ad fovendum errorem ſuum, dolerentque omnes boni, ſæpe unum hominem multis imponere, & uni, in arte mentiendi exercitato, multos credere. „ Hactenus Joannes Gisbert S. J. Theologus, & a morum integritate, & a ſacratiore literatura, laudatiſſimus.

Quis juſto mœrori hic indulgens, illis non ſuccenſeat, qui notitiam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ otioſorum hominum negotium eſſe, dicere non erubeſcunt? Vacent hi Zelantes ſpeculationibus ſuis; impalleſcant chartis, capitaque ſua defatigent, quantum velint: auſim dicere, vix unum, alterumve aliquanto doctiorem Sectarium avitæ Fidei ſolo ſpeculationum adjumento reſtituent.

§. V.

QUantum e contra emolumentum veræ DEI Eccleſiæ nullo non tempore ii præſtiterint, quotquot a Fide devios in viam ſalutis, DEO dante, reduxerint, qui eruditione præclari ex antiquæ Eccleſiæ monumentis falſitatem Sectarum noviter emergentium demonſtrarunt, neminem peritorum latere arbitror. Quam enim adverſarii objectionem minus ſuſtinent, minuſque reſorbere valent, quam ſi doctrina ipſorum novitatis arguatur, & toti Antiquitati aſſeratur contraria? Quot libros non conficiunt, ut hanc a ſe objectionem amoliantur? Repetitis vicibus jam hæc, jam illa Concilia citant: modo antiquos Patres pro ſe laudant,

modo

modo Hiſtorias veteres recitant, quis hæc nubila ſpeculatione ſicca, & ſola diſpellet? Unde innoteſcet, quæ Concilia legitima ſint, & quæ apocrypha ſine notitia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ? Quis fraudes, & corruptiones ſine illius ope advertet? Quis ſenſum, mentemque antiquæ Eccleſiæ abſque Hiſtoriæ uſu aſſequetur? Nimirum certa hæc ſunt, quam ut ampliori confirmatione indigeant.

§. VI.

QUamquam ego minime per hoc intendam, ſpeculationes tollere, aut Theologum *Quæſtionibus* dumtaxat *Facti*, Hiſtoriæ nimirum ſoli addictum eſſe velim. Hanc enimvero meam eſſe ſententiam pronuntio, ANTE OMNIA operam dandam eſſe *Quæſtionibus Juris*, ut ſpeculativis, hæ enim fundamentum ſunt, cui illæ innituntur. Illud autem addo: *Oportet unum facere; & alterum non omittere.* Oportet Theologum ſcire dogmata fidei, eadem explanare, in aliis gignere, contraque adverſantes defendere: hæc vero qui fieri poſſunt ſine notitia Quæſtionum Juris, etſi ſpeculationis aſperitatem in ſe contineant? Oportet autem, & alterum non omittere. Addendæ ſunt Quæſtionibus Juris Quæſtiones Facti, quæ ſolidioris Theologiæ cultoribus fructum, ut quidem reor, ampliſſimum ſunt allaturæ.

Accedit, ejuſmodi exercitationem Theologo non proficuam modo, ſed omnino neceſſariam eſſe ad partes ſuas perfecte explendas. Quis enim militi, ut expedite pugnet, familiaria, & uſitata eſſe debere arma negabit? Et quæ præter Scripturam, & ſententias Patrum, Conciliorumque definitiones alia arma ſunt, quibus pugnat Theologus, niſi mens, & ſenſus antiquæ Eccleſiæ? Ergo ut expedite pugnet, illorum uſum debet habere familiarem. Iiſdem enim armis abutuntur Novatores, & unde nos firmamenta cauſſæ noſtræ ducimus, errorem illi ſuum confirmant.

Errores ſane non paucos (male id quidem) Pontificibus Sectarii tribuunt: Zephyrinum ſcribunt Montanizaſſe; Liberium incidiſſe in hæreſim Arii, idem de Felice II. ſentiunt. Conantur perſuadere, Vigilium

Eutychianis faviſſe, Honorium Monothelitis? Joannem XXII. negaſſe immortalitatem animæ, Calvinus (a) effutiit: Hæc & ſimilia plura ad Quæſtiones Facti pertinent; magni autem momenti eſt, hic non vinci Catholicum, cum vel ex uno ejuſmodi factorum Eccleſiæ cauſſa ita pendeat, ut quidquid ratione, & Auctoritate probatum fuerit, ſæpe unius facti interjectu enervetur. Qui autem ſine armis, Catholicus vincet, notitia videl. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ deſtitutus?

§. VII.

SAtis ex his liquet, qui fructus ex notitia eruditionis ſacræ delibari queant, ac intereſſe permagni, ne a Theologo frugi Quæſtiones facti omnino ignorentur. Quod ſi etiam privatam cujuſque voluptatem attendamus, eam ſane ingentem hæc notitia procreabit. „ Juvat aliquando, inquit ſupra laudatus Gisbert (loc. cit. pag. 17.) juvat poſt debellatum hoſtem in ejus caſtra excuttere, luſtrare oculis, ut ſe vallo muniit, ut diſpoſuit aciem, ut reſtitit, ut fugit; ut accifæ reliquiæ conſederunt. Dulce eſt deſignare manu illic raptas Aquilas, hic turbatum equitem, hic peditem inclinatum ſuccubuiſſe. Num & Theologo pariter jucundum erit ex contentioſa, diſputatione reſpirare identidem poſt refutatum, v. gr. dogma Arij, aſſertamque FILIO DEI Divinitatem, excurrere in Orientem, & monſtrare digito! Hic Arius Alexandriæ Presbyter, primus in Filium Dei rebellavit, favente in primis Euſebio Nicomedienſi, illo Eccleſiarum adultero. Ibidem adverſus fidei hoſtes clariſſima tuba bellum cecinit Alexander Alexandriæ Epiſcopus. Illic vero Nicææ in Bythinia per trecentos & octodecim Patres, quaſi per totidem Abrahami vernaculos, fides in Urbe victoriæ triumphavit, pugnante præſertim Magno Athanaſio. Dulce erit exinde digredi ad conventicula Arianorum, ubi præſidebat comes, ſpiculator apparebat, cædes vel exilia Epiſcopis

(a) *Lib. 4. Inſtitut. cap. 7.*

pis, non fidei definitiones ſcribebantur: tum ubi Liberius lapſus eſt, ubi cecidit Magnus Oſius: quomodo poſt Ariminenſem Synodum Nicænæ fidei conclamata damnatio, totuſque ingemuit Orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt. Hæc, & alia pericula, quæ præſentia terrebant olim, nunc præterita voluptatem habent.

§. VIII.

QUÆ cum ita ſint, „ neutiquam probari poſſunt inquit eruditiſſimus Graveſonius (In præfat. Hiſt. Eccleſ. pag. n. 2. edit. Auguſtanæ 1726.) qui in literaria Palæſtra tot, tamque egregiis virorum doctorum Operibus abunde locupletata, adhuc barbariem mordicus retinere, ſiccis quæſtionibus indulgere, & in Antiquitatis totius ignoratione verſari volunt; digni profecto qui Tullianis verbis arguantur, veluti qui *perverſe poſt inventas fruges glande veſci perſeverant*. Sane negare haud poſſunt illi, qui abſtractis quæſtionibus velut deliciis unice delectantur, Theologum, ut ſuis omnibus numeris abſolutus ſit, præſidiis inſtructum eſſe oportere, hiſque armis uti debere, quibus Eccleſiæ inſervire, & fidei hoſtes retundere, ac vincere poſſit. Jam vero hæc arma, hæc præſidia potiſſimum petenda ſunt ex SS. Scripturis, ex Divinis, Apoſtoliciſque Traditionibus, quæ Summorum Pontificum Decretis, SS. Patrum Operibus, Conciliorum, Hiſtoriæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ monumentis continentur. Quo pacto autem ejuſmodi arma tractare, eorumque vim penitus introſpicere poterit Theologus, qui Antiquitatem cum ſacram, tum Eccleſiaſticam ne primoribus quidem labris prægustaverit? Notent hoc ſibi Graveſonii dictum eruditionis oſores.

Dices: Diſcipulis Hiſtoriæ incumbere haud poſſibile eſt, utpote alias Theologia ſat occupatis. Dein nec tradi omnia iis poterunt, cum Hiſtoria Eccleſiaſtica diffuſa nimium ſit. Præſtat ergo Theologiæ ſpeculativæ omni niſu incumbere, quam Hiſtoriam obiter dumtaxat attingere, & velut canes e Nilo.

R. Certe diſcipulis quibuſcunque, niſi trunci ſint, & ſti-

& ſtipites, aut in Stoicorum palæſtra educati, ſpeculationum aſperitas eruditionis amœnitate temperabitur: ut ſileam, quantam iiſdem utilitatem eruditio illa ſit allatura. Quod additur, reſponſione dignum non eſt. Diſcipuli omnia exhaurire non poſſunt, ergo nihil omnino ipſi propinandorum eſt. Quæ ſequela? Non uno momento fabri, nec uno docti ſimus. Quam difficulter ea diſcunt viri, quorum in juvenili ætate notitiam nullam, aut forte nec nomen perceperunt. Diſcenda igitur diſcipulis ſunt generalia ſaltem Hiſtoriæ ſacræ principia, tradenda iiſdem Synopſis Conciliorum generalium: præcipuæ Hæreſes exponendæ cum circumſtantiis nobilioribus Perſonarum, temporum, locorum, Pontificum, &c. ſic, ut credo, Theologiæ ſpeculativæ tractatio & utilis erit, & jucunda.

§. IX.

Quem hæc rationum momenta non convincunt, legat is P. Joannis Mabillonii Benedictini, quem ſacræ Antiquitatis bono natum doctiſſimi quippe profitentur, librum vere aureum *de Monaſticis ſtudiis*, *qui*: ut Graveſon loc. cit. ait, *ſanioris Theologiæ Magiſtris, & cultoribus regiam plane viam ſternit, cui maxima cum Theologi nominis commendatione utiliter inſiſtant*.

Stet ergo, quod demonſtrandum erat, eam eſſe veram, perfectamque Theologiam, quæ utraſque Juris, & Facti quæſtiones ſapienter complectatur. Qui enim ſpeculationibus intentus, Quæſtiones Facti, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica petitas, omnino prætermiſerit, Theologiam is quidem dabit ſolidam, & nervoſam, ſed ſine ſucco, & ſanguine, nimis quoque frigidam, nimis duram, & aridam; qui vero ſolam Hiſtoriam omiſſis quæſtionibus Juris tractaverit, Theologiam is tradet ſuccoſam quidem, ſed ſine oſſibus, & nervis, nec bene cohærentem. Sed qui utraſque & Juris, & Facti Quæſtiones feliciter ſociarit, ſolidam ille, nervoſam, bene habentem, ſucci plenam, jucundam, venuſtamque Theologiam repræſentabit.

§. X.

§. X.

HÆC ſufficiant de præſtantia eruditionis, ad cujus amorem, ſtudiumque Neo-Theologos amice exhortor; unum ſupereſt, ut rationem, ſcopumque Opuſculi paucis declarem. Continet id *Hiſtoriam Pœnitentiæ Publicæ*, quam ſi Lectoribus meis non utilem, non tamen injucundam fore confido. Ex ea innoteſcet,

I. Eccleſiam ſevere admodum in peccatores olim animadvertiſſe; eandem tamen, ut piam Matrem, in ſinum ſuum vere pœnitentes denuo recepiſſe.

II. Intolerabile jugum id non fuiſſe, cum plurimi in primis ſponte ſua eas pœnitentias libenti animo in ſe ſuſciperent; tum etiam, quia pœnitentia publica publicis tantum, & ſcandaloſis peccatoribus, eaque non quibuslibet, ſed trium dumtaxat criminum reis (a) dictata fuit.

III. Hanc pœnitentiam in deſuetudinem demum veniſſe, introducta in Eccleſiam ſæculo circiter nono pœnitentiarum commutatione, de qua legendum eſt cap. 9.

IV. Aperte ex diſciplina illorum temporum, quo Pœnitentia publica viguit, nec non ex doctrina SS. PP. qui tum floruerunt, cognoſcetur, quid ſentiendum ſit de Confeſſione ſecreta, ſeu, ut vocant, auriculari, an videlicet in antiqua Eccleſia viguerit, an vero per tyrannidem Antichriſti Romani: quemadmodum inurbane Novatores quidam loquuntur, invecta in Eccleſiam fuerit.

V. Confeſſariis ex hac Hiſtoria ea erit utilitas, ut nimirum illis pœnitentibus, qui ob injunctas pœnitentias paullo ſeveriores nimium ſe oneratos exiſtimant, diſciplinam antiquæ Eccleſiæ ob oculos ponant: quod & utiliter fiet a Parochis, ſi id ipſum in Concionibus aut Catecheſibus crebro inculcare ſtuduerint. Sed de his plura inferius.

Quod attinet Concilia, Patres item, & Auctores a

(a) *Vide infra cap. 4.*

me laudatos, me eoſdem ſedulo volviſſe moneo; dulcius enim, & prius ex ipſo fonte potari aqua ſatis compertum eſt. Inde factum, ut ubi operæ pretium fore arbitrabar, editionis locus, & annus additus a me fuerit. Certum ſi qui errores, lapſuſque in hoc deprehendentur Opuſculo, ut eoſdem imbecillitati meæ, & humanæ infirmitati Lector imputet, & benevole excuſet, ut in ſimili cauſſa etiam ſibi fieri peroptaret, humaniter rogo: Homo enim ſum, humani a me nihil alienum puto. Ceterum non pro doctis, ſed tyronibus dumtaxat, hæc Hiſtoria compilata fuit: & hæc ſunt, de quibus benignum Lectorem in ipſo limine monere inſtitui.

N O T A.

Numero II. 1.) Martinus Lutherus natus eſt Islebii, ditionis Mansfeldicæ in Saxoniæ oppido, Anno 1483. 10. Novemb. Patre Joanne Luder, (*a*) Matre Margaretha Lindenmannin. Ætatis anno decimo quarto, Chriſti 1497. litteris operam dedit Magdeburgi, & anno inſequente Iſenaci; utroque in loco panem oſtiatim mendicando, & cantando obtinuit. Erfordiæ in Thuringia Philoſophiam abſolvit, ibique Anno 1505. fulminis ictu non procul ab ipſo vibrati terrefactus, apud PP. Eremitas Ordinis S. P. Auguſtini habitum Religioſum induit. Anno 1508. Wittenbergæ (*b*) Philoſophiam, & altero mox anno S. Scripturam expoſuit; ibidemque anno 1512. IV. Octobris creatus Licentiatus, & 19. Octob. ejuſdem anni Promotore Andrea Bodenſtein, ſeu ut vulgo dicebatur, Carolſtadio, Theologiæ Doctor inauguratur. (*c*) Anno 1517. contra Indulgentias inſolenti dicendi genere al-

(a) *Ita hoc nomine: Luder, exprimit Matheſius, Luthero coævus ejuſque ſectator, in Concionibus ſuis, Norimbergæ impreſſis, A. 1566. p. 1.*

(b) *Academia VVittembergenſis fundata eſt abs Friderico III. Saxoniæ Electore A. 1503.*

(c) *Hiſtoriam inaugurationis ita refert Albert. Fabricius,*

altum intonuit, hortatore Staupizio, Ordinis Auguſtiniani per Germaniam Vicario Generali. Staupizius tamen in ſe reverſus, poſt ſeveriſſimam peractam pœnitentiam in Monaſterio S. Petri PP. Benedictinorum Salisburgi, in Abbatem ejuſdem Aſceterii electus fuit; ibique in profeſſione Catholicæ fidei pientiſſime obiit Anno 1527. Lutherus in contumacia perſeveravit; quare quadraginta quinque Propoſitiones tum impias, tum hæreticas, ex ejus libris decerptas, damnavit Leo X. Pont. Max. ann. 1520. per Bullam EXURGE DOMINE, intentato ſimul anathemate, ni ſexaginta intra dies eaſdem retractaret. Sed quod remedium eſſe debebat, oleum fuit flammæ additum: tum enim Lutherus ira effervescens, Bullam hanc, ipſumque Jus Canonicum publice flammis tradidit 10. Decemb. anni prædicti.

Sub hæc in Comitiis Imperii, Wormatiæ habitis, tamquam rebellis, & contumax Hæreticus die 8. Maji Anno 1521. Banno Imperiali ſubjectus fuit, Imperii terras intra 21. dierum ſpatium purgare juſſus. Sed is transveſtitus ſub nomine *Funckes Georg.* in arce munitiſſima, quam *VVariburgum* nominant, ipſe vero Pathmum vocitabat, ultra novem Menſes ſecurus delituit,

---

cius, Præco Lutheranus Hamburgi Centifolii Lutherani *p.* 38. 18. *Octob. ... R. P. F. Martin. LUDER. Ord. FF. Eremit. S. Auguſt. SS. Theologiæ Licentiat. hora prima pomeridiana ſecundum formam ſtatutorum a Magiſtro noſtro exim. D. Archi-Diacono Or. S. Andrea Bodenſtein ex Carloſtadio veſperatus eſt .... Sequenti die ad pulſum majoris campanæ congregatio .. Patribus, & Hoſpitibus: idem Pater a Præfato Magiſt. noſtro Andrea doctoralibus inſignis in S. Theologia ſecundum formam Statutorum eſt inſignitus. De ſuo Doctoratu hæc habet Lutherus:* Ergo Doctor Martinus præter alios adhuc vivo, qui in Scholas Papæ, & ASINORUM STABULO educatus, factus fui D. Theologiæ. *Tom. 7. VVittenb. Germ. fol.* 607. *edit.* 1554. *Ex his patet, qualis D. Lutherus fuerit.*

tuit, varias libellis, qui in rem ſuam facere idem videbantur, ibidem exaratis. Anno 1525. 27. Junii ſacrilegas nuptias cum (*a*) Catharina de Bore, Moniale ex Nimptſch, publice celebravit, ſtupente ad inſolitum hoc facinus Orbe Catholico, ſuiſque fautoribus ipſis necquidquam monentibus, ut NON HANC, ſed ALIAM acciperet, ut fatetur Lutherus ipſe (in Colloq. Menſ. Isleb. Germ. fol. 432. edit. Ann. 1566.) Inter hæc libros conſcripſit ſpurcitiis, blaſphemiis in Deum, & Sanctos, contumeliis in Principes, abſoniſque dictis refertiſſimos. Nemo mihi credat, ſed legat quivis, cui placet, Lutheri libros, qui Jenæ, Francofurti, Islebii, alibique ex Officinis Proteſtantium in lucem vulgati ſunt, & eorum, quæ dixi, veritatem deprehendet: in horum defectu legendi Cochlæus, Nas, Piſtorius, Vetterus, Weislingerus, alii. Scenam denique vitæ Lutherus finiit Anno 1546. 18. Febr. hora tertia matutina, annos natus ſexaginta tres. Teſtamenti loco ſuis reliquit (*b*) ODIUM IN PAPAM. Cadaver ejus ſplendida pompa ſepultum (*c*) eſt Wittembergæ in templo Omnium Sanctorum 22. Feb. quod templum Lutherus vocitare ſolebat *domum omnium diabolorum*. (Tom. III. Jen. Germ. f. 339. 340. edit. Anno 1556.) Ex his concludet Lector eruditus, quo in loco ſecundum verba ſua Germaniæ Propheta ſepultus jaceat.

CA-

(*a*) *Ea a Luthero ſæpe vocabatur: MEUS DOMINUS KETHA. Vide epiſt. Lutheri 214. 219. &c.*

(b) *Matheſ. loc. cit. p. 130. b.*

(c) *De ſepulchro Chriſti, quod glorioſum fore prædictum eſt Iſaiæ Cap. XI. hæc habet impius Lutherus:* Sepulcrum, *inquit* in quo Chriſtus jacuit, & quod Saraceni poſſident, Deus non magis curat, quam omnes Vaccas Helveticas. *Tom. 2. Jen. Germ. fol. 46. edit. A. 1555.*

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit publica Pœnitentia, deque ejus Origine.

§. I.

(a) Quamdiu in Eccleſia ſanguis Chriſti recens fervebat, neque adeo populus Chriſtianus erat prolatatus, multa Chriſtianis Eccleſia indicebat, quæ deinde multitudine crebeſcente, eodemque ſanguine tepefacto ceſſaverunt, inter quæ fuit publica, & ſolemnis pœnitentia. In eos namque, qui poſt ſuſceptum Baptiſma in aliquod grave, & publicum delictum erant prolapſi, ſevera diſciplina animadvertebat eadem pia alioquin Mater Eccleſia, illos in ordinem pœnitentium redigebat, diutinis in pane, & aqua jejuniis, orationum frequentia, crebris vigiliis, aliiſque id genus aſperitatibus exercebat. Nuptia, convivia, balnea, & hominum congreſſus ipſis vetabat, neque ipſis arma deferre, aut militare permittebat, nec eis pacem, aut reconciliationem indulgebat, donec quatuor celebres illa ſtationes, de quibus infra, fuiſſent emenſi.

Tyrannidis non ſemel, & inclementiæ Romanam Eccleſiam Novatores inſimulant, quæ populo Chriſtiano, in libertatem a Filio DEI aſſerto, onera gravia, & importabilia alliget; Confeſſionem auricularem, carnificinam illam terribiliſſimam præcipiat, præſcripris diebus a quibuſdam cibis abſtinere jubeat, & ſexcenta alia, quibus ipſi per Beatum, ut ajunt, Reformationis Grande Opus liberati penitus fuerint, Triuni DEO immortales gratias eapropter ſe debere confitentes.

Quod ſi relaxata veteris diſciplinæ auſteritate in mitem hanc, modernam videlicet, gubernandi rationem mordaci lingua invehuntur, quid dicturi eſſent, ſi vetus ille rigor delicato hoc ævo adhucdum vigeret?

(a) *Dom. Soto in 4. Sent. diſt.* 19. *Q.* 2. *Art.* 5. *p.* 534. *edit. Lovan.* 1573.

ret? Ridiculi profecto homines; ex iis enim ſagaciores quique primis ſaltem, duobus nempe, aut tribus, quatuor alii, vel quinque ſæculis Eccleſiam illibatam permanſiſſe profitentur, recteque circa fidem, & morum diſciplinam ſenſiſſe: proinde ad ſubruenda Fidei noſtræ dogmata pluriumConciliorum canones laudant, textus e SS. Patribus adverſum nos depromunt: ſin autem ex iis Patribus, aut ex iiſdem Conciliis, quibus uſi ſunt ipſi, aperte, & ut dici ſolet, ad oculum Fidem noſtram demonſtremus, & quantum illi ab antiquis ſemitis procul aberrent, palam faciamus, illico Concilia errare potuiſſe, SanctoſquePatres homines fuiſſe lapſui obnoxios, inclamant, contendentes, credendorum regulam e ſolo DEI ſcripto verbo deſumendam eſſe.

Solemne id fuit omnium temporum Novatoribus, ſua figmenta e Scripturis deprompta eſſe aſſerere, nec ulla unquam tam abſona fuit Hæreſis, quæ non ſibi de armis e DEI verbo peritis proſpexerit: ſed & hoc noſtro ſæculo, quo tot Sectæ vigent, novæque identidem producuntur, omnibus diverſiſſima ſentientibus, eadem credendorum norma eſt (ut quidem opinantur) Verbum DEI ſcriptum.

Ad convincendos ergo alios Sectarios nequaquam Novatoribus ſufficere poteſt Verbum DEI ſcriptum, ſed quæ veteris Eccleſiæ fides, quis Conciliorum, Patrumque ſenſus fuerit, ſolerter inveſtigandum. Proinde dum ii veteris Eccleſiæ auctoritate aut nos Catholicos redarguere, aut Sectarios ſibi contrarios convincere volunt Novatores, victas oportet ipſi dent manus, ſi fidem, quam nos Catholici modo profitemur, & antiquitus jam apud veteres obtinuiſſe probaverimus. *Quod quis enim in alterum ſtatuit, eodem jure & ipſe utatur.*

Hæc præmonuiſſe oportuit, antequam ipſam Hiſtoriam publicæ Pœnitentiæ aggrederemur. Ex ea ſiquidem non obſcure colligere licebit, occultam, ſeu, ut vocant, auricularem confeſſionem jam tum in uſu fuiſſe, & non primum in 1. Concilio Generali Lateranenſi IV. Anno 1215. celebrato ab Innocentio III. in-

invectam in Eccleſiam fuiſſe, ut Sectarii falſo deblaterant. Quamquam is minime ſcopus præfixus mihi ſit, ut in Sectarios animadvertam; ubi tamen ſe occaſio incidenter obtulerit, Fidem avitam ab eorundem calumniis vindicandi, eam minime prætermittam. Hiſtoriæ filum jam proſequimur.

II. Pœnitentiæ publicæ nomine ea intelligitur, *quæ agitur in conſpectu populi, & in Eccleſiæ conventu*, pro qualicunque crimine agenda ſit, quod minime ſpectat ad publicæ Pœnitentiæ naturam, ſed ad cauſſam, judiciique rationem. Utrum autem ea tantum *publica* pœnitentia dicenda ſit, quæ pro delictis *publicis* olim imponebatur, ut (*a*) Sirmondus autumat, ea vero, quæ pro occultis criminibus peragebatur, publica nominari non poſſit, res eſt parvi momenti, ac fere de nomine. Inferius enim docebimus, quoſdam, etſi occultiſſimos peccatores, aut ſponte, aut ſuadente Confeſſario ſe ſe palam canonicis ſanctionibus ſubjeciſſe, atque in conſpectu populi pœnitentiam egiſſe; quod nos dicimus eſſe agere pœnitentiam *publicam*: quamquam fatendum ſit, publicam pœnitentiam *primario & per ſe ad diluenda peccata publica* olim *injunctam fuiſſe*, & ob id præcipue publicam nominatam; pro occultis vero delictis per ſe non impoſiſitam, immo Epiſcopis prohibitum fuiſſe, eam pro illis dictare: licet ergo quidam ſua ſponte eandem ſuſceperint, pro iis tamen ſancita non fuit, ſed pro publicis dumtaxat peccatoribus. Et hac ratione utramque ſententiam conciliari poſſe opinamur.

§. III. Pœnitentiam publicam Apoſtolicis temporibus, & proxime ſubſecutis obtinuiſſe pro certo tenendum eſt. Æquum enim, & rationi conſentaneum eſt, ut is, qui publice delinquendo alios provocavit ad culpam, eoſdem vitæ emendatione revocet ad morum probitatem. Sic (*b*) legimus I. Eccleſiæ ſæculo, Apoſtolum Paulum Corinthum quemdam inceſtuoſum, & publice infamatum, pœnitentiæ publicæ addixiſſe. De ſæculis pro-

(a) *Tom. V. col.* 484. *edit. novæ*.
(b) 3. *Cor.* 5.

proxime ſubſequentibus qui dubitat, legere poterit Irenæum, Tertullianum, & Cyprianum, in quibus plura publicæ pœnitentiæ exempla occurrent. Et vero ſatisfactioni publicæ nullum certum tempus præfixum tum erat, ſed prudentia, & conſilio presbyterorum non certis præſcriptionibus canonum pœnitentia injuncta fuit. Quod demonſtrant Auctores ex facto S. Apoſtoli Pauli, qui Corinthium illum inceſtuoſum anno pœnitentiæ necdum expleto reſtituit: itemque (*a*) S. Apoſtoli Jo: qui juvenem a ſe primo inſtitutum, tum coryphæum latronum effectum, ad pœnitentiam adduxit, brevique temporis intervallo Eccleſiæ reconciliavit. Vide ſis Euſebium Hiſt. Eccl. L. 5. cap. ult. ubi aliud exemplum celeris reſtitutionis recenſet.

Quanquam vero initio *naſcentis Eccleſiæ* mitior erat pœnitentium diſciplina, occaſione tamen (2) Montaniſtarum, qui circa annum Æræ Vulgaris 157. Eccleſiam vexare cœperunt, uſque ad hæreſim Novatianam, (3) ſæculo tertio graſſantem, paullo ſeverius cum pœnitentibus agere tunc cœpit Eccleſia. Id aperte inſinuat S. Cyprianus toto fere Tractatu *de lapſis*; Hi enim cum pœnarum metu fidem negaſſent, thuſque Idolis obtuliſſent, nulla, vel leviſſima dumtaxat peracta pœnitentia, contendebant ſibi reſtitui debere pacem, & communionem Eccleſiæ propter *libellos*, ſeu commendatitias Martyrum litteras, quibus muniti erant. Cum his ergo, ut dicebam, paullo ſeverius egit Eccleſia, ne videlicet Montaniſtis, ac Novatianis occaſionem daret, incuſandi ut illi ſolebant, nimiam Catholicorum in concedenda lapſis venia indulgentiam, & facilitatem, nec non ad continendos Catholicos, ne furente Deciana perſecutione prætextu facilioris indulgentiæ fidem desererent.

§. IV. Diſtinctio tamen hic obſervanda eſt inter lapſos. (b) Quidam dicti ſunt *libellatici*, alii vero *ſacriſi-*

(a) *Euſeb. L. 3. c. 25.*

(b) *Operum D. Cypriani T. 1. Edit. Antverp.* 1541. *pag.* 172. *NB. In hac veteri editione Opera D. Cypriani aliter diſpoſita ſunt, quam in nova.*

trificati, vel *Thurificati*. *Libellatici* ii fuerunt, qui conſenſerant, ut ſacrificaſſe dicerentur, ut ſe nimirum, ſuaque a perſecutionis furore ſubtraherent, atque ita etiam *libellis* ſe ſacrificaturos profitebantur. *Sacrificati* vero erant, qui ad ſacrificium nefandum acceſſerant. *Libellaticis* dandam eſſe pacem aſſerit S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum; *ſacrificatis* vero interim pœnitentiam, & in exitu reconciliationem quoque donandam ibidem affirmat. Idem decrevit Concilium Africanum, ut conſtat ex (*a*) Epiſt. 54. S. Cypriani. „ Statueramus, inquiunt Patres .... participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſariis, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. (*b*)

Ajunt vero: *ſtatueramus*; quoniam excitata iterum perſecutione ſtatim lapſi omnibus pacem dare ſatius exiſtimarunt, ut ad prælium, quod imminebat, inſtruerentur, & armarentur, ut legitur in præcitata epiſt. 54. Ex quibus omnibus liquet, 1. Severius tum Eccleſiam egiſſe cum pœnitentibus. 2. Nullum certum tempus peragendæ pœnitentiæ fuiſſe præſcriptum. 3. In articulo mortis etiam Idololatris pœnitentibus reconciliationem denegatam non fuiſſe.

§. V. Hujus autem indulgentiæ gratia, & quod non tranſacto primum plurium annorum curriculo (ut factum eſt poſtea) pœnitentes, mœchi præcipue, ad reconciliationem admitterentur, Tertullianus (4) ad Montaniſtas defecit. Cum enim Zephyrinus Papa decretum promulgaſſet, ut *pœnitentia functis* dimitterentur etiam mœchiæ, & fornicationis delicta, Tertullianus de Pudicitia cap. 1. vellicans Zephyrini decretum, Audio, (*c*) inquit, edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium; Pontifex ſcil. Maximum, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum, edicit: Ego & Mœchiæ, & fornica-

(a) *In edit. Antverp. T. 1. de anno 1541. eſt 11.*
(b) *Cit. edit. pag. 5.*
(c) *Edit. Rothomag. anni 1662. pag. 999.*

nicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit: Bonum factum! „ Hi ergo, quibus Tertullianus adhæſerat, negabant reconciliationem concedendam eſſe fornicarii.

§. VI. S. vero (5) Cyprianus pœnitentia functis, etiam mœchis dandam eſſe pacem, probat epiſt. citata 52. ad Antonianum, ubi inter cetera ſic habet: (a) Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam. Ait deinde, a ſe etiam *mœchis* concedi *pœnitentiam*, & *pacem*. Recte autem Cyprianum egiſſe, probat ipſe ex pluribus Scripturæ divinæ teſtimoniis Deum videl. indulgentiam ſingulis pœnitentibus polliceri; (b) debere Epiſcopos Dei pietatem imitari: & idcirco a ſe iis tantum denegari ſpem communicationis & pacis, qui pœnitentiam non agunt, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde teſtantur, & quos ad veniam rogandam non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit. De his enim ſuſpicari Cyprianus poterat, eos ita affectos eſſe, ut niſi mori deberent, vitam in melius non emendarent, quæ pœnitentia falſa eſt, & hypocritica; atque de iſtis Cyprianum debere intelligi, ſatis convincimus ex eo, quod ſerio pœnitentibus veniam ipſe non denegaverit, ut ſatis hactenus demonſtratum a nobis eſt.

Non ergo audiendi ſunt ii, qui Cyprianum priſtinam Eccleſiæ diſciplinam violaſſe dicunt, dum lapſis, & pœnitentibus veniam, pacemque dedit. Apoſtolorum enim ætate nulli pœnitentium pax negabatur: deinde, quando Cyprianus reconciliationem conceſſit fornicariis, fecit id, quod ſtatuerat Zephyrinus, & quod a multis in Africa Anteceſſorum ſuorum ætate ſervabatur. Alias quoque ex Irenæo, Clemente Alexandrino, ex libro Paſtoris, aliiſque Martenius atque Tournelius exempla proferunt conceſſæ pœnitentibus indulgentiæ. Non ergo univerſim verum eſt,

(a) *Edit. Anvverp. Tom.* 1. *pag.* 176.
(b) *Edit. Antverp. Tom.* 1. *pag.* 178.

eſt, quod (*a*) Sirmondus aſſerit, *trium criminum veniam olim* pœnitentibus *negatam*. Tria autem illa crimina fuere Idololatria, adulterium, & homicidium, de quibus infra dicturi ſumus.

N O T Æ.

Numero I. 1.) Concilium Lateranenſe IV. celebratum eſt Sæculo XIII. anno 1215. Romæ in Baſilica Lateranenſi. Ei præfuit Innocentius III. Pont. Max. interfueruntque duodecim ſupra quadringentos Epiſcopi; Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus: ceteri duo, Antiochenus videlicet, & Alexandrinus ſuos Legatos miſerant. Primates, & Metropolitani erant ſeptuaginta ſeptem, Abbates, & Priores ultra octingentos, abſentium Prælatorum, & Capitulorum Procuratores innumeri; adſuerunt etiam (ut teſtatur Urſpergenſis hujus temporis Scriptor) Imperatoris Conſtantinopolitani, qui Latinus tum erat, & Imperatoris Occidentis, Regumque Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Aragoniæ, Siciliæ, Cypri, aliorumque Principum, Magnatum, & civitatum Legati. Convocatum id eſt ad recuperandam Terram Sanctam, corrigendos exceſſus, & reformandos mores, ad eliminandas hæreſes, roborandam fidem, ſopiendas diſcordias &c. veluti habetur in Bulla indictionis anno 1213. XIII. Calendas Maii emanata.

Canones ab iſto Concilio (non vero abs ſolo Innocentio III. ut perperam ſentit Elias Dupinus, Doctor Pariſienſis, in libro *de antiqua Eccleſiæ Diſciplina* Diſſert. 7. §. 4.) editi ſunt ſexaginta; ex quibus octavus decimus inter alia jubet, ut ſemel ſaltem in anno Confeſſionem quilibet fidelis, dum ad annos diſcretionis pervenerit, ſuo proprio Sacerdoti faciat. Ex hoc Canone Sectarii inferunt, Confeſſionem peccatorum Sacerdoti faciendam, primitus in hoc Concilio ſtatutam fuiſſe. Sed cum illis rem habebimus capit. 4. in Notis.

Numero III. 2.) Montaniſtæ, a Montano, Phryge natio-

(a) *Tom. col.* 479. *& ſeq.*

tione, in vico quodam, cui Ardaba nomen; orto, dicti ſunt, a quo etiam Cataphryges, ſeu Cataphrygii appellati, eo quod eorum dux, Montanus videlicet, e Phrygia oriundus eſſet. Errores Montaniſtarum fuere ſequentes: 1. Mortuos baptizabant. 2. primas nuptias admiſerunt, ſecundas damnarunt. 3. Pœnitentiæ virtutem ſuſtulerunt, dicentes, eos, qui ſemel lapſi ſunt, nunquam poſtea conſequi poſſe remiſſionem, quantumlibet pœniteant. Hinc eorum invectivæ, & calumniæ in Catholicos, qui lapſos ad pœnitentiam, & pacem recipiebant. 4. Docuerunt, Prophetas fuiſſe arreptitios, non intelligentes ea, de quibus loquebantur, aut affirmabant. Plura de Montaniſtis vide apud Euſebium L. V. c. 15. & 18. & apud Nicephorum L. IV. cap. 23. Montaniſtæ etiam dicti ſunt Montani. Prateolus de Vitis Hæreticor. p. 335. edit. Colonienſ. Anno 1569.

Numero eodem 3.) Novatiani a Novato Romanæ Eccleſiæ Presbytero ſunt nuncupati. Exorti ſunt Galli, & Voluſiani Imp. & Cornelii Papæ temporibus, circa annum Domini 855. Alio nomine Cathari, i. e. mundi, ſunt dicti, ob eam, qua ſe ſuperbiſſime efferebant, munditiem, atque puritatem. Hi in peccatum prolapſis, & ſincere etiam pœnitentibus, divinæ pietatis, & lenitatis Paternæ ſolatia, & ſubſidia claudebant. Nullam ergo Novatus ſalutis ſpem reliquam docebat eis, qui perſecutionum temporibus lapſi eſſent, quamvis omnia, quæ ad legitimam, & veram pertinent converſionem, & confeſſionem perfeciſſent. In pluribus Conciliis Novati dogma damnatum eſt. Leguntur plura de eo apud Cyprianum in epiſt. contra Novat. Nicephorum L. VI. c. 3. qui Novatum graphice depingit. Vide etiam Prateolum loco cit. p. 355.

Numero V. 4.) Quintus Septimus Florens Tertullianus, initio Catholicus ardentiſſimi Zeli, deinceps in Montani hæreſim prolapſus contra Eccleſiam non pauca ſcripſit. Audiamus D. Hieronymum, in Catalogo Scriptor. Eccleſiaſt. ita de eo differentem (Tom. IV. edit. Pariſ. 1706. Parte 2. p. 115.) „ Tertullianus, inquit, Presbyter ... Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginenſis, Patre centurione Proconſulari. Hic acris, & vehementis

tis ingenii, ſub Severo Principe, & Antonino Caracalla maxime floruit, multaque ſcripſit volumina, quæ quia nota ſunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ eſt, ſenem, qui ſe B. Cypriani jam grandis ætatis notarium, Romæ vidiſſe diceret; referreque ſibi ſolitum, nunquam Cyprianum abſque Tertulliani lectione unam diem præteriiſſe, ac ſibi crebro dicere: Da Magiſtrum; Tertullianum videlicet ſignificans. Hic uſque ad mediam ætatem Presbyter Eccleſiæ permanſit; invidia poſtea, & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ, ad Montani dogma delapſus in multis libris novæ Prophetiæ meminit, ſpecialiter autem adverſum Eccleſiam texuit volumina: de pudicitia, de Perſecutione, de jejuniis, de monogamia, de Exſtaſi ſex, & ſeptimum, quem adverſum Apollonium compoſuit. Ferturque vixiſſe uſque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non exſtant, opuſcula condidiſſe. Hæc de eo Hieronymus. Plura qui velit, ejus legat Vitam editam a Jacobo Pamelio, Archidiacono Audomaropolitano, quæ præfixa eſt Tertulliani Operibus vulgatis ab eodem Pamelio cum Argumentis, & Annotationibus. In edit. Rothomagenſi anni 1662. qua utor, vita habetur pag. 21. & ſeq.

Numero VI. 5.) „ Cyprianus Afer, inquit S. Hieronymus loc. cit. pag. 119. primum glorioſe Rhetoricam docuit; exinde ſuadente Presbytero Cæcilio, a quo & cognomentum ſortitus eſt, Chriſtianus factus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogavit; ac poſt non multum temporis electus in Presbyterum, etiam Epiſcopus Carthaginenſis conſtitutus eſt. Hujus ingenii ſuperfluum eſt indicem texere, quum ſole clariora ſint ejus opera. Paſſus eſt ſub Valeriano, & Galieno Principibus, perſecutione octava, eodem die, quo Romæ Cornelius, ſed non eodem anno, „ Stylus certe elegans, clarus, & fluidus in Cypriani operibus reperitur, cum econtra Tertullianus non tam eloquens, & clarus eſſe videatur. Quæ genuina ſint D. Cypriani opera, vide apud Bellarminum *de Script. Eccleſiaſticis* edit. Colonienſ. 1613. p. 90. & ſeqq.

CA-

CAPUT II.

A quo, & quomodo pœnitentia publica olim impoſita fuerit.

VII. DOminicus Soto, Publicus apud Salmanticenſes Profeſſor egregius & Carolo V. Imperatori olim a Confeſſionibus, in quartum Santentiarum diſt. 19. q. 2. Art. 5. *edit. Lovan.* 1573. *p.* 534. triplex diſtinguit pœnitentiæ genus. *Una*, inquit loc. cit. ,, eſt publica & ſolemnis, alia vero publica ſine ſo-,, lemnitate, ſed alia privata, & ſecreta .... (*a*) De ,, privata, & ſecreta erant crebri canones pœnitentiales, ,, quibus Sacerdotes erant alligati ad injungendas pœniten-,, tias. Enim vero pro quocunque criminali vitio, ut ,, habetur C. Hoc ipſum. 33. q. 2. imponebantur ſeptem ,, anni pœnitentiæ, quæ erat per annorum hebdomada ,, exemplo (*b*) Davidis, qui pro homicidio, & adulte-,, rio 7. diebus jejunavit, & jacuit ſuper terram. Dixe-,, rim, pro qualicunque criminali vitio .... quale eſt ,, perjurium, homicidium, adulterium, & ſimilia, quia ,, non erat uſus tot annos imponere pro quocunque pecca-,, to mortali: quandoquidem multi erant Canones, in ,, quibus non imponebantur niſi 40. dies, & quandoque ,, tres quadrageſimæ ... in quibus (*canonibus*) enarran-,, dis nulla eſt utilitas, poſtquam non ſunt in uſu. (1)

De pœnitentia publica non ſolemni hæc habet Soto: (*c*) *Secundus*, *inquit*: ,, gradus pœnitentiæ ... erat ſine ,, ſolemnitate: nempe quando imponebantur peregrina-,, tiones: quæ etiam cum baculo cubitali fieri ſolebant, ,, & incluſiones in Monaſteria. Et iſtæ pœnitentiæ pote-,, rant a Presbytero imponi, & pœnitentes per ipſum re-,, conciliari. Sed non poterant imponi niſi pro delicto gra-,, vi, & publico, licet non eſſet ſcandaloſum, ſicut illud, ,, quod

(a) *Pagina* 535.
(b) 2. *Reg.* 12.
(c) *Pagina* 535. *col.* 1.

„ quod requirebatur ad pœnitentiam ſolemnem ... Ni-
„ ſi forſan ſua ſponte vellet, qui gravi ſe peccato
„ onuſtum ſentiebat, eandem pœnitentiam publicam
„ acceptare. Sed tunc ſic erat imponenda pœnitentia
„ publica, ut peccatum non proderetur. Nam poterat
„ homo peregrinari, & flagellis publice cædi, aut
„ pondera bajulare, licet non conſtaret, utrum pro
„ ſuis peccatis, an alienis, an vero ex devotione fa-
„ ceret, ſicut modo etiam fiunt „. Poſt pauca in-
terjecta ſic concludit: „ Sed neque, *inquit*, iſtæ pœ-
„ nitentiæ publicæ modo ſunt in uſu, niſi ſub aliquo
„ moderamine. Solent enim nonnunquam imponi pœ-
„ nitentiæ publicæ, dummodo perſona non ſe prodat,
„ ut in Cœna Domini laminam ferream humeris ba-
„ julet, aut publice vicatim vapulet. (2.) Sunt au-
„ tem pœnitentiæ, quæ rariſſime imponendæ ſunt, &
„ cum prudentia. Peregrinationes autem, quia ſecre-
„ tius fieri poſſunt, conſultius imponuntur.

Quæ obſervari ſolita olim fuerint in pœnitentia pu-
blica, Soto recenſet loc. cit. p. 534. col. 2. *Publica*,
inquit, *& ſolemnis* (Pœnitentia) *eſt illa, quæ deſcri-
bitur* Can. In capite diſtinct. L. *Cujus ſolemnitas ex
multis Cæremoniis conſtabat. In primis enim non poterat
illam imponere, niſi Epiſcopus, vel de ejus mandato;
ut inibi denotatur, & C.* Statuimus de maledicis. *Ne-
que vero poterant poſtea* pœnitentes, *niſi per Epiſco-
pum, aut ejus Vicarium reconciliari, ut* Can. Aurelius
26. q. 6. habetur.

Idem ſtatutum legimus in Synodo II. Carthaginenſi
Canone 3. qui ſic habet: (*a*) Ut *chriſmatis confectio
& puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant, vel re-
conciliare quemquam in publica Miſſa Presbytero non li-
ceat.* Synodi III. Carthaginenſis Canon trigeſimus pri-
mus præſcribit, „ (*b*) Ut pœnitentibus ſecundum
peccatorum differentiam, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ
tempora diſcernantur. „

Sæcul. IX. Reſtitutam re ipſa revocatamque in uſum

(a) *Concil. Regior. Tom. 3. fol.* 468.
(b) *Ibidem fol.* 490.

tunc fuiſſe publicam pœnitentiam, temporum illorum plures hiſtoriæ loquuntur. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus eo tempore vivens, capitula XII. vulgavit, in quorum primo Presbyteris Diœceſis ſuæ injungit, ut publicam pœnitentiam imponere non præſumant, ſed ſi a quoquam „ publicum homicidium, aut adulterium, „ ſive perjurium *vel quodcunque criminale peccatum pu-* „ *blice perpetratum fuerit*, *talis* (3) infra quindecim „ dies, *ſunt verba Hincmari*, ad noſtram præſentiam, „ ſi intra noſtram (*a*) parochiam fuerimus, veniat, „ & juxta traditionem Canonicam publicam pœniten- „ tiam cum manus impoſitione accipiat. *Poſt pauca* „ *ſic Hincmarus proſequitur*: Hoc tamen, *inquit*, om- „ nimodis ab omnibus caveatur, ut nemo pœnitens, „ & cum devotione petens, ultima pœnitentia, vel „ ultimo viatico defraudetur, ea convenientia, ut ſi „ convaluerit, ſecundum Eccleſiaſticas regulas pœniten- „ tiam agat, & reconciliationem, quatenus Deus ſibi con- „ ceſſerit, in ordine pœnitentium expetat, & expectet.

VIII. Ex dictis liquet, pœnitentiam ſolemnem ab Epiſcopo fuiſſe impoſitam, & relaxatam; ſupereſt, ut paucis deſcribamus, quomodo ſeu quibus ritibus ea pœnitentia injuncta fuerit. (*b*) Cum itaque Epiſcopali judicio aliquis publicam pœnitentiam accipiebat, conſperſus cinere caput, & cilicio coopertus ſiſtebat ſeſe ante Eccleſiæ Præſulem ſpectante Clero, populoque univerſo aſtante, quod communiter fiebat in capite jejunii, ſeu, ut nos vocamus, die cinerum. Cilicii autem nomine lugubris, & ſordidata veſtis intelligitur. Cilicio accedebat conſperſio cinerum, quibus capiti pœnitentium impoſitis, hi iiſdem verbis extra Eccleſiam ejiciebantur, quibus Adam e Paradiſo, videl. *In ſudore vultus tui &c.*

Hoc pœnitentiæ genus omnino abolevit ab uſu; de eo tamen hoc ſolum veſtigium relictum eſt in Eccleſia, quod in capite jejunii cinere capita conſpergimur, ut ait Hugo l. 2. de Sacrament. parte 9. c. 3.

NO-

(*a*) *Hoc eſt*: *Diœceſin*.

(*b*) *Vide* Can. In Capita diſtinct. 15.

N O T Æ.

Numero VIII. 1.) Soto dicit, in Canonibus pœnitentialibus enarrandis nullam nunc eſſe utilitatem, eo quod amplius in uſu non ſint: aliter tamen ſenſit Sanctiſſimus S. R. E. Card. Carolus Borromæus in ſua *Inſtructione*, ſeu *Monitis ad Confeſſarios*, quam Inſtructionem adictis ad calcem canonibus pœnitentialibus, nec non Sanctionibus Concil. Trident. de Sacramento Pœnitentiæ Eminentiſſimus Cardinalis Dominicus Paſſionei noviſſimis typis Tugii Anno 1726. in primis curavit, dum eo tempore Nuncii Apoſtolici ad Helvetios munere fungeretur. In citata ergo Inſtructione S. Carolus Confeſſarios ita alloquitur: „ (a) Confeſſarius canones pœnitentiales ad unguem ſciat oportet: nam quamvis illi poſſint, & debeant ſecundum prudentis, & morati Confeſſarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, perſonarum qualitas, diverſaque conditio, aliæque circumſtantiæ oſtendunt, utiliſſimum tamen eſt ſemper ipſos canones præ oculis habere, adque eos tamquam adamuſſim reſpicere, quantum conveniens erit: & quidem Confeſſarius, etſi pro modo antiquo canonum pœnitentiam non habet ſequi, tamen pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, ut ſic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviuſculam, quam ipſi dedit, alacrius exequatur: & interim hæc quoque perſpicietur utilitas, quæ proficiſcitur ex benignitate, quam hodie ſancta Mater Eccleſia cum pœnitentibus obſervat, quando diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigorem eis tantopere moderatur. „ Hucuſque verba Sapientiſſimi Cardinalis, cui in omnibus ſubſcribo, & addo, utinam Parochi ſæpius in concione, vel Catecheſi eoſdem Canones explanarent, & diſtincte traderent! Nam Confeſſariis plerumque tale otium non ſuppetit ob multitudinem pœnitentium.

(a) Pag. 63. edit. Tugienſ. 1726.

Numero eodem 2.) In Cœna Domini publice laminam ferream humeris bajulare, aut vicatim cædi apud nos non eſt in uſu: forſan eſt moris Hiſpanici; nam Soto, qui hæc ſcribit, Hiſpanus fuit, Patria Segobienſis.

Numero eodem 3.) Etſi omnino aſſerendum ſit, tempore Hincmari pœnitentiam publicam viguiſſe, tamen quo ad omnes veteres Cæremonias non videtur fuiſſe obſervatam; cum enim antiquitus in capite jejunii pœnitentia dictata fuerit, Hincmarus ad hoc non attendit, ſed decimo quinto die criminis canonici reum ad ſe adduci præcepit, cui tunc ſtatim pœnitentiam indixit.

C A P U T III.

De Gradibus Pænitentiæ.

IX. CElebres quatuor pœnitentium ſtationes primum graſſante Novatiana hæreſi, quam ſæculo III. emerſiſſe ſupra diximus, inſtitutas fuiſſe, conſtat ex ſilentio præcedentium Scriptorum, apud quos nullum de iis veſtigium reperitur. Earum vero meminit S. Gregorius Neo-Cæſareæ in Ponto Epiſcopus, cognomento Thaumaturgus, auditor Origenis, & qui interfuit Concilio Antiocheno contra Paulum Samoſatenum, (1.) Anno 264. celebrato; is in Epiſtola Canonica deſcribit quatuor pœnitentium gradus, *Fletum* nempe, *Audientiam*, *Subſtrationem*, & *Conſiſtentiam*. De ſingulis ſequentibus 4. Paragraphis pauca dicturi ſumus.

§. I.

Primus pænitentiæ gradus, Fletus.

X. Prima itaque pœnitentium ſtatio extra Eccleſiam; eaque ſtatio primus erat pœnitentiæ gradus. Eum deſcribit, quem laudavimus S. Gregorius Thaumaturgus,

gus, Canone XI. Epiſtolæ ſuæ Canonicæ; (*a*) *Fletus*, inquit, *eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur*. Hi ergo pœnitentes lugubri habitu induti, cilicio ac cinere ſordidati in hoc uno intenti erant, ut Fidelium ingredientium, & egredientium vota captarent, eorumque preces apud Eccleſiam pro ſe poſtularent. Tertullianus de Pœnitentia c. 9. ait, eos, qui peccarunt, „ (*b*) plerumque jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum, Presbyteris advolvi, & caris DEI adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere. „ Hoc loco videtur feciſſe mentionem primi pœnitentium gradus. Quidquid ſit, ejus aperte meminit D. Hieronymus *epiſt. 84.* ad Oceanum, in qua Fabiolam nobilem fœminam laudat, quod poſt lapſum ad Chriſtum converſa, ſanctiſſimam, vereque Chriſtianam egerit vitam. De pœnitentia Fabiolæ ſic habet. „ (*c*) Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi ſeparata concedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret. Deſcendit de ſolio deliciarum ſuarum, accepit molam, fecit farinam, & diſcalceatis pedibus tranſivit fluenta lacrymarum, ſedit ſuper carbones ignis. Hi ei fuere in adjutorium. Faciem, per quam ſecundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. „ Satis liquet, Fabiolam e numero pœnitentium fuiſſe: non enim ingreſſa eſt Eccleſiam, flevit, ornamenta fugiebat, gemmas, & linteamina videre non poterat. Id quod illi faciebant, qui primum pœnitentiæ gradum implere conabantur.

(*a*) *Edit. Pariſ. ann.* 1622. *p.* 41.
(*b*) *Edit. Rothomag.* 1662. *pag.* 169.
(*c*) *Tom.* 4. *part. II. pag.* 659. *edit. Pariſ.* 1706.

§. II.

Secundus pœnitentiæ gradus, Auditio.

XI. (*a*) *Auditio*, ait Canon laudatus S. Gregorii, *eſt intra portam in portitu .... ubi oportet eum*, *qui peccavit*, *ſtare uſque ad Catechumenos*, *& illinc egredi*. *Audiens enim Scripturas*, *& doctrinam ejiciatur*, *& precatione indignus cenſeatur*. Hoc igitur unum pœnitentibus in ſtatione audientium poſitis licitum erat, conciones ſcilicet ſacras, lectionem Scripturæ, Pſalmorumque cantus audire. Conſiſtebant autem pœnitentes eo in loco, quo (2) Catechumeni, qui una cum pœnitentibus monente Diacono apud offertorium exire tenebantur.

§. III.

Tertius pœnitentiæ gradus, Subſtratio.

XII. *Subſtratio* ſtatio erat, in qua pœnitentes ſubſtrati, & genuflexi, variis pœnitentiis, macerationibus carnis exercebantur, ac caſtigabantur. Tranſacto *audientiæ* tempore, quod Epiſcopi arbitrio pro conditione, & qualitate pœnitentis contrahi, aut prolongari poterat, ad hanc ſtationem pœnitentes tranſibant, quæ ſeveriſſima omnium fuit, unde, & abſolute *pœnitentia* apud Veteres vocabatur. Stabant autem illi intra templi ambitum, a portis Eccleſiæ uſque ad ambonem, hoc eſt, locum illum, ex quo Epiſtola, & Evangelium legebantur. Erat ambo locus ſuperior, quem modo dicimus *Pulpitum*, ſed ambabus ex partibus inſtructus gradibus, prout hodie Romæ conſpicitur in templo S. Laurentii extra muros, & quibuſdam aliis. Hoc etiam in loco pœnitentibus ab Epiſcopo, & Clericis manus imponebantur; poſt quem pœnitentiæ ritum

(2) *Loc. cit. pag.* 41.

ritum peractum catechumenis abeuntibus, ſubſtrati quoque e templo ante oblationem egrediebantur.

§. IV.

Quartus pœnitentiæ gradus, Conſiſtentia.

XIII. *Conſiſtentia eſt*, ait ſupra laudatus Gregorius loc. cit. *ut cum fidelibus conſiſtant* (pœnitentes) *neque cum Catechumenis egrediantur*. Quia igitur in quarta hac ſtatione pœnitentes cum aliis fidelibus Divinis, & ſacris myſteriis adſtabant, ideo gradus ille dicebatur *Conſiſtentia*. Etſi autem toti Sacrificio pœnitentes hi intereſſent, licitum tamen ipſis non erat ſacrificanda (3) offerre, nec de *oblatione*, *ſcil.* de Euchariſtia, ex oblatis muneribus conſecrata, participare; ipſorum quoque nomina ad altare non recitabantur.

Locus ipſis aſſignatus erat ab ambone uſque ad ſanctuarium: participes fiebant præcum, ſed non, uti mox dicebam, communionis ſacræ. Olim dum humilitas, & pœnitentiæ amor magis quam nunc, Chriſtianis cordi fuit, multi non raro libere ac ſponte in ea ſtatione verſabantur. Cum denique injunctam pœnitentiam impleſſent, diuque inter ambonem ac Presbyterium conſtitiſſent, ad ſacra myſteria accedebant.

N O T Æ.

Numero IX.) (*a*) Paulus Samoſatenus, natione Syrus, Epiſcopus Antiochenus, aſſeruit hæretice: Chriſtum non ſemper fuiſſe, nec ante Mariam Virginem extitiſſe, ac proinde non DEUM, ſed purum putumque hominem eſſe. Ab eo nomen ſortiti ſunt ei adhærentes, dictique *Paulianiſtæ*, ſeu *Pauliani*, quos relicta Hæreſi ad Eccleſiam revertentes iterum baptizari debere ſanxit Concilium Nicænum primum, eo quod in nomine Trinitatis minime baptizarent. Qua vero baptiſmi forma uſi fuerint, memoriæ proditum non

 eſt.

(*a*) *Vide Nicephor. L. 6. R. 27.*

eſt. Contra Paulum coactum eſt Concilium Antiochenum an. 264. Sed poſtquam in iſto Concilio palam pollicitus fuiſſet, ſe mutaturum ſententiam, deceptis per ſimulationem Firmiliano Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo, Concilii Præſide, aliiſque Epiſcopis, Paulus Samoſatenus indemnis evaſit. Verum datam fidem violans, altero in Concilio, Antiochiæ celebrato an. 265. ſeu, ut alii, 270. depoſitus eſt.

Numero XI. 1.) Catechumenorum olim tres erant claſſes. Prima eorum erat, qui ad audiendum verbum DEI admittebantur in eam Eccleſiæ partem, quam hodie *navim* appellamus, & in qua certum eſt, olim habitas fuiſſe conciones. Quare idem locus, in quo Catechumeni conſiſtebant, Κατη. γυμένων, id eſt, *Auditorum* dictus eſt, ipſique Catechumeni *Audientes*.

Expleto Catechumenatus, ſed Audientiæ tempore, quo durante in fide orthodoxa imbuebantur, dicti ſunt *Competentes*, iique ſecundam Claſſem conſtituebant. *Competens*, inquit Iſidorus, *vocatur, qui poſt inſtructionem fidei competit gratiam Chriſti* (ideſt, qui ad baptiſmi gratiam admitti poſtulat) *inde a petendo competens vocatur*. Hi Competentes omni conatu ſe præparabant ad gratiam regenerationis digne percipiendam. Eccleſia e contra omnem adhibebat diligentiam, ne indigni admitterentur, inſtituto eapropter ſuper mores competentium ſevero examine, quod appellabant *Scrutinium*. Septem vero ex Ordine Romano Scrutinia habebantur a tertia hebdomada quadrageſimæ uſque ad Sabbatum ſanctum, & ſi quis indignus inventus fuiſſet, rejectus eſt ad Claſſem *Audientium*.

Niſi prioribus ſcrutiniis *Competentes* inventi fuiſſent indigni, illis *Symbolum* tradebatur in die Palmarum (quæ idcirco *Paſcha Competentium* vocabatur) & dicebantur *Electi*, qui tertiam Catechumenorum claſſem conſtituunt. Reddebant Catechumeni Symbolum in Eccleſia Romana Sabbato ſancto paullo ante baptiſmum. Eſt autem *reddere Symbolum*, illud memoriter recitare, & Chriſtianam fidem ante ſuſceptionem baptiſmatis profiteri. Una cum Symbolo tradebatur Catechumenis *Oratio*

tio Dominica, quam tamen proximo primum Paſchali feſto reddebant.

Numero XIII. 3.) Vetus in Eccleſia Chriſtianorum mos fuit, ut qui ad Miſſas celebrandas conveniebant, Sacrum Epulum percepturi, ſuam unuſquiſque ſacrificii partem adferret. Innumera hujus rei exempla produci poſſent: ſufficiat nobis Canon IV. Concilii II. Matiſconenſis, in quo ſtatutum legimus; (*a*) „ ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus offeratur tam panis, quam vini; ut per has Immolationes, & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel ceteris juſte offerentibus promereantur eſſe conſortes. Hæc conſuetudo apud Leonices ex parte adhuc obſervatur. Sirmondus in *Diquiſitione de Azymo* Cap. 1. Teſtis oculatus hæc ſcribit: „ Vidimus, inquit, (*b*) aliquando ipſi, non injucundo ſpectaculo in Armoricis apud Leonices antiqui moris imaginem referentes Matronas aliquot: quæ die feſto communicaturæ cum in Dominicum veniſſent, adſtantique ad Altare celebraturo Sacerdoti ſuam ſingulæ oblatam, ſed puram, & azymam, vel domo allatam, vel e ſacrario petitam obtuliſſent; ubi peracta conſecratione ad communionem ventum eſt, ita omnes communicarunt, ut mutuas inter ſe hoſtias participarent, nec culpari ulla poſſet; ſi de alterius, ut Cyprianus loquitur, ſacrificio ſumeret, cum ſuam ipſa viciſſim alteri concederet. „

CAPUT V.

Ob quæ crimina impoſita olim fuerit publica Pœnitentia?

XIV. DE Gentibus noviter ad Chriſtum converſis hæc in Synodo Jeroſolymitana ſtatuerunt Apoſtoli: „ Viſum eſt, inquiunt, Spiritui S. & nobis;

(a) *Tom. XIII. Concil. Reg. fol.* 77. & 78.
(b) *Tom. V. pag.* 516.

bis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria. Ut abſtineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. *Act.* XV. *v.* 28. *&* 29. Quæ S. Cyprianus Lib. 3. ad Quirinum circa finem (edit. Autuerp. An. 1542. pag. 94. Tom. 2. Oper. D. Cypriani) ita reddit.: „ Viſum eſt ſancto Spiritui, & nobis nullam imponere ſarcinam, quam iſtam, quæ ex neceſſitate eſt, abſtinere vos ab Idololatriis, & ſanguinis effuſione (intellige: illicita) & fornicatione. „ *Hæc* nimirum, ut (*a*) Pacianus ait: *novi Teſtamenti tota concluſio*, Ideo hæc tria, idololatriam, homicidium, & fornicationem, tanquam capitalia vitia ſic omni cura vitabant fideles, ut in his offenderet nemo, aut qui offenderet, indignum illum Eccleſiæ ſocietate judicarent.

Neque hac ſolum animadverſione contenti erant, ſed trium illorum criminum, Idololatriæ videlicet, Homicidii, & Adulterii ſeu fornicationis publice convictum, publicæ pœnitentiæ ſubdebant. Res hæc apud omnes certa eſt, & explorata, nec a quoquam in dubium vocari poteſt, niſi eo ipſo in antiquitatis Diſciplina peregrinum ſeſe demonſtret. (*b*) Iis tamen ſupradictis tribus criminibus, quæ, quod publica pænitentia juxta Canones caſtigabantur, *canonica* apud Veteres dicta ſunt, ſucceſſu temporis nonnulla addita fuere, quæ publice expiari oportebat.

Vehementer autem ii falluntur, qui quævis peccata mortalia indiſcriminatim publice caſtigata fuiſſe opinantur. Nec enim Veteres Scriptores, qui ſæculo tertio floruerunt (quo maxime pœnitentia publica viguit) Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Thaumaturgus, alia peccata præter tria graviſſima, Idolotatriam, homicidium, & adulterium, eorumque ſpecies manifeſtas publicæ addicunt pœnitentiæ.

Sic maleficia, & divinationes, de quibus Illiberitana Synodus (1.) Canone 6. continentur ſub Idololatria, & juxta hunc canonem pœnitentiæ publicæ ſubjiciun-

(a) *Epiſt. I. ad Sympron.*
(b) *Vi de Tertull. L. de Pœnit. & Pudicitia.*

jiciuntur. Sic falſum teſtimonium, & occultorum criminum delatio Eliberino can. 73. & 74. homicidii mulctis expiabantur, &c.

XV. Infirmum, dices, argumentandi genus, eſt, ſi quod probandum eſt, ſolo Scriptorum ſilentio evincatur. Porro tum probandum eſſet, non omnia peccata mortiſera legi pœnitentiæ publicæ fuiſſe ſubjecta, id ex argumento negativo demonſtratum ſolummodo fuit.

Reſpondeo in primis, argumentum negativum ex ſilentio Scriptorum, & maxime ſynchronorum deductum, minime ſemper infirmum eſſe, ſed ſubinde robuſtiſſimum. Nec fortiori argumento fabulæ, & figmenta exploduntur, niſi demonſtratione, quod nullus Scriptorum coævorum, aut proxime ſubſequentium illa eo tempore actitata referat, quæ recentior quiſpiam finxit. Certe decantata illa Fabula Joannæ Papiſſæ hac præſertim ratione refellitur, quod Scriptores ſynchroni, aut proxime ſubſequentes, Græci præcipue, Romanæ Eccleſiæ tum infenſiſſimi, Joannæ illius fictitiæ mentionem nullam faciant, ſed primum a poſterioris ævi Scriptoribus, iiſque ex parte levidis intruſa fuerit. Cum ergo nullus ſæculi tertii Scriptor, quo tamen, ut mox dicebam, & ſuperius Cap. 1. monui, ſeveritas pœnitentiæ publicæ obſervata fuit vel maxime, aliorum peccatorum *canonicorum* mentionem faciat, præterquam eorum, quæ diximus, conſequens eſt, ut iis magis aſſentiamur, quam moroſis quiſdam & heri natis criticis.

R. II. Aſſertionem noſtram probari quoque poſſe poſitive, & quidem ſequentibus rationum momentis.

1. S. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium (*a*) Can. 14. avaros hortatur, ut pravum affectum deponant, de pœnitentia iis injungenda nec verbo meminit. Aſſerit quin immo, eos ſepoſito avaritiæ ſtudio ad Sacerdotium promoveri poſſe: quod certo ſignum eſt, avaros pœnitentiæ publicæ ſubjectos non fuiſſe, cum publice pœnitentes ad ſacros Ordines admiſſi non fuerint. Vide Not. ad num. 19.

 2. Gre-

(a) *Edit. Operum D. Baſil. M. Pariſ. A. 1566. f. 773.*

2. Gregorius Nyſſenus S. Baſilii M. frater Epiſt. ad Lentojum affirmat, avaritiam abſque ſeveriore punitione fuiſſe abs Patribus prætermiſſam.

3. S. Auguſtinus Epiſt. 64. ad Aurelium ait, comeſſationes, & ebrietates, quæ tunc temporis in honorem beatiſſimorum Martyrum celebrabantur, quamvis eſſent flagitioſæ, non tamen ſeverius fuiſſe punitas. En ejus verba: (a) Cubilia, & impudicitiæ tam magnum crimen putatur, ut nemo dignus non modo Eccleſiaſtico miniſterio, ſed ipſa etiam Sacramentorum communione videatur, qui ſe iſto peccato maculaverit. Et recte omnino. Sed quare ſolum? Comeſſationes enim, & ebrietates ita conceſſæ, & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum non ſolum per dies ſolemnes, quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inſpicit; ſed etiam quotidie celebrentur. Quam fœditatem ſi tantum flagitioſa, & non etiam ſacrilegia eſſet, quibuſcumque tolerantiæ viribus ſuſtentandam putaremus.

4. Secreta confeſſio regula olim fuit imponendæ pœnitentiæ, ſive publicæ, ſive ſecretæ, ex judicio videlicet prudentis Sacerdotis, cujus erat diſcernere inter peccata, quæ publice, quæ privatim expiari oporteret: ex quo ſequitur, non omnia peccata mortalia indiſcriminatim publice punita fuiſſe. Origenes, qui ſæculo III. floruit, ita de re diſſerit: (b) „ Circumſpice, inquit, diligentius, cui debeas CONFITERI PECCATUM TUUM: Proba prius medicum, cui debeas cauſſam languoris exponere. Si quid conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, & viderit talem eſſe languorem tuum; qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis, & ceteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis periti illius Medici conſilio procurandum eſt. „

5. Probatur id ex facto, quod narrant Sozomenus L. 3.

(a) *Pag.* 357. *edit. Lugd. A.* 1516. *Tom.* 7. *par. II.*
(b) *Homilia* 2. *in Pſal.* 37. *fol.* 529. *edit. Baſileenſ. an.* 1557. (c) *En confeſſionem ſecretam!*

L. 3. Hiſt. cap. 16. & Socrates L. 5. c. 19. *Mulier quædam, ait Socrates, ad Presbyterum Pœnitentiarium accedens, delicta poſt baptiſmum a ſe perpetrata (a) SIGILLATIM CONFESSA ERAT (2). Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis, & orationibus vacaret.*

Narrat exinde Hiſtoricus, mulierem illam, occaſione pœnitentiæ perſolvendæ diutius in Eccleſia commoratam, cum Diacono peccaſſe; quo facinore in aurem Sacerdotis primum depoſito, tum ex immaturo, & imprudenti zelo publice declarato, ſcandalum ingens in Eccleſia ſubortum eſt, ipſaque mulier ex conſilio Sacerdotis Pœnitentiarii publicam pœnitentiam ſubiit. Ille enim ex ſecreta confeſſione judicabat, & quæ & quanta pœna pro delictis imponenda foret. (*b*) *Ille* (Pœnitentiarius) *pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicebat.*

6. Denique conſtat ex Can. 4. Conc. Neocæſareenſis Ann. 314. celebrati, quod pro peccatis, ſola cogitatione commiſſis, etſi lethiferis, pœnitentia publica dictata non fuerit. Vide Tom. II. Conc. Regior. fol. 78. & 79.

XVI. Ex modo dictis ſatis conſtare arbitror, non omnia indiſcriminatim peccata lethifera, ſed atrociora tantum, Idololatriam videl. Homicidium, & fornicationem, eorumque ſpecies manifeſtas, primis Eccleſiæ ſæculis publicæ pœnitentiæ ſubjecta fuiſſe. Pro aliis tamen criminibus certi erant præſcripti canones, (*c*) ſecundum quos Sacerdotes pœnitentiam injungere oportebat. Diu illi in Eccleſia perſeverarunt, donec frigeſcente fidelium caritate in deſuetudinem abjere. De iis ita diſcurrit ſuo more perquam erudite Sanctiſſimus, qui modo Eccleſiæ præeſt, Pontifex, Benedictus XIV. ((*d*) Tom. XII. ſuorum Operum edit. Romanæ Anni 1748. L. VII. cap. 62. pag. 529.) „ Tanta, in-

„ quit,

(a) *En confeſſionem ſecretam.*

(b) *Sozomenus l. cit.*

(c) *Vide ſupra Cap. II.*

(d) *Tom. 12. agit de Synodo Diœceſ.*

„ quit, diligentia Majores noſtri diſquirebant, quæ „ unicuique peccato eſſet imponenda pœnitentia, ut ſi „ enorme aliquod audiretur perpetratum crimen, quod „ vel ratione ſui, vel ratione adjectæ circumſtantiæ, „ quamdam peculiarem, & graviorem redoleret nequi- „ tiam, & turpitudinem, ſimul ſtatim convenirent „ Epiſcopi ad deliberandum, quo pœnitentiæ genere „ eſſet illud expiandum; reque mature diſcuſſa, ac „ tandem deliberata, ſinguli præciis ſuis, quod com- „ muni conſenſu ſtatutum fuerat, ſignificabant: .... „ tanti præterea momenti negotium æſtimabatur, ut „ peccatores dignam, ſuoque reatui æquam ſubirent „ pœnitentiam, ut interdum etiam Romani Pontificis „ ea de re exquireretur ſententia, & quandoque ad „ eundem ipſe reus remitteretur dijudicandus, qua & „ quanta pœnitentia, a DEO, atque ab Eccleſia recon- „ ciliationem conſequi mereretur. *Poſt horum proba-* „ *tionem ita ſubjungit laudatus Pontifex*: (a) Quam „ autem aut Epiſcopi, aut Pontifices Maximi certo „ crimini ſemel imponendam ſtatuerant, pœnitentia, „ in codicem referebatur, qui *Liber Pænitentialis* eſt „ nuncupatus, ut deinceps regula eſſet, ad quam in- „ feriores Sacerdotes ſe conformarent: & ne quiſquam „ ab ea recederet, Epiſcopus in ſua Synodo, atque in „ diœceſis viſitatione, id potiſſimum inveſtigabat, an „ quilibet Presbyter librum haberet Pœnitentialem, „ ſuæ diœceſis proprium, & an ſecundum quod ibi „ præſcriptum erat, pro modo culpæ pœnitentiam in- „ jungeret „. Hæc probat ex Burchardo, atque ex Reginone, qui in ſua canonum collectione cap. 98. docet, in viſitatione Eccleſiarum hanc ſingulis Preſbyteris ab Epiſcopo, aut Archi-Diacono interrogationem fuiſſe propoſitam: *Si habeat Pænitentiale Romanum, vivi a Theodoro Epiſcopo, vel a Venerab. Preſbytero Beda editum, ut ſecundum quod ibi ſcriptum eſt, interroget confitentes, & confeſſo modum pænitentiæ imponat.*

(b) Antonius Auguſtinus, pergit eruditus, quem lau-

(a) *Tom.* 2. *pag.* 530. (b) *Loc. cit. pag.* 530. *n.* 3.

laudavimus, Pontifex ad ſuam Juris Canonici epitomam antiquum attexuit Pœnitentiale Romanum, in novem titulos diſtributum, in quibus varia recenſentur criminum genera, atque ex Conciliis, Summorum Pontificum epiſtolis, ac Patrum ſententiis, pœnitentiæ deſcribuntur, pro ſingulis imponendæ .... poſt Gratiani Decretum in editione Romana habentur canones pœnitentiales deſumpti ex Summa Aſtenſi, eoſdemque canones amendis purgatos, qui librariorum incuria in eos irrepſerant, laudatus Antonius Auguſtinus adjecit libris Pœnitentialibus, Romano, Bedæ, & Raboni, opportunis, & eruditis notis a ſe exornatis. Alios antiquos libros Pœnitentiales in lucem protulit Morinus *in append. ad tract. de Pœnit.* Alios evulgavit Martene *tom. 2. de antiquis Eccleſiæ ritibus*. Librum de remedio peccatorum Ven. Bedæ, & Capitulare Theodulfi Archiep. Aurelianenſis, publici juris fecit Baluzius *tom. 7. miſcellanor. p. 21.* Muratorius binos Pœnitentiales ex Italicis deprompſit bibliothecis, alterum ſcil. ex MS. Capituli Canonicorum Veronenſium, alterum ex Codicibus MSS. Monaſterii Boblenſis, atque ambos edidit *tom. 5. Antiq. Ital. med. ævi diſſert. 68.* S. Carolus Borromæus, non ſolum vulgatos canones Pœnitentiales, ſed innumeros alios ex antiquis Conciliis, aliiſque libris Pœnitentialibus in unum collegit, per decem diſtribuit Decalogi præcepta, eorumque lectionem ſummopere Sacerdotibus (*a*) commendavit.

Docet exinde Sapientiſſimus Pontifex, non prudenter facturum Epiſcopum illum, qui in Synodo Diœceſana antiquos canones Pœnitentiales renovaret, ſuiſque Conſtitutionibus annecteret, animo inducendi Confeſſarios ad pœnitentias imponendas, quæ pro unoquoque crimine ſunt in illis præſcriptæ: hac enim ratione non ſolum rigidiſſimæ Ethicis ſectatorem ſe oſtenderet, ſed non plane impoſſibilem attentaret.

At, ſubjungit idem loco cit. pag. 531. n. 5. Si Epiſcopus ſuis Synodalibus Conſtitutionibus canones in-

(*a*) *Vide ſupra in Notis ad cap. 2*

inſerat Pœnitentiales, vel eorundem ſtudium, & cognitionem Sacerdotibus ſuadeat, aut etiam præcipiat, non ut illos, jam a multis ſæculis obſoletos ad uſum revocet, ſed dumtaxat, ut eorundem notitia Confeſſariis prodeſſe queat, ad aliqualem proportionem ſervandam inter diverſas peccatorum ſpecies, & pœnitentiam pro ſingulis imponendam; Ac præterea, ut idem Confeſſarii inde argumentum deſumant ad aperiendam pœnitentibus admiſſorum ſcelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aſpera, tamque formidanda vindicta, etiam in hac vita, ab Eccleſia coercebantur, ſi inquam, hoc tantum conſilio id ab Epiſcopo fiat, ſtatim Conſtitutiones Synodales inclamare, turbas ciere, Clerum, & populum adverſum eas concitare, quod aliquando factum ſcimus, res plane intolerabilis eſt, atque a nullo cordato viro ferenda.

Confirmat dicta doctiſſimus Pontifex plurium Synodorum teſtimoniis, quæ in Sacerdote canonum pœnitentialium notitiam requirunt. Ex. g. in Synodo Pragenſi habita 1605. & juſſu Cardinalis Epiſcopi de Harrach recuſa 1650. *Tit. de Pœnit.* dicitur: *Confeſſarii canones Pœnitentiales memoriæ mandent, ut ſingulis criminibus congruam Satisfactionem injungant.* Sed id utique intelligendum eſt ſecundum diſcretam Doctoris Angelici doctrinam, qui *Quodlib. 3. quæſt. 13. art. 1.* ita ſapienter diſcurrit: Videtur ſatis conveniens, quod Sacerdos NON ONERET PŒNITENTEM GRAVI PONDERE SATISFACTIONIS: quia ſicut parvus ignis a multis lignis ſuperpoſitis de facili extinguitur, ita poſſet contingere, quod parvus affectus Contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Unde melius eſt, quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominus aliquid, quod Pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos injungere non attentaſſet, & hæc, quæ præter injunctionem facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, qua Sacerdos

dos dicit: Quidquid boni feceris, ſit tibi in remiſſionem peccatorom.

Ex his a S. D. diſputatis patet 1. Illam Orationem poſt abſolutionem ſuper pœnitentes dici ſolitam, & quæ incipit: *Paſſio Domini N. J. C. &c.* non eſſe omittendam, etiam in concurſu populi; quia juxta mentem ejuſdem Doctoris opera pœnitentis accipiunt majorem vim ex hac generali Sacerdotis injunctione. 2. Non bene procedere Confeſſarios illos, qui rigidis ſuis, & ad annum aut ultra protractis pœnitentiis, ſuos filios ſpirituales pene mactant, ſaltem tam puſillanimes faciunt, ut ad emendationem vix perveniant. Has enim pœnitentias aut obliviſcuntur, aut non perſolvunt, ſicque cum grandibus pœnitentiis eunt ad infernum. Satius igitur eſt (per ſe loquendo; nam circumſtantiæ attendendæ) cum minore, & moderata pœnitentia mittere peccatores ad purgatorium, quam cum grandi, & vix non importabili ad infernum.

N O T Æ.

Numero XIV. 1.) Illiberitanum quod alii Eliberitanum, alii Eliberinum vocant, Concilium habitum eſt Sæculo 4. apud Hiſpanos in Provincia Bœtica prope Granatam (a) anno incerto a novemdecim Epiſcopis, quos inter eminebat Oſius Cordubenſis. Plurimi ſæviente perſecutione Diocletiana eandem Synodum convocatam fuiſſe afferunt. Octoginta ſunt legitimi Canones iſtius Concilii, de quibus videatur Cardinal. Aguirre in Notitia Concil. Hiſpaniæ. Inter canones illos celebris eſt 36. (non vero 38. ut mendoſe habet edito Graveſonii Auguſtana de anno 1726. *tom.* 1. *pag.* 80. *col.*) In quo aſſeritur: (b) *Placuit pi-*

(a) *Aguirre in Notit. Conc. Hiſp. p. 26. edit. Salmant. 1686. ait, id eſſe coactum Ann.* 300. *vel* 305. *vel* 323.

(b) *Tom.* 1. *Concil. Regior. edit. Pariſ.* 1644. *pag.* 748.

picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. Hoc canone mire gloriantur noſtri temporis Hæretici Iconomachi. Sed refutantur in primis ex eo, quia eo tempore atrox furebat Diocletiani perſecutio, & grave ingruebat periculum, (a) ne imminente perſecutione imagines in templis relictæ, cum tranſportari non poſſint, ludibrio fierent paganis; Quia imagines in parietibus depictæ venuſtatem amittunt, & decruſtato pariete fœdantur. Unde teſte Vaſqueſio *l.* 2. *de Adorat. diſput.* 5. *c.* 2. *n.* 132. Hiſpania, ubi, uti diximus, Concilium illud celebratum fuit, paucis in Eccleſiis reperiuntur imagines pictæ in perietibus, præſertim S. Chriſtophori, ſed pleræque in tabulis, aut ſtatuis ligneis inauratis, quamvis jam etiam *illic* a Concilii illius conſtitutione deceſſum fuerit. 3. Albaſpinæus hanc rationem profert in Commentario ad hunc Concilii Illiberitani canonem: Vetant, inquit, Patres Illiberitani Deum in parietibus depingi, ne ſcil. quem gentilibus, & Catechumenis Immenſum, Omnipotentem, Inviſibilem, Æternum, incomprehenſibilem, Spiritualem, corporis, & materiæ expertem, & immunem prædicabant, cum ipſi Gentiles, & Catechumeni in ipſorum Eccleſiis lineis, & coloribus circumſcriptum, & comprehenſum cernerent. Ne igitur Divini Numinis Majeſtas minueretur, & aliud de DEO depingeretur, quam prædicarent; & quem ſupra homines extollerent, humana ſpecie oculis depictum objicerent; vetant, ne in Eccleſia imagines DEI ſuſpendantur. Hæc Albaſpinæus.

Numero XV. 2.) Confeſſionem auricularem ſeu ſecretam primitus Sæculo 13. adinventam fuiſſe, adeoque antiquitus non viguiſſe Novatores pronunciant, ſed quam imperite, ne quid gravius dicam, conſtabit e mox dicendis.

Ut ſileam S. Scripturæ textus ſatis evidentes, & e quibus noſtri ſolidiſſime neceſſitatem confeſſionis deducunt, ſed quos Novatores in ſuam ſententiom per capillos

(a) *Curſus Theol. S. Galli Tom.* 7. *p.* 116. & 117.

pillos trahunt, videamus, quæ mens antiquorum PP. adeoque Veteris Eccleſiæ fuerit. In primis Tertullianus, qui ad initium Sæculi III. tempore Severi Imp. floruit, „ Libro de Pœnitentia cap. 8. & 9. *ſic inter alia habet:* (*a*) Tantum, *inquit*, relaxat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat. „ Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ... Satisfactio confeſſione diſponitur, pœnitentia naſcitur, confeſſione, pœnitentia „ Deus mitigatur. „

2. S. Cyprianus ✓ Tractatu de lapſis, (*b*) Quoniam, *inquit*, de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum „ APUD SACERDOTES Dei dolenter & ſimpliciter „ confitentes, (*c*) exomologeſim conſcientiæ faciunt, „ animi ſui pondus exponunt. „ Vixit Cyprianus ſæculo itidem tertio, paſſus martyrium ſub Valeriano, & Gallieno Imp. Vide Hieronymum de Script. Eccleſiaſticis.

3. S. Gregorius Nyſſenus homil. in eos qui acerbius judicant, loquens de miniſtro Eccleſiæ, (*d*) *Audacter*, inquit, (*e*) *oſtende illi, quæ ſunt recondita; animi arcana tanquam occulta vulnera, medico retege, ipſe honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit.* (*f*) Floruit S. iſte Gregorius ſæculo 4.; vivebat adhuc, & ſcribebat anno 14. Theodoſii. Interfuit Concilio I. Conſtantinopolitano, & ſcripſit Symbolum fidei in eo edi-

(a) *Edit. Rothomag. cit. pag.* 169.

(b) *Editio Antverp. p.* 345. *ſed nota, pro eo* apud *in ea editione a me citata, poſitum eſſe te* quod *quæ particula longe alium ſenſum facit. Nec mirum: Eraſmus enim Roterdam. eam edit. adornavit. Aut Eraſmus Lutherizat, aut Lutherus Eraſmizat, vetus adagium eſt. Clariſſimus tamen VVeiſlingerus ab omni ſuſpicione Lutheraniſmi Eraſmum abſolvit in Armament. Cathol.*

(c) *Eraſmus:* Confitentur.

(d) *Edit. Pariſ. anni* 1573. *pag. ſeu col.* 619.

(e) *Alloquitur peccatorem.*

(f) *Hieron. de Script. Eccleſ.*

editum, ut habet Nicephorus l. 12. Hiſt. c. 13. Homilia tota meretur legi: ea enim probat confeſſionis neceſſitatem contra Hæreticos, & corripit rigidos confeſſarios.

4. S. Ambroſius, Sæculo itidem quarto, ſub Gratiano, & Theodoſio Imp. ſcribens, *Lib. 2. de Pænit. c. 6. Si vis*, inquit, *juſtificare, fatere delictum tuum: ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum*. Libro integro eſſet opus, ſi, quæ veneranda Antiquitas de neceſſitate confeſſionis peccatorum faciendæ ſenſit, congerere vellem; unum adhuc teſtimonium proferre licebit, ex quo ſæculo VIII. tempore S. Othmari, Abbatis Monaſterii noſtri S. Galli, adeoque quingentis ferme ante Concilium Lateranenſe IV. annis peccatorum confeſſionem viguiſſe luculenter demonſtrabimus. In perantiquo ergo Codice pergameno Bibliothecæ noſtræ, qui ſæculo 8. aut ſub initium noni exaratus jam eſt, ut demonſtrat characterum forma, ita habetur:

„Othmarus ad Diſcipulos.

„ (a) Quando volueris confeſſionem facere, noli „ erubeſcere, quia inde venit indulgentia, quia SINE „ CONFESSIONE NON EST INDULGENTIA. In „ primis proſterne te humiliter in conſpectu DEI in „ terra adorationem, & roga Dominum Deum Omni- „ potentem, & B. Mariam, cum ſanctis Apoſtolis, „ & Martyribus, & Confeſſoribus, ut ipſi intercedant „ pro te, ut Dominus omnipotens dignetur tibi dare „ ſapientiam perfectam, & intelligentiam veram ad „ confitendum peccata tua. Et poſtea ſurgere cum fiducia „ & vera credulitate dic illo ſervo DEI, quem con- „ feſſus es, Domino DEO Omnipotente confeſſus „ ſum ... & ſanctis ſuis, & tibi DEI miſſo, quæ „ feci: ex quo ſapere incipi, in verbo, & in cogita- „ tione, & in opere, aut in juramentis & perjuriis, „ aut

(a) *Hæc S. Othomari allocutio conſcripta eſt pro more ejus ævi ſtylo barbaro, ſatis tamen intelligibili.*

„ aut maledictis, & detractionibus, aut otioſis ſermo-
„ nibus, & per odium vel iram, aut per invidiam,
„ & concupiſcentiam gulæ, aut per ſomnolentiam,
„ aut in ſordidis cogitationibus, aut in concupiſcen-
„ tia oculorum, aut per voluptuoſam aurium delecta-
„ tionem, aut pro aſperitate pauperum, & tarde Chri-
„ ſtum in carcere viſitavi, & peregrinos negligenter
„ excepi, & ſecundum promiſſionem noſtram baptiſmo
„ hoſpitibus pedes lavare neglexi, & infirmos tar-
„ dius, quam oportet viſitavi; . . . . & Eccleſia jeju-
„ nante prandire volui . . . Quod aut pſallendo aut
„ orando aliquotiens aliud, quam oportet cogitavi,
„ & in conviviis meis non ea ſemper per quæ ſancta
„ ſunt, ſed aliquotiens, quæ luxurioſa, vel detractio-
„ nes locutus fui: & confeſſus ſum tibi incredulita-
„ tem meam, quod fuit ſacrilegus, quod furavi, quod
„ in ſacro altare juravi, quod homicidium feci, &
„ raptus fui; & falſum teſtimonium dixi, & in ma-
„ lis, & in membris meis in concupiſcentiam malo-
„ rum fantaſmatum . . . . me conquinavi, & quod
„ cum oculis meis vidi, quod mihi licitum non fuit,
„ & quod cum auribus meis audivi, quod mihi lici-
„ tum non fuit; aut audire neglexi, quod præceptum
„ eſt, aut ore locutus fui, quod licitum non fuit,
„ aut ſilui, quod loquere debui . . . & quod volens
„ aut nolens aut ſciens aut inſciens contra DEI vo-
„ luntatem cogitavi, aut locutus fui, vel operatus;
„ omnia fiant in pura confeſſione. Domino DEO
„ Omnipotenti confeſſus ſum, & tibi DEI amico, &
„ Sacerdoti, & rogo te cum humilitate, ut digneris
„ orare pro me infelice, & indigno, ut mihi digne-
„ tur pro ſua miſericordia Dominus dare indulgen-
„ tiam peccatorum meorum, „ Ita Codex de verbo
ad verbum.

Ex hac peccatorum Tabula, quam ſuis diſcipulis (a)
Otho-

a) *S. Othmarus Abbas Monaſterii S. Galli vixit Sæcu-lo VIII. Ob defenſionem Jurium Monaſterii ſui rapta-tus ad carcerem in eo ærumnis confectus obiit an. Chr. 760. Miraculis in hodiernam uſque diem conſpicuus.*

Othomarus propoſuit, patet 1. Confeſſionem non ſoli DEO, ut volunt Sectarii, ſed Sacerdotibus factam fuiſſe jam antiquitus. 2. Confeſſioni ſubjici oportere peccata, etiam ſola cogitatione perpetrata. 3. Hallucinari novatores, dum imperitum vulgus edocent, per tyrannidem Innocentii III. Pont. Romani ſæculo 13. confeſſionem Sacerdoti faciendam tanquam intolerabilem carnificinam, & jugum graviſſimum Chriſtianis impoſitam fuiſſe.

Neceſſitatis denique confeſſionis *accedit nova ratio*, inquit Soto in 4. Sent. diſt. 18. Q. 1. Art. 5. ex „ utilitate videl. maxima, & uſu qui inde nobis pro„ venit... Fac, confeſſionem ſacramentalem non eſſe „ neceſſariam, ſed ſatis eſſe, ſoli DEO confiteri, pro„ ſecto tota Reſpublica plena eſſet occultis vitiis, „ quæ non poſſent non in publicum prodire: verecun„ dia enim confitendi vehementiſſime homines a per„ verſis moribus arcet.„ Confirmat id ipſum memorabili exemplo, cujus ipſe teſtis erat, & quod hoc loco dignum eſt memorari. (*a*) Ex inclyta, inquit loco cit. Norimberga Civitate miſſa eſt ad Cæſarem (*b*) legatio, per quam Cives illi petebant, ut Cæſar imperatorio jure Confeſſionem auricularem indiceret. Ajebant enim, ſe uſu, & more intellexiſſe, rempublicam ſuam, poſtquam confeſſio ceſſaverat, vitii contra juſtitiam, & alias virtutes ſcatere, quæ illis antea fuerant incognita. NB. Riſum tamen eadem legatio movit; nam cum fateri omnino renuerent, per abſolutionem Sacerdotis culpas remitti, & Divino juſſu teneri homines vera fateri, quomodo plebs convinci poſſet Cæſarea lege, occulta ſua ſcelera ſecreto confiteri? Nam qui non confiteretur, cum id prætor cognoſcere non poſſet, quomodo pœnarum minis cogi poſſet? Adde, quod niſi tantus eſſet fructus confeſſionis, quantus eſt abſolutio peccatorum; ad tantumque Sacerdos ſecretum divina lege teneretur, intolerabilis lex eſſet, quæ homines ſceleratiſſima ſua cri-

(*a*) *Pag.* 463. *col.* 2.

(*b*) *Carolum V.*

crimina in aurem Sacerdotis exponere compelleret. Hactenus Soto. Ceterum de Confeſſione auriculari, plura vide infra C. IX.

CAPUT V.

An pro occultis criminibus pœnitentia publica injuncta olim fuerit.

XVII. Acriter hic inter ſe decertant eruditi Auctores, quibuſdam abſoluta negantibus, aliis econtra affirmantibus, pœnitentiam publicam olim pro occultis etiam delictis per ſex priora Eccleſiæ ſæcula peccatoribus fuiſſe injunctam. Perpenſis rationum momentis, quibus perſuaſus opinioni quiſque inhæret ſuæ,

Dicimus I. Pœnitentiam publicam, ut eſt publica peccatorum punitio, illis non eſſe injunctam, in quibus publicæ pœnitentiæ actio potuiſſet occulti criminis ſuſpicionem inducere. Hæc enim vetabat, & vetat etiamnum lex ſigilli arctiſſima, atque inviolabilis. Nec ejuſmodi punitio quidpiam contuliſſet ad finem pœnitentiæ publicæ, qui fuit ſatisfactio Eccleſiæ exhibenda ob datum ſcandalum, & fidelium ædificatio. Accedit Teſtimonium veterum Eccleſiæ Patrum & Conciliorum. S. Auguſtinus Homilia L. „ Nos, (a) *inquit*, a communione prohibere quemquam non poſ„ ſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut aliquo ſive „ Sæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, at„ que convictum. Quis enim ſibi utrumque audeat aſ„ ſumere, ut cuiquam ipſe ſit accuſator, & Judex? „ Judex publicæ pœnitentiæ ſolus eſt Epiſcopus, ut ſupra innui, accuſator ergo idem eſſe non poteſt.

Idem S. Pater, quid hoc in genere præſtare ſoleret, narrat ipſe Homil. XVI. de Verb. Dom. cap. 8. „ No-

(a) *Tom.* 10. *p.* 207. *col.* 1. *A. edit. Pariſ. A.* 1568.

„ Novit (*a*) *inquit*, neſcio quem homicidam Epiſcopus
„ & alius illum nemo novit. Ego volo illud PUBLI-
„ CE corripere, & tu quævis inſcribere. Prorſus non
„ prodo, nec negligo. Corripio in ſecreto, pono an-
„ te oculos DEI judicium, terreo cruentam conſcien-
„ tiam, perſuadeo pœnitentiam. „

Quid hac in re præſtiterit D. Ambroſius, narrat vitæ ejus ſcriptor Paulinus: „ Quótieſcunque, *ait*, il-
„ li aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos
„ (*b*) confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere
„ compelleret. Videbatur enim ſibi cum jacente jace-
„ re. Cauſſas criminum, quas illi confitebantur NUL-
„ LI, niſi Domino, apud quem intercedebat, loque-
„ batur, bonum relinquens exemplum poſteris Sacer-
„ dotibus, ut interceſſores apud Deum ſint magis, quam
„ accuſatores apud homines. „

XVIII. Vaſenſis Synodi prioris in Gallia anno 442. celebratæ, Cannon VIII. ſic habet: (*c*) „ Quod ſi ſe tantum Epiſcopus alicujus ſceleris conſcium novit, quandiu probare non poteſt, nihil proferat: ſed cum ipſo ad compunctionem ejus (peccatoris) ſecretis correptionibus elaboret. Quod ſi correptus pertinacior fuerit, & ſe Communioni publicæ ingeſſerit, etiamſi Epiſcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probationibus deficiat, indemnatus licet, ab his, qui nihil ſciunt, ſedere jubeatur, illo, quamdium probari nihil poteſt, in communione omnium, præterquam ejus, qui eum reum judicat, permanente. „ Quod ſi ergo juxta hunc canonem Vaſenſis Synodi occultus peccator in communione omnium, præterquam ejus, qui eum reum judicat, permaneat, ergo publica Pœnitentia non plectebatur: certum enim eſt, publice pœnitentem omnium communione privatum fuiſſe.

Sæculo IX. quo pœnitentiam publicam viguiſſe ſupra (*d*) innuimus, Hincmarus Remenſis in ſuis capitulis

(a) *Tom.* 10. *p.* 29. *edit. cit.*

(b) *En confeſſionem ſecretam!*

(c) *Collect. Sur. Tom.* 2. *edit. Venet.* 1585. *p.* 20.

(d) *C.* 2. *n.* 7.

tulis non alios pœnitentiæ publicæ addici volebat ; niſi publicos peccatores. *Si PUBLICUM*, inquit Capitulo I. *homicidium*, *aut adulterium*, *ſive perjurium*, *vel quodcunque criminale peccatum PUBLICE perpetratum fuerit*, &c.

Concilium Arelatenſe VI. eos ſolummodo publice vult caſtigari, *qui publice convicti ſunt* ; & Concilium Cabilonenſe II. pariter eos, *qui publice peccarint*. Omitto, ne longus ſim, plura aliorum teſtimonia ; ex his enim mox prolatis ſat ſuperque conſtare poterit, publicam pœnitentiam pro publicis dumtaxat peccatis decretam olim in Eccleſia fuiſſe.

XIX. Dicimus II. Publicam pœnitentiam de occultis interdum ſuſceptam fuiſſe a nonnullis, aut ultro aut ex conſilio Confeſſarii, ſed caute, & circumſpecte.

Probatur ex S. Auguſtino, qui ſerm. 144. de Tempore ſic habet ; *Aliqui ipſi pœnitentiæ locum ſibi petierunt*, *alii excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti ſunt*. Illud vero notandum eſt, illos, qui ſponte pœnitentiam publicam peragebant, proprie pœnitentes dictos non fuiſſe ; ii enim ſoli proprie pœnitentes appellati ſunt, qui publici criminis cauſſa ab Epiſcopo excommunicati fuerant, publicamque pœnitentiam agere juſſi. *Agunt*, inquit (*a*) Auguſtinus, *homines pœnitentiam*, *ſi poſt baptiſmum ita peccaverint*, *ut excommunicari*, & *poſtea reconciliari mereantur*, *ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi*, *qui proprie appellantur*. Alii vero, quorum occulta erant delicta, quique pœnitentiam publicam ſponte expetebant, pœnitentium nomine non cenſebantur ; (1.) erant enim immunes a probro, & infamia uſque adeo, ut Clericis quoque, quibus publicam ſubire pœnitentiam non licuit ſalvo illorum gradu & honore, concederetur. Patet id evidenter ex Canone IV. Concilii I. Arauſicani, quo aſſeritur : (*b*) *Pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non negandam*. Hæc enim pœnitentia ſponte ſu-

(a) *Epiſt.* 108. *ad Seleucianum*.

(b) *Tom.* 2. *Collect. Sur. p.* 16.

ſuſcepta ſicut non impediebat laicum, quo minus Clericus fieret, ita Clerico non officiebat, cum gradum, & honorem propterea non amitteret. Confirmatur id ex Toletana Synodo XIII. quæ de Epiſcopo, qui morti proximus pœnitentiam acceperat, & recepta poſt valetudine, an Epiſcopatum retinere, aut eo fungi poſſet, ambigebat, Canone X. reſpondit, fraudi hoc illi eſſe non poſſe, ſi nullum crimen ſit confeſſus. Ac ne ambigua impoſterum res foret, ita conſtituit: „ Sancta „ Synodus definivit... ut quicumque Pontificum, vel „ Sacerdotum deinceps per manus impoſitionem pœni„ tentiæ donum exceperint, nec ſe mortalium crimi„ num profeſſione notaverint, tenorem retinendi regi„ minis non amittant, ſed per Metropolitanum re„ conciliatione pœnitentium more ſuſcepta, ſolita com„ pleant ordinis ſui officia, vel cetera myſteriorum ſi„ bi credita Sacramenta. „ (a) Si vero profeſſi ſeu publice confeſſi criminis pœnitentiam egiſſet hic Epiſcopus, id certe de eo judicaſſent Patres Toletani, quod paucis ante annis ſtatuerant de Theodoſio Arelatenſi Epiſcopo Cabilonenſes, Epiſcopalem nempe Cathedram illum nec tenere, nec regere poſſe. (2)

Quod vero caute, & circumſpecte ex conſilio Sacerdotis pro occultis criminibus pœnitentia impoſita fuerit publice, patet ex Epiſtola Canonica S. Baſilii ad Amphilochium, qua docet, (b) uxores adulteras non eſſe pœnitentiis publicis niſi admodum caute ſubjiciendas, ne videlicet earum mariti venirent in notitiam patrati adulterii, aut ne convictis præberetur cauſſa mortis. Hoc autem utique intelligi debet de quocunque alio ſcelere, unde infamia, dedecus, maximumque incommodum poterat provenire. Vix autem in ſuſpicionem ſceleris, quale cujuſque foret (niſi eſſet publicum, de quo hic non loquimur) deveniri poterat: peccatores enim diverſorum criminum rei in eodem gradu degebant, & inſuper multi ſponte ac ultro

(a) *Tom. 17. Concil. Reg. fol. 36.*
(b) *Canone 34. fol. 779. edit. Pariſ. A. 1566.*

ultro illorum numero addicebantur: hinc ex fletibus; ſubſtrationibus, lugubri habitu pœnitentium nulla oriebatur dedecoris nota, ſed optima eorundem exiſtimatio; quemadmodum moderno ſæculo ex frequenti aliorum confeſſione, carnis maceratione, aliiſque pœnitentiæ operibus non arguimus vitæ anteactæ flagitia, ſed eorum, qui hæc agunt, pietatem potius, vitæque honeſtatem commendamus.

N O T Æ.

Numero XIX. 1.) Laici publice pœnitentes antiquo jure fiebant irregulares, ut habetur 26. *qu.* 6. *Can. ult.* & infames, *Can. Infames*, 6. *q.* 1. (*a*) Plura alia iis vetabantur, ut adire convivia, nuptias, balnea, deferre arma, militare, ſed ante omnia interdicta ipſis erat ſanctiſſimi Sacramenti Altaris ſumptio, donec reconciliationem acciperent, qua de infra c. 7. De conjugatis pœnitentibus hæc ſtatuit Concilium Wormatienſe Cap. 37. (*b*) „ Illi, *inquit*, qui pro diverſis erra„ tibus, vel quibuſcunque piaculis pœnitentiæ jugo „ ſummiſſi fuerint, legitimo nullatenus matrimonio „ ſeparentur, ne in fornicationis voragine demergan„ tur, & dum ad alta ſublevari ſperantur, corruant „ in cœno. „ Concilium Wormatienſe, ſeu ut ſcribit Surius, Vormatienſe habitum eſt A. D. 868. ſub Hadriano II. Papa, & Ludovico II. Imp.

Num. eodem 2.) Concil. Cabilonenſe coactum eſt teſte Surio Anno D. 658. Epiſtola porro PP. Cabilonenſium ad Theodoſium Arelatenſem Epiſcopum eſt hujuſmodi:

(*c*) „ Domino ſemper peculiari ſuo Theodoſio Cœtus Epiſcoporum, qui nuper eſt in Cabilone urbe cum Chriſti gratia adunatus. Omnibus veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignoraſſe, quod glorioſus Dominus Clodovæus Rex in ſupraſcripta ur-

(a) *Vide Cyprian.* Tract. de lapſis.
(b) *Tom.* 3. *Collect. Surii p.* 982.
(c) *Tom.* 3. *Collect. Surii p.* 210.

be Cabilone VIII. Kalend. Novembris Synodale præcepit eſſe Concilium, ubi omnibus nobis, qui in Baſilica D. V. Vincentii pariter reſidentes, veſtrum adventum (dum vos in propinquo etiam in ipſa urbe eſſe audivimus) omnimodis præſtolati ſumus, ut daretis intelligere, pro qua re vos in ipſo Concilio noluiſtis adeſſe, dum multa adverſum vos, & de indecenti vita, & de exceſſu canonum (quod maxime condolemus) pervulgata narrantur. Nam & ſcripta, qualiter vos conſtituit pœnitentiam fuiſſe profeſſos, veſtra manu, & comprovincialium veſtrorum videmus manibus roborata. Unde vos credimus jam legiſſe, nec nos pœnitentiam ignoramus, quod qui PUBLICE pœnitentiam profitetur; Epiſcopalem cathedram nec tenere, nec regere poteſt. Propterea ſalutantes beatitudinem veſtram honorifice, judicamus, ut uſque ad aliam Synodum de Arelatenſi ſede, ubi vos conſtat pontificalem cathedram tenuiſſe, debeatis omnimodis abſtinere, & de facultate ipſius Eccleſiæ nihil ad veſtram dominationem, donec in audientia ante fratres conveneritis, penitus præſumatis.„

CAPUT VI.

An Clerici majores Pœnitentiam publicam ſubire debuerint aliquando?

XX. TRibus ſaltem prioribus Eccleſiæ ſæculis Clericos omnes, etiam majoribus Ordinibus initiatos, publicæ pœnitentiæ fuiſſe addictos, probare conantur peritiſſimi, & magni nominis Critici, ſpeciatim Morinus, & Natalis Alexander. Hic tamen peculiarem ab aliis ſententiam tradit: etſi enim pœnitentiam publicam Clericis lapſis decretam fuiſſe aſſerat, ipſis tamen manus non fuiſſe impoſitas ait, *de* qua *manuum* ſuper pœnitentium capita *impoſitione* proximo c. dicturi ſumus. Rationes porro, quæ prædictos Auctores ad amplectendam præfatam permoverunt, aliis; ut

ut mihi quidem videtur, longe firmioribus enervantur, diluique congruis reſponſionibus poſſunt.

XXI. Dicimus ergo, nullo unquam tempore Clericis majoribus pro expiandis ipſorum delictis publicam pœnitentiam fuiſſe dictatam. Rationum momenta ſunt hæc:

I. Canone XI. Concilii Carthaginenſi V. celebrati an. 398. legitur: (a) „ Confirmandum eſt, ut, ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, quia eos a miniſterio neceſſe ſit removere, non eis manus, tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus laicis imponatur. „

II. Leo M. Rom. Pontifex Epiſt. 90. ad Ruſticum ita anno 443. ſcribebat: (b) „ Alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit. „ Hujuſmodi vero lapſis privatam ſucceſſionem ac pœnitentiam SUFFICERE, *NB.* ait ibidem S. Leo.

III. Synodus Ancyrana A. 314. habita Can. 1. & 2. Presbyteris, & Diaconis, qui Idolis ſacrificaverant, pœnitentia ductis, honoris quidem nomen ſervat, verum abſque ulla functione, & exercitio Ordinis. En Canones prædictæ Synodi ex interpretatione Dionyſii Exigui: Canon I. „ Presbyteros immolantes, & iterum luctamen adeuntes, ſi hoc non per illuſionem aliquam, ſed ex veritate fecerint, ut iterum teneri viderentur, aut tormentis ſubjici, quo facinus pati viderentur inviti: hos ergo placuit HONOREM QUIDEM SEDIS RETINERE; offerre autem illis, & ſermonem ad populum facere, aut aliquibus ſacerdotalibus officiis fungi non liceat. „ Canon II. „ Diaconi ſimiliter, qui immolaverunt (intellige Idolis) HONOREM QUIDEM HABEANT, ceſſare vero ab omni ſa-

(a) *Concil. Regior. edit. Pariſ.* 1644. *T.* 3. *fol.* 561.
(b) *Surius volum. ſeu T.* 2. *Concil. p.* 104. *col.* 2.

cro Miniſterio, ſive a pane, ſive a calice offerendo, vel prædicando, &c. debeant. „ Vide Tom. II. Concil. Reg. edit. Pariſ. 1644. fol. 51. Ex his manifeſte colligitur, Clericis pœnitentiam publicam non fuiſſe impoſitam, cum honoris nomen publicæ pœnitentibus ſervatum nunquam fuerit. Vide ſupra in Not. ad n. 19.

Dices 1. Hæc tantum probant, quod Sæculo IV. & ſubſequentibus Clericis majoribus pœnitentia publica dictata non fuerit, non autem, quod ea diſciplina prioribus tribus ſæculis non viguerit.

R. Ex Concilio Carthaginenſi quinto cit. & ex Leonis M. Epiſtola ſatis probari, quod nec primis Eccleſiæ temporibus ea prætenſa diſciplina in more fuerit. Illo namque Concilii laudato canone non inducitur *nova* diſciplina, ſed *confirmatur antiqua*. Ajunt enim PP. CONFIRMANDUM eſt: nihil autem confirmari poteſt, quod prius non fuit.

Verba Leonis Papæ aperte nobis favent, ut opus non ſit, pluribus eadem explanare.

Dices 2. Verum quidem eſſe, Clericos manus impoſitioni, ab Epiſcopo, & toto clero factæ, obnoxios non fuiſſe, non tamen fuiſſe a ſubeunda pœnitentia publica immunes. Porro Concilium laudatum Carthaginenſe, & verba ex epiſtola S. Leonis excerpta, tantum probant Clericos immunes fuiſſe ab impoſitione manuum, non vero a pœnitentia publica.

R. Inane hoc effugium eſſe. Ut quid enim ab iſta manuum impoſitione immunes fuiſſent Clerici, & non a pœnitentia publica? Quid dedecoris, & verecundiæ, aut inhoneſtatis hæc impoſitio continebat, ut Clericis applicari non poſſet? Certe qui aſſerit, pœnitentiæ publicæ ſubjectos fuiſſe Clericos, conſequenter fateri cogitur, etiam manus impoſitioni illos fuiſſe obnoxios, hæc enim pœnitentiæ publicæ pars erat vulgatiſſima. Pœnitentiæ nomine *ſubſtrationem* veteres propriiſſime intelligebant; porro negari non poteſt, pœnitentes in hoc tertio gradu lugubri habitu indutos variis laboribus, & caſtigationibus, ſpeciatim vero crebræ manus impoſitioni Epiſcoporum, & reliqui Cle-

ri

ri fuiſſe ſubjectos. Si quis ergo affirmet, Clericos pœnitentiam quidem publicam ſubire debuiſſe, immunes tamen fuiſſe ab impoſitione manus, exemptionem hanc probare debet, quam certe non probat Concilium citatum, nec Leo Pontifex, immo nobiſcum ſentire aſſero. Nam Concilium ait, Presbyteris, & Diaconis peccantibus manus non eſſe imponendas, tanquam PŒNITENTIBUS; ergo ſupponit Concilium, Clericos pœnitentiam publicam ſubire non debuiſſe. Quaſi diceret: Laicis peccantibus indicuntur pœnitentiæ, & ipſis pœnitentibus imponuntur manus; Clericis autem peccantibus manus imponi non debent, cum ipſi ſicut laici pœnitentes pœnitentia publica non plectantur.

Idem volunt S. Leonis verba, Pontifex namque alienum ait eſſe a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut Presbyteri, & Diaconi remedium pœnitendi per manus impoſitionem ſuſcipiant; aperte innuens, quiſquis pœnitentiam publicam ſubire debuit, manus quoque illi impoſitas fuiſſe. Cum ergo Leo dicit, alienum eſſe a conſuetudine Eccleſiarum, ut Clericis manus imponantur, & per impoſitionem manuum ii pœniteant, ſatis indicat, Clericos immunes fuiſſe a ſubeunda pœnitentia publica. Solis enim pœnitentiam publicam, non vero privatam obeuntibus manus olim ſunt impoſitæ. Vide infra Cap. ſeq. n. 23.

Aſſertio noſtra probatur IV. S. Optatus Milevitanus Epiſcopus, qui Sæculo IV. circa annum 365. floruit, ſeptemque egregios libros adverſus (1.) Donatiſtas edidit, L. 2. eoſdem graviter redarguit, eo quod lapſos Epiſcopos ac Presbyteros pœnitentiæ publicæ ſubjeciſſent, quod novum eſſe, & inſolitum ait, ac a nullo unquam factum. „ A vobis, inquit, l. cit. (a) occiſi ſunt in honoribus DEI Sacerdotes. Multis notum eſt, & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos inertia a confeſſione nominis Dei delapſos

Mm 4 thuri-

(a) *Biblioth. PP. Tom. IV. pag. 351. col. 2. G. edit. Lugd. A. 1677.*

thurificaſſe, & tamen nullus eorum (a) qui evaſerunt (h. e. qui lapſi non ſunt, aut perſecutionem evitarunt) aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua (2.) figerent, imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a NULLO factum eſt poſt thurificationem. „

Dices: Concilium Eliberitanum Can. 76. de Diacono ſic decernit: (*b*) „ Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit; ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, acta pœnitentia legitima, poſt triennium accipere communionem. Quodſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere. „ Ex hoc Canone AA. inferunt, Diaconis ſaltem pœnitentiam puplicam olim injunctam fuiſſe.

R. Canonem non exprimere, an illa pœnitentia, Diacono lapſo injungenda publica ſit, an ſecreta. Ex poſitis ergo a me rationibus aſſero, pœnitentiam illam aut ſecretam fuiſſe, aut impoſitam tunc dumtaxat, poſtquam Diaconus ille a gradu, & privilegio Diaconatus dejectus, ad laicorum ſortem, & communionem amandatus fuerat. Alii ſic explicant. Canonem loqui de Diacono irregulariter, & cum reatu capitalis criminis ordinato, & hinc mandare, ut abjiciatur a Clero, abſtineatque aliquo etiam tempore a communione.

XXII. Ad ſolvendas objectiones alias notari hic debent tria. Primum eſt, quod juxta S. Baſilium (*c*) can. 51. in Clericos lapſos *unicum ſupplicium* debeat decerni; in illis autem ſupplicium illud eſt, *a ſacris miniſteriis amoveri*, ut Baſilius aſſerit. Sic autem amoti, inter plebem redacti Clerici laica tantum communione antiquitus donabantur. Secundum eſt, Aliquos Clericos ſponte aliquando ſubiiſſe pœnitentiam pu-

(a) *Intellige: Epiſcoporum; hi enim pœnitentiam dictabant publicam, ut ſupra diximus Cap. 2.*

(b) *Concil. Reg. Tom. 1. pag. 655.*

(c) *Edit. Pariſ. 1566. fol. 783.*

publicam, quod demonſtratum eſt ſupra numero 19. Tertium eſt, non omnem pœnitentiam publicam fuiſſe canonicam; canonica ſiquidem ea erat, quæ juxta præſcripta, & auctoritatem canonum infligebatur; publica autem illa erat, quæ coram populo, & in conſpectu Eccleſiæ peragebatur, ſive poſtea eſſet inflicta juxta Canones, ſive a quibuſdam piis, & timoratis ſponte ſuſcepta. Ex his præſuppoſitis ſolvi poſſunt plurima, & vix non omnia, quæ Adverſarii in contrarium nobis objiciunt. Quod ſi quis ergo nobis opponat ex Epiſtolis S. Cypriani 19. 52. 59. 64. & 68. in quibus recenſeatur pœnitentia Felicis, Trophimi, Victoris, Fortunatiani, ac Baſilidis, ſacrorum Ordinum charactare inſignitorum; reſpondemus, Cyprianum nuſpiam aſſerere, Presbyteris aut aliis Clericis majoribus eandem cum laicis pœnitentiam eſſe ſubeundam, ſed vel ad communionem laicam, vel ad deponendum gradum eoſdem adactos fuiſſe aſſerit. Vel ſi pœnitentiam aliquorum Clericorum in Cypriano legimus, fatendum id eſt: pœnitentiam nos legere quidem Clericorum, ſed ritum, quo pœnitentia illa peracta ſit, non deprehendere. Verbo dicam: ex Cypriano, qui plurima tamen de pœnitentia nobis reliquit, probari nunquam poterit, Clericos majores pœnitentiæ publicæ legibus primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe ſubjectos.

N O T Æ.

Numero XXI. 1.) Schiſma Donatiſtarum ſeu Donatianorum emerſit ſæculo Eccleſiæ IV. Anno circiter 311. De eo videri poteſt Optatus Milevitanus Epiſcopus in lib. adverſus Parmeninum Donatiſtam, itemque S. Auguſtinus pluribus in locis; extat denique in nova collectione Conciliorum acta Collationis Carthaginenſis, in qua Cæcilianus, & Felix ſe purgarunt ab objectis criminationibus.

Paucis rem delineo. Defuncto Menſurio Carthaginenſi Epiſcopo totius populi ſuffragio ſuffectus eſt Cæcilianus, & a Felice Aptungitano Epiſcopo ordinatus. Electioni reſiſtebant Boſtrus, & Celeuſius, qui

Epiſcopatum ambierant, eoque demum res devenit, ut coacto Conciliabulo aliquot Epiſcoporum (quos inter erat Donatus a Caſis nigris, Donatiſtarum antefignanus) Cæcilianum non comparentem Epiſcopi ii damnaverint duo ei objiciente crimina; Primum, quod a *Traditoribus* fuiſſet ordinatus. (*Traditores* ii ſunt dicti, qui in perſecutione ſuppliciis fracti, aut pœnarum metu deterriti libros, & ſacra vaſa paganis tradiderunt) Alterum, quod, cum eſſet Diaconus, victum afferri Martyribus, in carcere poſitis, prohibuiſſet. Poſt hæc *Majorinum* in locum Cæciliani ſubrogarunt. Sed Orthodoxi Epiſcopi Itali cum aliis quibuſdam favente Conſtantino M. Romæ in domo Fauſtæ in Laterano anno 313. congregati Cæcilianum abſolverunt, & Donatiſtas una cum eorum Principe Donato damnavere.

Donatiſtarum errores fuere ſequentes: Aſſerebant I. diffuſam toto orbe Eccleſiam, eoquod cum Cæciliano communicaret, corruptam defeciſſe, veramque Eccleſiam remanſiſſe in ſola Africæ Donati parte: hinc Sponſam dicere: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie? Cant. I. 6.* Africa enim ſitum obtinet verſus Meridiem. II. Verum baptiſma ſolum ſupereſſe in ſua Eccleſia, ideoque Catholicos ad eorum ſectam tranſeuntes novo tingebant baptiſmate. III. S. Euchariſtiam ceu rem profanam pedibus conculcabant, canibus eandem projicientes. IV. Sacrum Chriſma effundebant, atque (V.) conſecrationes, unctiones, & ordinationes factas a Catholicis, quos ſpurios meretricis Eccleſiæ miniſtros vocitabant, nullas, & invalidas eſſe contendebant. IV. Catholicorum Altaria evertebant; eorum calices confringebant; ſolos bonos in Eccleſia eſſe affirmabant, non vero malos. Denique Monachorum inſtituti hoſtes erant infenſiſſimi: *Merito*, inquit S. Auguſtin. in Pſal. 132. *illis diſplicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum Fratribus, ſed ſequentes Donatum, Chriſtum dimiſerunt.*

Numero eodem 2.), Quando Optatus ait, nullum ex Epiſcopis imperaſſe, ut lapſi Clerici genua figerent, indi-

indicare vult morem antiquum *Subſtrationis*, quæ fuit tertius olim gradus pœnitentiæ publicæ, quemadmodum diximus ſupra Cap. 3.

CAPUT VII.

De impoſitione manuum, & ſolemni pœnitentium reconciliatione.

XXIII. (*a*) „ INter omnes Eccleſiæ ritus, qui in ſacris myſteriis adhiberi ſolent, clara in primis, & ſequenti uſu notiſſima eſt manuum impoſitio. Nam & gentilibus manus imponitur, ut Chriſtiani fiant, & fidelibus baptizatis ut Spiritum ſanctum accipiant, & Clericis, cum ad ſacros Ordines initiantur, & ab hæreſi converſis, ut Catholicæ Eccleſiæ copulentur, & aliis non paucis. At in publicis pœnitentibus non una, ſed triplex fuit impoſitio mannum. „

Primo itaque imponebatur lapſis manus, quando ab Epiſcopo ad pœnitentiam agendam admittebantur; atque hæc impoſitio manuum erat pœnitentiæ publicæ veluti janua. De ea loquitur S. Leo Pontifex in Epiſtola ad Ruſticum ſupra laudata num. 21. Concilium item Agathenſe ea de re ſic habet Can. 15. (*a*) *Pœnitentes, inquit, tempore, quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum, conſequuntur. Si autem* (1.) *comam non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, & niſi digne pœnituerint, non recipiuntur.*

Secunda impoſitio manuum non ſimplex aut una fuit, ſed multiplex & diuturna, tamdiu nempe durans, quandiu pœnitentes a fidelium Miſſa excludebantur. De ea loquuntur Patres Toletanæ Synodi ter-

(a) *Sirmond. T.* 5. *col.* 496.

tiæ (2.) Canone XI. dum ſtatuunt, (a) „Ut ſecundum formam canonum antiquorum dentur pœnitentiæ: hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pœnitet facti, a communione ſuſpenſum faciant inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere: expleto autem ſatisfactionis tempore communioni reſtituant: „ quod ad tertiam ſpectat manuum impoſitionem. Ad ſecundam autem referendum eſt, quod habet Synodus IV. Carthaginenſis Can. 80. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a Sacerdote imponatur.*

Manuum impoſitionis ad Epiſcopo, & Clero faciendæ meminit quoque D. Cyprianus; objurgans enim Epiſtola X. (olim 14. Libri 3.) Presbyteros, & Diaconos ſuos, quod citra conſcientiam, ſive conſenſum Epiſcoporum temere pacem *lapſis dediſſent*, ita inter alia habet: (b) „ Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſi veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace ad communicationem admittuntur, & nomen eorum, & nondum pœnitentia facta, nondum exomologeſi finita, NONDUM MANU EIS AB EPISCOPO AUT CLERO IMPOSITA Euchariſtia illis datur. „

Et Epiſtola XII. (alias 16. lib. 3.) hæc habet: (c) „ Audio, inquit Cyprianus, quoſdam . . . . de Presbyteris, nec Evangelii memores, neque quid ad nos Martyres ſcripſerant, cogitantes, neque Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui, & Cathedræ ſervantes jam cum lapſis communicare cœpiſſe, offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, cum oporteat ad hæc per ordinem pervenire . . Nam cum in minoribus delictis,

quæ

(a) *Concil. Regior. edit. Pariſ.* 1644. *T. X. f.* 376.
(b) *Tom.* 3. *Collect. Sur. par.* 865.
(c) *Edit. Antuerp. pag.* 143. *T.* 1.
(d) *Ibidem pag.* 147.

quæ non in DEUM committuntur, pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat inſpecta vita ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo, & Clero manus fuerit impoſita, quanto magis in his graviſſimis, & extremis delictis caute omnia, & moderate ſecundum diſciplinam Domini obſervari oportet.

Tertia & poſtrema hæc fuit, quando pœnitentes decurſis rite pœnitentiæ ſtationibus reconciliationem conſequebantur, unde reconciliatoria impoſitio manuum dicebatur. De ea in Conc. Arauſicani I. Can. III. ita ſtatuitur: (*a*) Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatione eis communicari: quod morientis ſufficit conſolationi (*b*) ſecundum definitionem Patrum, qui hujuſmodi communionem Viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant. Concil. Carthagin. IV. Can. 78. ita habet: Pœnitentes, inquit, qui id infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint. (Tom. 5. Conc. Reg. fol. 547.)

XXIV. Per hanc igitur poſtremam manus impoſitionem lapſis pœnitentibus omne jus reſtituebatur ad oblationes, & ad ſacroſancta myſteria ſumptionem videlicet Euchariſtiæ, unde hæc impoſitio abſolute *reconciliatio* appellabatur. Notandum porro, duplicem fuiſſe olim reconciliationem; unam *Sacramentalem*, *Canonicam* alteram, *&* *ſolemnem*, quod ex proxime citatis Conciliis Arauſicano I. & Carthaginenſi advertere licet: dum enim Patres aſſerunt, moribundos ſine reconciliatoria manus impoſitione communionem, id eſt, Euchariſtiam accipere poſſe; aperte loquuntur de reconciliatione Canonica ſolemni ac Cæremoniali, non vero de Sacramentali: morientibus enim data non fuiſſet ſacra com-

(a) *Tom. 2. Collect. Sur. pag. 16.*
(b) *Alii legunt: reconciliationi.*

communio abſque reconciliatione ſeu abſolutione Sacramentali. Quod autem & alia fuerit reconciliatio videl. ſacramentalis, patet ex eo, quia lapſi pœnitentes exacto pœnitentiæ tempore ad S. Euchariſtiæ participationem admiſſi ſunt, ad quam ſine abſolutione ſacramentali accedere nefas fuiſſet.

XXV. Quod tempus ſpectat, quo reconciliatio publica peracta fuit, non una omnium Eccleſiarum fuit conſuetudo, ut bene advertit Sirmondus. (a) Romæ in Cœna Domini publicos pœnitentes reconciliari olim mos fuit. Patet id ex Epiſtola Innocentii I. ad Decentium, De pœnitentibus, inquit, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis dimittendum Eccleſiæ Romanæ conſuetudo demonſtrat. Ceterum in pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubeat dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Quam autem Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem vocat, non omnium videlicet hanc fuiſſe ſignificat. Quod item de Epiſcopi judicio ſubjungit Innocentius, argumento eſt, non omnes prorſus abſolutos tunc fuiſſe, ſed illos tantum, qui ſatisfeciſſe videbantur, ceteris dilatis.

Ceterum in pluribus aliis Occidentis Eccleſiis id, quod Romæ, tempus reconciliationis obſervatum fuit. Patet id in primis ex Can. 47. Conc. II. Cabilonen. celebrati ann. 813. In Cæna, inquit, Domini a quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur. Quæ quoniam eodem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibitum eſt, percipienda ſit, Eccleſiaſticus uſus demonſtrat, cum etiam pœnitentes eodem die ad percipienda corporis, & ſanguinis Dominici ſacramenta reconciliat. (b)

XXVI. Præterea id patet ex Herardi Archiepiſcopi Turonenſi Capitulis. Sæculo 9. Anno C. 858. Herar-

(a) *Tom. V. pag.* 502.
(b) *Conc. Reg. Tom. XX. fol.* 408.

rardus Turonenſis Epiſcopus ad reſtaurandam collapſam Eccleſiæ diſciplinam Presbyteris ſuis in Synodo congregatis Capitula centum quadraginta ex corpore SS. Canonum excerpta tradidit, quæ extant inter Baluzii Capitularia Tom. II. Capitulo XIV. Sic habet Herardus: „ Ut tempore opportuno publica crimina ad notitiam Epiſcopi deducantur, maximeque in die magno Cœnæ reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi, per proprium Presbyterum, vel per legatum ipſius, eundemque Presbyterum, cui cauſſa ipſius criminis bene habeatur cognita, ad præſentiam Epiſcopi deferantur, ne anima fratris negligentia vel otio Sacerdotis, abſque reconciliatione permanens, ejus periculo pereat. „

„ Manet hodieque, ait, Sirmondus Tom. 5. colum. 504. multis locis in Gallia priſci hujus moris exemplum in illis, qui oppreſſis per incuriam parvulis ſuis publicæ pœnitentiæ addicuntur, ejectique ex Eccleſia die Cinerum; eidem in Cœna Domini reſtituuntur. Quos quidem, ut pœnitentia publica re ipſa fungentes, in hoc ordine habendos ambigat nemo. Alia vero noſtrum omnium eſt ratio, cum recepto tota Eccleſia nunc more, ſacris cineribus primo jejuniorum die capita ſubmittimus, Epiſcopique abſolutionem adventante Cœna Domini ſuſcipimus. Quamquam enim publice fit utrumque, & ex publicæ pœnitentiæ ritibus profluxiſſe utrumque, & imaginem ejus aliquam referre perſpicuum fit, certum eſt tamen ad pœnitentiam publicam, de qua hic ſermo eſt, neutrum pertinere. „ Hec Sirmondus.

XXVII. Auctor Sermonis *de unctione Chriſmatis* inter opera D. Cypriani (a) loquens de die Cœnæ Domini (ut patet totum ſermonem legenti) ita habet: „ Paſſus eſt Rex illudi, & vita occidi, deſcendenſque ad inferos captivam ab antiquo captivitatem reduxit, hoc Eccleſiæ ſuæ hodierna traditione exemplum relinquens, ut fieret in Eccleſia ABSOLUTIO PECCATORUM,

(a) *Oper. D. Cyprian. Tom. 2. pag. 312. edit. Antuerp. 1542.*

RUM, & hæreditati redderentur ejecti, & Præcedentibus beneficiis ... libertate donarentur pœnitentes, qui ſecundum merita, niſi gratia ſubveniret, fuerant condemnati. Et omnino convenit, ut eo tempore, quo Chriſtus captivos eduxit ab inferis, RECONCILIATI PECCATORES AD ECCLESIAM REDUCANTUR.

Hæc autem reconciliatio a ſolo Epiſcopo, ut ſupra innuimus cap. 2. & neceſſitate aliqua urgente a Presbytero, cui Epiſcopus id muneris demandaſſet, peragi poterat juxta cap. *Presbyter inconſulto*, 26. q. 6. Hujus reconciliationis ritus deſcribitur in pluribus antiquis lib. *Pœnitentialibus*, atque a Sozomeno lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 16. Reconciliati ſordidis veſtibus, barba, crinibuſque depoſitis ornabantur cultioribus veſtimentis, exemplo Joſeph, quem ad imperium Regis e carcere educentes *totonderunt*, & *veſte mutata obtulerunt ei* (Regi videlicet) *Gen.* 41. v. 14.

N O T Æ.

Numero XXIII. 1.) Inter alias Cæremonias pœnitentiæ publicæ ea etiam fuit obſervata, ut videl. pœnitentibus viris coma detonſa fuerit; feminis vero capilli non tondebantur; quia, ut ait S. Apoſt. Paulus 1. Cor. 12. mulieres decet habere comam.

Numero eodem 2.) Synodus Toletana ordine tertia habita eſt Ann. Domini 589. ſeu Æra Hiſpanica 627. Æra enim illa quæ & Cæſaris dicitur, triginta octo annis Annum Domini antecedit, inchoans ab eo anno, quo Hiſpaniæ anni formam Julianum acceperunt, qui fuit ſeptimus ordinationis Julianæ, & ſextus a cæde Cæſaris. Æra igitur ſexcenteſima ſeptima eſt annus Domini quingenteſimus octogeſimus nonus. Sic numerandum in aliis Conciliis Hiſpanienſibus, ut videlicet ipſorum Æra ſemper triginta octo annis annum Domini antecedat.

CA-

C A P U T VIII.

Reſutantur cenſores pœnitentiæ publicæ; itemque ii, qui pœnitentes a Sacerdote non ſolvi, ſed ſolutos declarari aſſerunt.

XXVIII. Audiendi jam ii ſunt, qui pœnitentiam publicam inconvenientem fuiſſe autumant. Ajunt enim 1. Fas non eſſe Sacerdoti peccatum, quod in confeſſione audivit, extra prodere; per pœnitentiam vero publicam peccatum proditur. 2. Judicium tranſigi debet ſecundum conditionem fori; forum autem pœnitenliæ eſt ſecretum: ergo ſecreto debet totum peragi, proinde pœnitentia publicari non poterit. 3. Si pœnitentia publica, & ſolemnis eſſet licita, nulla eſt ratio, cur iterari non poſſet: peccata enim irerabilia ſunt: & tamen pœnitentia publica iterari non permittitur. 4. Pœnitentia omnes defectus revocat ad perfectum, ut ait Ambroſius; ſed agentibus ſolemnem pœnitentiam non eſt juridicum ad priſtinos redire honores.

XXIX Reſp. Nihil in contrarium his momentis modo prolatis evinci. Jam enim ſupra diximus, pœnitentiam publicam pro publicis dumtaxat criminibus impoſitam fuiſſe, proinde pœnitenti nulla fiebat injuria, cum ad famam ob publicationem delicti jus amplius nullum haberet. Si vero crimen occultum fuit, vel pœnitentia publica pro eo Injuncta non fuit, vel ſi hoc factum eſt, id fuit ex conſilio dumtaxat Confeſſarii; & ita caute ac circumſpecte impoſita fuit, ut nemo in notitiam criminis devenire potuerit. Vide quæ diximus Cap. II. n. 7. & Cap. V. n. 17. & 19. ſub fide. Adde, Eccleſiam nunquam non cautiſſime hic proceſſiſſe. Solum enim ii, qui publice atque cum ſcandalo multorum peccaverant; quique inſuper apud Judicem Eccleſiaſticum delati, & criminis convicti fuerant, aut etiam ſponte ſua crimina publice erant confeſſi, pœnitentiæ ſolemnis legibus addicebantur. Audiatur ea de re præclarum S. Auguſtini teſtimonium, quod habet hom. L. T. 10. cit. edit. pag. 207. Plerique,

que, inquit, boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpe deſeruntur, & ea, quæ ipſi ſciunt, judicibus eccleſiaſticis probare non poſſunt. Quamvis enim vera ſint quædam, non tamen Judici facile credenda ſunt, niſi certis indiciis demonſtrentur. Nos vero a communione prohibere quemquam non poſſumus (quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis) niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo, ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum. „

His præſuppoſitis, Reſpondetur ad I. cum Soto: Sacerdotem imponendo pœnitentiam publicam non ſolemnem crimen non detegere, quamvis ſuſpicio inde oriatur, aliquod enorme peccatum pœnitentem commiſiſſe; quia ob alias cauſſas poteſt illa opera pœnalia ſubire. Ut enim ſupra advertimus, c. v. n. 19. multi e Chriſtianis ſponte ſua pœnitentiæ publicæ opera in ſe ſuſcipiebant, nullo præcepto Judicis aut Sacerdotis ad hoc adacti, ex quo nulla infamia oriebatur. Præterquam quod, ut ibidem advertimus, caute, & circumſpecte pro occultis criminibus pœnitentia publica injuncta fuerit. Lege dicta Cap. 2. n. 7.

Ad II. dicit S. Thomas, quod pœnitentia ſolemnis, quamvis occulte eſſet injungenda in foro pœnitentiæ, nihilominus non erat neceſſarium, ut executio eſſet occulta, poſtquam peccatum in civitate ſcandalum ſeminaverat. „ Sed inquies cur non etiam imponebatur publice? Reſpondetur, quod non erat imponenda pœnitentia, niſi fieret ſacramentalis abſolutio a peccatis, & ideo reus confitebatur vel Epiſcopo, vel cui ipſe id commiſerat, & inter abſolvendum imponebatur illa pœnitentia ſolemnis. Hæc Soto. Hoc tamen ita limitandum eſt juxta dicta Capitis V. n. 17. ut videlicet tunc ſolummodo ab Epiſcopo pœnitentia publica reo confitenti dictari potuerit, quando crimen fuit publicum, & cum ſcandalo plurimorum patratum, vel quando reus ipſe, non convictus, in pœnitentiam publice peragendam conſenſum dederat.

Ad III. Reſpondetur, multiplicem rationem fuiſſe, quod

quod pœnitentia publica (1.) iterata non fuerit. Primo quidem, ne vileſceret, & timeri deſineret. Secundo propter ſignificationem, quia figura erat ejectionis Adæ de Paradiſo, quæ non fuit niſi ſemel facta. Tertio, & præcipue, quia erat ſolemnis quaſi Profeſſio, nunquam in illa peccata relabendi, propter quæ dictata fuerat pœnitentiá publica.

Ad IV. facilis eſt reſponſio. Dicimus enim, D. Ambroſium loqui de defectibus non quibuſcunque, ſed ſpiritualibus dumtaxat; hoc enim, non alios, revocat ad perfectum pœnitentia, dum hominem revocat in priſtinam gratiam.

Objicere quis ulterius poterit, nimirum fuiſſe veteris diſciplinæ rigorem, dum tamdiu, & publice quidem, pœnitere quis debuit. Sed qui talia dicit, nimiï rigoris DEUM accuſet oportet, dum Adamum ob unius vetiti fructus comeſtionem Paradiſo ejecit, & nos ejus poſteros primæ illius tranſgreſſionis effectum ſentire hodiedum permittit. Pœnitentia vero Eccleſiæ ut ſevera, dictata ſolummodo fuit pro delictis atrociſſimis, iiſque publicis: jure igitur ille, qui ſuo facinore aliorum oculos offendit, talione dignus fuit. Deinde rationi conſentaneum vel maxime fuit, ut per manifeſtam infamiam cohibitus is fuerit, qui publice crimina perpetrare non erubuit, ne videlicet iterum ſimilia perpetret, & quos ſuo exemplo in malum induxit, ſuo etiam ſupplicio exterreat, ne illum ſequantur. Unde adhuc & noſtro ævo publice in Eccleſia ii caſtigantur qui lapis offenſionis ſcelerata ſua vita aliis fuerunt. Immo peccat Superior ille, qui poſt admonitionem notorium peccatorem non emendatum publice non punit. Confeſſarios autem hac in re cautiſſimos eſſe oportet, ne in ſecreto foro conſcientiæ pœnitentias illas dictent, ex quibus alii ſuſpicari facile poſſunt, pœnitentem deliquiſſe mortaliter.

XXX. Eos nunc aggredior, qui Eccleſiæ Catholicæ litem movent, aſſerendo: peccata hominum a Sacerdotibus non ſolvi, ſed ſoluta eſſe dumtaxat ab iiſdem declarari; ſolum DEUM peccata remittere, adeoque

Mi-

Miniſtris Eccleſiæ poteſtatem eam ſolam eſſe, ut peccata remiſſa pronuntiet, ubi DEO pœnitentem ſatisfeciſſe perſpexerit. Si quæras, quinam ii ſint, qui ita ſentiant? Reſpondeo, eſſe Lutheri aſſeclas, qui umbram & confeſſionis, & abſolutionis retinuere, dum interim Calviniſtæ tam confeſſionem, quam abſolutionem ſuſtulerunt, quod & olim Novatianos hæreticos factitaſſe ſæculo Eccleſiæ III. Hiſtoria memorat Eccleſiaſtica.

Non eſt animus apertis Scripturæ teſtimoniis adverſarios refellere, tum quod Hiſtoriam me ſcribere meminiſſe debeam; tum & præcipue, quia eadem in ſuum depravatum ſenſum vi omni, & niſu trahunt, quæcunque iis depromſero: ſolum igitur, quæ venerandæ antiquitatis circa hoc punctum mens fuerit, paucis oſtendam.

S. igitur Auguſtinus, quem Novatores quoque ſumme eſtimant, quique Chriſtianæ & antiquæ Religionis vindex fuit acerrimus, in fine Homiliæ ultimæ ſententiam Catholicorum diſertis his verbis exprimit: „ Quis certus eſt, inquit, (a) quod Imperator ignoſcat? Et tamen pecunia funditur, maria tranſmeantur, procellarum incerta ſulcantur, & pene, ut mors evitetur, mors ipſa ſuſcipitur. Supplicatur deinde per hominem homini. Sine dubitatione fiunt iſta, cum ſit dubium, quo fine proveniant. Et tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ, quam corda Regum, quibus clavibus quodcumque in terra ſolvitur, etiam in cælo ſolutum promittitur, & multo eſt honeſtior utilitas; qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ DEI, & labor minor imponitur, & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. „ Audis Auguſtinum dicere, per abſolutionem, quæ fit in Eccleſia, hominem eripi æternæ morti; tu dicis, Sacerdotem pronunciare tantum, peccata eſſe remiſſa, cum DEI ſolius ſit, nodos peccatorum ſolvere. Id ipſum dicebant & olim Novatiani. Quare quæ in illos diſputata ſunt, in Lutheranos pariter cuncta conveniunt

Au-

(a) *Tom.* 10. *fol.* 208. *edit. Pariſ. A.* 1586.

Audiamus igitur, quæ contra Novatianos Pacianus & D. Ambroſius ſcripta nobis reliquerint.

In primis Pacianus (2) in epiſt. ad Sympronianum contra Novatianos hæc babet: „ Nunquam Deus, inquit, (a) non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitentis. Solus hoc, inquies, poterit Deus. Verum eſt. Sed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cælis, & quæcunque ſolveritis in terris, ſoluta erunt & in cælis? Cur hoc, ſi ligare hominibus non licebit? An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & Spiritnm ſanctum dare ſolis, gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam Apoſtolis imperatum eſt. Quodſi uno in loco, & reſolutio vinculorum, & Sacramenti poteſtas datur; vel totum ad nos ex Apoſtolorum forma, & poteſtate deductum eſt, aut nec illud ex decreto relaxatum eſt. „ Et in epiſt. 3. „ Quare ſive baptizamus, inquit, (b) ſive ad pœnitentiam cogimus, ſeu veniam penitentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus. „ Docet igitur Pacianus, hominem & relaxare peccata, & auctore DEO relaxare. Sacerdos ergo Chriſti miniſter, & vicarius eſt, poteſtateque ſubordinata peccata dimittit.

S. vero Ambroſius L. 1. de Pœnitentia cap. 7. (c) Novatianos alloquens, „ Cur baptizatis, inquit, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo utique remiſſio omnium peccatorum eſt. Quid intereſt, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque miniſterium eſt. Sed dicis, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitentia, nonne nomen Domini operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis DEI gratiam; ubi vultis, repudiatis. „ Hoc ſibi dictum exiſtiment Novatores.

XXXI.

(a) *Biblioth. TT. Tom. IV. edit. Lugd. fol.* 306. *col.* 2. *H.*
(b) *Cit. edit. fol.* 310. *col.* 2. *H.*
(c) *Edit. Pariſ.* 1569. *pag.* 173. *C.*

XXXI. Confirmatur amplius veritas fidei noſtræ, quâ peccata vere a Sacerdote dimitti profitemur, ex S. Cypriano, antiquiſſimo Eccleſiæ Patre. Crebro is docet contra Novatianos, lapſis vere pœnitentibus pacem dandam eſſe, per quod aliud non intelligitur; quam ut lapſi pœnitentes per ſacerdotes, & Epiſcopos a peccatis abſolvantur, ſacraque communione reficiantur. Patet id clariſſime ex Concilio Africano, ex quo Patres triginta ſeptem (ut notatur in edit. ſæpe citat. Antverp. p. 4.) eorumque Præſes Cyprianus ad Cornelium Papam (*a*) epiſtolam exararunt, in qua pacem lapſis dandam eſſe affirmabant. Inter alia ita habent: „ Nec enim, inquiunt, fas erat, ut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus, & deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſæculo recedentes ſine communicatione aut pace Domini dimitterretur; cum permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cælis ligata eſſent, ſolvi autem poſſent illic, qui hic prius in Eccleſia ſolverentur. „ Poſt pauca interjecta Euchariſtiam quoque lapſis ſed pœnitentibus dandam eſſe pronunciant.

In Tractatu *de lapſis*, cit. edit. pag. 546. hiſce mentem ſuam iterato aperit Cyprianus: „ Confiteantur ſinguli, inquit, quæſo vos fratres delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & PRÆMISSIO FACTA PER SACERDOTES, apud Dominum grata eſt. „

Hoc loco minime obſcuro Cyprianus a Sacerdote remiſſionem peccati fieri, eamque DEO gratiam eſſe ſatis inſinuat. Si Novatores dicant, intelligendum eſſe Cyprianum, Sacerdotem declarare aut annuntiare ſolum, peccata eſſe remiſſa, vim inferunt verbis alioquin clariſſimis.

XXXII. Denique præter alios PP. quos longum eſſet

(a) *In Nova edit. eſt inter epiſt. D. Cypriani ordine* 54.

ſet referre, S. Joann. Chryſoſtomus L. 3. de Sacerdotio c. 5. (a) demonſtrat maximam Sacerdotum dignitatem, ex quo Deus optimus ipſis tantum, non autem Angelis, aut Archangelis dixerit: *Quæcunque alligaveritis in terra, &c.* ac; *Quæcunque remiſeritis peccata, &c.* Unde infert, habere illos ampliorem, quam habeant terreſtres Principes, poteſtatem, quoniam hi ſolvunt vincula dumtaxat corporis; „ Id autem, inquit ibidem, quod ſolvunt Sacerdotes, ipſam animam contingit, atque ad cælos uſque pervadit. „ Sequenti capite demonſtrat, quantum Judæorum Sacerdotibus novæ Legis Sacerdotes ſint præferendi, cum illis datum ſolummodo fuerit corporis lepram purgare, immo verius ne purgare quidem, ſe purgatos probare; „ At vero noſtris, inquit, (b) Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. „ Similia docet in c. 20. Joannis, & poſt eum Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, aliique e Græcis PP.

Ex modo dictis perſpicuum eſt, SS. PP. Græcos æque ac Latinos ſemper docuiſſe, Sacerdotes revera peccata dimittere *poteſtate accepta* a Chriſto, etſi fatendum ſit, Deum *primario, & principaliter* eadem condonare.

N O T Æ.

Numero XXIX. 1.) Pœnitentia publica una fuit; hoc eſt, ſemel tantum impoſita: qui vero ea ſemel perfuncti, in eadem, aut graviora peccata incidebant, eis non penitus ſpes veniæ denegata fuit, ſed toto vitæ ſuæ tempore a ſacræ menſæ ſive Euchariſtiæ participatione remoti, ſecreta pœnitentia caſtigabantur, & in fine tantum veniam obtinebant. Pœnitentiam vero ſemel tantum fuiſſe injunctam, patet ex epiſtola S. Auguſtini ad Macedonium, ordine 54. „ In tantum, in-

(a) *Tom. V. edit. Pariſ. A.* 1588. col. 433.
(b) *Cit. edit. columna* 434.

inquit, hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel graviora committant .... Quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ (id eſt publicæ) non concedatur; Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur. „ Et ibidem poſt pauca: „ Quamvis ergo caute ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere DEO? Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? &c. „

Porro quod S. *Euchariſtia* taliter relabentes uſque ad vitæ terminum privati fuerint, edocet nos epiſt. 1. S. Siricii Rom. Pontificis ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 5. ubi ita decernit: „ De quibus (intellige poſt peractam pœnitentiam publicam *relabentibus*) quia jam non habent ſuffragium pœnitendi (nempe publice) id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint: a dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubvenire. Quam formam & circa mulieres, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus. „ S. Siricius Papa vixit ſæculo IV. migravit ad Dominum Anno 398.

Numero XXX. 2.) Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis vixit ſæculo Eccleſiæ quarto circa ann. D. 360. De eo hæc habet D. Hieronymus in Catalogo Script. Eccleſiaſt. T. 4. edit. Pariſ. 1706. part. 2. col. 125. „ Pacianus, inquit, in Pyrenæi montibus, Barcinonæ Epiſcopus, caſtitate, & eloquentia, & tam vita quam ſermone

mone clarus, ſcripſit varia opuſcula, de quibus eſt *Cervus*, & contra Novatianos (*epiſtolas tres*). Sub Theodoſio Principe jam ultima ſenectute mortuus eſt. „

CAPUT IX.

De abrogatione Pœnitentiæ publicæ.

XXXIII. IN Eccleſia Orientali pœnitentiam publicam ſæculo quarto ſublatam fuiſſe, Auctores non pauci aſſerunt. Moventur ex facto, quod narrant Socrates, & Sozomenus, & nos ſupra c. 4. retulimus. Rem paucis repeto. Matrona quædam nobilis ob peccata, quæ confeſſa fuerat, juſſa a presbytero jejunare ac Deum ſuppliciter exorare; dum hujus rei cauſſa in Eccleſia moraretur, a Diacono ſe ſtupratam eſſe prodidit. Nectarius (*a*) vero Conſtantinopolitanus Patriarcha presbyterum ſuſtulit; qui præpoſitus erat pœnitentiæ, ob flagitium illud a Diacono perpetratum. Ex hoc igitur Nectarii facto, quod Presbyterum pœnitentiarium ſuſtulerit, Catholici arguunt, in Oriente tempore Nectarii deſiiſſe pœnitentiam publicam; Hæretici vero & Novatores pœnitentiam quoque ſecretam ab eodem Patriarcha abolitam fuiſſe aſſerunt. Sed hos falli perſpicuum eſt. Ante enim, & poſt tempora Nectarii Confeſſiones ſecretæ frequentabantur in Eccleſia Orientali. Quod vero Nectarius ſuſtulerit presbyterum, pœnitentiis præpoſitum, accipiendum id eſt de Presbytero, præpoſito pœnitentiæ PUBLICÆ, cujus officium erat attendere, an juxta canones pœnitentiæ perſolverentur. Erant & alia hujus pœnitentiarii munia, invigilare videlicet ſanctitati morum cenſoria quadam, & publica auctoritate, excipere depoſitiones teſtium, qui de patrato facinore reum accuſabant, reum ad ſe vocare, cum teſtibus conferre, &c. denique deſignare peccata quædam publice caſti-

(*a*) *Theophanes in Chronico.*

ſtiganda. Præter illum vero pœnitentiarium presbyterum alios plures Sacerdotes excipiendis Fidelium confeſſionibus præfectos fuiſſe nemo in dubium vocare poteſt. An enim unus par fuiſſet excipiendis confeſſionibus tam numeroſæ plebis in Urbe Conſtantinopolitana? Plures ergo ad confeſſiones audiendas deputati erant Presbyteri, ex quibus unum advocavit morti proximus Serapion, in perſecutione lapſus, dixitque: (a) *Properate, quæſo, & me quantocius abſolvite: Acceſſe mihi unum ex Presbyteris*. Licet namque per Nectarium ſubmotus fuerit *unus* Presbyter, qui pœnitentiæ publicæ præpoſitus fuit, at quomodo probabunt, quod *alii omnes* pœnitentiarii ab excipiendis confeſſionibus prohibiti fuerint? Igitur ſublato per Nectarium Presbytero pœnitentiario *extinctus* idcirco non fuit uſus confeſſionis ſecretæ in Eccleſia Conſtantinopolitana, ut mox oſtendam pluribus, immo nec pœnitentiæ publicæ pro delictis gravioribus, ut numero ſequente demonſtrabimus. Reſorbeant ergo Calviniani, quod in nos eorum Magiſter Calvinus l. 3. Inſtitutionum cap. 4. impudenter effutiit, videl. *Hic, hic aures aſini iſti arrigant. Si lex Dei erat auricularis confeſſio, qui auſus eſſet Nectarius eam, refigere, ac convellere?* Nuſquam probabitur, auricularem confeſſionem ſublatam fuiſſe a Nectario.

Dices: S. Chryſoſtomus, qui proxime poſt Nectarium Sedem Conſtantinopolitanam tenuit, Homilia V. *de Incomprehenſibili* aperte ait: „ Non te in (1.) theatrum conſervorum tuorum duco: non te hominibus peccata tua detegere cogo: coram Deo conſcientiam tuam explica. „ Idem repetit variis in locis.

R. Chryſoſtomum in iis locis hoc unum velle; peccata videlicet aperienda non eſſe coram populi multitudine. *Non te hominibus*, inquit, *peccata tua detegere cogo*; nullibi vero dicit; *ne crimen tuum detegas Sacerdoti Miniſtro Chriſti*; ad quid enim extuliſſet ita poteſtatem Sacerdotalem, ut eam regiæ præferat, ut ſupra monuimus? „ Ille (b) quidem ea, inquit S. hic Doctor

(a) *Euſeb. l. c.* 44.
(b) *[illegible]quitur de Ozia Rege.*

ctor Homil. 4. de verbis Iſaiæ (*a*) quæ ſunt in terris, ſortitus erat adminiſtranda, ſacerdotii jus e ſupernis deſcendit. Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo . . . Regi corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, ſacerdos autem maculas peccatorum. „ Denique cur ſui oblitus Homilia 33. in Matthæum ſcripſiſſet, omni cura ante communionem a fidelibus recipiendam eſſe reconciliationem, *atque hujus rei cauſſa in Eccleſia ſedere Presbyterum* ? (*a*) Accedit, Chryſoſtomum ſæpius peccatores exhortari ad deponendam verecundiam, qua detinentur, ne ſua peccata confiteantur, atque ad id utitur comparatione extremi Judicii, quæ in eo ſita eſt, quod longe major erit erubeſcentia traduci univerſo terrarum orbe ſpectante, quam ſit, uni homini ſcelus detegere, prout habet in Homilia *de Samaritana*. Nomine ergo confeſſionis Deo factæ Chryſoſtomus intelligit confeſſionem factam Sacerdoti *ſecreto*; juxta enim Chryſoſtomi, aliorumque Græcorum crebram phraſin ea, quæ per ſacros miniſtros exercentur, fieri dicuntur a ſolo Deo, quod paſſim in eorum operibus deprehendetur. Deinde ſi Chryſoſtomus non eſſet intelligendus eo quo diximus modo, ſibi ipſi contradiceret, ut ex hactenus priore, & iſto capite dictis conſideranti patebit. Falluntur ergo, qui ceſſaſſe Conſtantinopoli privatam confeſſionem poſt Nectarium affirmant. Perſeveraſſe namque, ſæculiſque ſequentibus ſtetiſſe Synodus VI. (2.) comprobat, cujus Canon ultimus Sacerdotum erga pœnitentes, quæ ſint partes, & officia, deſcribit. Nec deſunt exempla confeſſionem privatam frequentantium. Unum referam de Platone ex Theodoro (3.) Studita, qui in epitaphio dicti Platonis eundem ita laudat: (*c*) „ Etenim, inquit, quo ludo divinas lectiones, quibus attentus erat, pro theatris, & ſpectaculis Eccleſias frequentabat, pro

Nn 2 in-

(a) *Tom.* 5. *cit. edit. col.* 1302.

(b) *Tom.* 2. *cit. edit. col.* 259.

(c) *Surius* 16. *Decembr. in Vit. Sanct. p.* 919. *edit. Colon.* 1575.

inhoneſtis diverſoriis honeſta collegia. Quodque laudabilius eſt, occultas mentis cogitationes, & acta quidam eorum, qui præerant, ſæpius confitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium, idque cum perfecte facere ſolitus eſſet, ei qui confeſſionem ipſius audiebat, admirationem, & ſtuporem adferebat." S. Plato floruit ſæculo IX.; anne quæſo in Eccleſia Orientali a ſæculo IV. confeſſionem ſecretam dici poteſt ceſſaſſe?

XXXIV. Diximus ergo contra Novatores, pœnitentiam ſecretam, ſeu confeſſionem auricularem ſublatam non eſſe a Nectario; indagandum reſtat, an publica ſaltem prohibita ab eo fuerit, dum officium Presbyteri Pœnitentiarii ceſſare fecit. Sunt, qui affirment, aliis econtra negantibus. Nos *breviter dicimus*, pœnitentiam canonicam non pro omnibus, ſceleſtiſſimis præcipue & publicis peccatoribus fuiſſe abrogatam. Patet id 1. ex Homil. 3. in epiſt. ad Epheſios, & 12. ad Hebræos S. Chryſoſtomi, Nectarii ſucceſſoris immediati, ut jam advertimus; 2. patet ex Synodi Trullanæ ſeu Quiniſextæ (4.) Can. 87. de maritis, uxorem legitimam repudiantibus, & ducentibus aliam, ita ſtatuentis: „A Patribus noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt ejuſmodi, annum defleant, biennio (a) audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur." Errare igitur eos opinor, qui a tempore Nectarii *ſolam conſiſtentiam* in Oriente fuiſſe in more aſſerunt. Quo demum ſæculo in Oriente ceſſarit pœnitentia illa ſolemnis, incertum eſt.

XXXV. In Occidentali autem Eccleſia quo tempore deſierit pœnitentia publica, æque incertum manet. Poſt ſeptimum Eccleſiæ ſæculum in libris Pœniten*tialibus*, decretiſque ſummorum Pontificum ſolemnium illorum graduum nulla amplius mentio reperitur. Pœnitentiæ tamen publicæ, ſine iſtis gradibus peragendæ, ſæculo præſertim nono crebra fit mentio. Succeſſu temporis pœnitentia publica in deſuetudinem demum abiit; qua de

(a) *Rom. edit.* 1748. *pag.* 475.

de re ſuo more perquam erudite diſcurrit Benedictus XIV. qui modo Eccleſiæ Chriſti laudatiſſime præeſt, Operum ſuorum Tomo XII. de Synodo Diœceſana L. VII. c. 52. „ Cum, inquit, tepeſcente caritate cœperint homines a ſeveris jejuniis, aliiſque corporis macerationibus abhorrere, quibus pœnitentes affligebantur, ex ſingulari quadam Eccleſiæ indulgentia illis conceſſum fuit, ut prædictas pœnas poſſent arbitrio ſuo redimere, atque in eleemoſynas commutare: hujus diſciplinæ, quam non ante ſæculum octavum in Eccleſiam invectam neque ante nonum propagatam putat Morinus *de Pœnit. lib.* 10. *Cap.* 17. monumentum occurrit in Concilio Triburienſi anni 895. *can.* 56. 57. & 58. (*tom.* 6. *par.* 1. *collect. Harduini col.* 457.) quibus in locis venia datur Pœnitentibus, redimendis quorundam dierum jejunium, in plures annos ſibi præſcriptum, *uno denario, vel pretio denarii, ſive tres pauperes pro nomine Domini paſcendo*, & magis aperte in Concilio Remenſi anni 923. ubi poſt indictum militibus, qui interfuerant bello Sueſſionenſi, inter Robertum. & Carolum Reges acto, cujuslibet feriæ ſextæ, & trium Quadrageſimarum per tres annos jejunium, redimendi eleemoſynis: *Omnibus his tribus quadrageſimis ſecunda, quarta, & ſexta feria, in aqua, pane, & ſale abſtineant, aut redimant* (*collect. Hard. tom.* 6. *par.* 1. *col.* 562.) Neque ea diſciplina diſplicuit Petro Damiano, priſtinæ ſeveritatis ceteroquin tenaciſſimo: Is ſiquidem commiſſa ſibi a Romano Pontifice Legatione fungens, Guidoni Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſimoniacis Ordinationibus, aliarumque rerum ſacrarum nundinationibus implicato, pœnitentiam injunxit centum annorum, ſed ſimul libertatem dedit illius redimendæ, certa pecuniæ eleemoſyna, in annos ſingulos erogandæ, quod ipſemet Damianus ſcripſit ad Hildebrandum tum Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum apud Baronium *ad ann.* 1059. *n.* 55. Eundem vero morem adhuc perſeveraſſe in fine duodecimi, atque initio decimi tertii ſæculi, colligitur ex variis libris Pœnitentialibus, ea ætate exaratis, quos producit laudatus Morinus *eodem cap.* 17. *num.* 6. *& ſeqq.* & evidenter conſtat ex

epiſtola Innocentii III. *tom. 1. epiſtolarum ex recenſ. Steph. Baluzii pag. 517. l. 2. epiſt. 270. Archiepiſc. Magdeburgenſi, & Suffraganeis ejus, Abbatibus &c. in Magdeburgenſi Eccleſia conſtitutis* data pro bello ſacro, in qua hanc illis, inter ceteras, impertitur facultatem, nimirum: *ut iis, qui de Bonis ſuis Terræ Sanctæ voluerint ſubvenire, de diſcretorum virorum conſilio, qualitate perſonarum, & rerum facultate penſatis, ac conſiderato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare poſſitis in opus eleemoſynæ faciendæ.* Sed poſteriori ætate, quemadmodum idem Morinus obſervat, cum obſoleverint pœnitentiæ canonicæ, conſequens fuit, ut obſoleſceret etiam earundem redemptio, de qua nullum verbum fecere antiqui Scholaſtici, etſi de variis ſpeciebus relaxationum pœnitentialium multa diſputaverint. „ Hucuſque eruditiſſimus Pontifex, cujus diſcurſui ſequentia pauca ſuperaddo.

XXXVI. Primis Eccleſiæ ſæculis ſevere in peccatores animadvertebant Epiſcopi, ut dicebam initio, tenebanturque pœnitentes illas quatuor, de quibus dictum eſt capite tertio, ſtationes emetiri. Proceſſu temporis, ſæculo præſertim circiter nono, etſi veſtigia pœnitentiæ publicæ occurrant quam plurima, de illis tamen ſupra dictis gradibus mentionem nullam etſi tenuem reperire eſt. Laxata dein Eccleſiæ paullatim diſciplina, redemptio ſeu commutatio pœnitentiæ uſu recepta eſt, ſicque canones ac regulas pœnitentiæ publicæ aliter ac veteres interpretabantur poſteriores. Adultero, exempli cauſſa, viginti annorum pœnitentiam injungebant canones, eamque pro reatuum multitudine non multiplicabant veteres. Poſterioribus autem ſæculis, undecimo præcipue, ſi quis quinquaginta adulteria commiſiſſet, mille annorum pœnitentiæ debitor reputabatur, quam pro anguſtia vitæ cum exſolvere non poſſet, pœnarum fiebat commutatio, ita ut eam vel ingentibus eleemoſynis, vel Pſalmorum cantu, & crebra flagellatione suppleret. Ex his autem intelligimus, quid ſit mille annorum indulgentia, ſcilicet pœnæ mox expoſitæ relaxatio: non abſoluta quidem, ſed impoſitis aliis pœnis minoribus, oblatiſque DEO

in compenſationem ſuperabundantibus Sanctorum ſatisfactionibus, ut ejus miſericordiæ, intuitu & virtute paſſionum Chriſti, (*a*) EX QUIBUS OMNIS NOSTRA SATISFACTIO SUUM VALOREM TRAHIT, hanc pœnam cum culpa relaxaret.

Inſigne Pœnitentiæ exemplum ſæculo XI. refert Petrus Damianus de S. Dominico Loricato, inculpatæ, & integerrimæ vitæ Monacho, qui hanc conſuetudinem habebat, ut vix dies ulla præteriret, quin duo Pſalteria modulando, utraque manu ſcopis armata, nudum corpus alliderct. Centum autem annorum pœnitentiam ſic explebat. „ Cum tria ſcoparum millia, inquit Damianus, (*b*) unum regulariter expleant: decem autem Pſalmorum modulatio mille ſcopas admittat, qui igitur centum quinquaginta Pſalmos Pſalterii ſic ſe flagellando recitabat, quinque annorum pœnitentiam abſolvebat: ac conſequenter, qui viginti Pſalteria cum diſciplina decantabat, centum annorum pœnitentiam peragebat. Dominicus autem in eo pleroſque ſuperabat, quippe qui utraque manu infatigabiliter corpus percutiebat. Ejuſmodi vero pœnitentiam (videlicet centum annorum) ſex diebus facile conſummabat. „ Ex dictis innoteſcit unus paullo ſeverior centum annorum pœnitentiam commutandi modus. Sed hæc de abrogatione, & univerſim de Hiſtoria Pœnitentiæ publicæ dicta ſint ſatis.

N O T Æ.

Numero XXXIII. 1.) Theatri nomine, quod hic uſurpat Chryſoſtomus, intelligitur locus publice pœnitentibus deſignatus. Antiquitus enim his pœnitentibus imperatum fuit, Sozomeno teſte apud Sirmond. Tom. 5. col. 500. *Vult in Theatro peccata ſua ſub plebis in Eccleſia teſtimonio confiteri.* Hoc ego noluit Chryſoſto-

(a) *Hallucinantur, aut verius, mentiuntur Novatores, dum ajunt, Paſſionem, & merita Chriſti a nobis ſperni, & conculcari; & ſpem unicam ſalutis nos ponere in meritis, & operibus propriis.* (b) *Lib. 6. epiſt. 30.*

ſoſtomus, ne videl. velut in theatro pœnitentes amplius ſua peccata publice proferrent; idque haud dubie ob caſum illud ſtatuerat, quo femina ſtuprum in Eccleſia ſibi illatum imprudenti ex zelo publice coram populo confeſſa eſt. Vide dicta ſuperius. Hic ergo Chryſoſtomi textus potius pro nobis quam Novatoribus militat; ex eo enim inferre debemus, ſi conſequenter loqui velimus, Chryſoſtomum, dum ait: *Non te in theatrum conſervorum tuorum duco, non te hominibus peccata tua tegere cogo &c.* loqui de confeſſione publica, ad quam ob verecundiam nimiam neminem cogere intendit.

Eodem Numero 2.) Synodus generalis VI. Conſtantinopoli terminata eſt a. C. 681. ſub Conſtantino Pogonato, Imperatore piiſſimo, & S. Agathone Romano Pontifice. In ea condemnati ſunt Monothelitæ, ſeu unam in Domino Chriſto voluntatem aſſerentes. Canones quidem hæc Synodus non edidit, ſuppleti tamen ſunt in alia Synodo Conſtantinopoli habita, quæ Trullana, ſeu Quini-Sexta dicitur. Et licet hujus Trullanæ Synodi canones non omnes approbatos ſciamus; tamen nec omnes reprobati ſunt. Interim ex ultimo ſeu centeſimo ſecundo ejus Concilii Canone patet, ſæculo VII. Confeſſionem ſecretam adhuc in Eccleſia Orientali in uſu fuiſſe; proinde decipiuntur aut decipiunt Novatores, dum tempore Nectarii ſæculo Eccleſiæ quarto eandem jam defiiſſe affirmant. Citato porro Canone habetur. Sacerdotem in ſacro tribunali expoſitum *conſiderare* debere *peccati qualitatem, & ejus, qui peccavit, ad converſionem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem afferre medicinam, ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus qui laborat, ſalute excidat*. Utrumque extremum cavendum, ne ſcilicet *per deſperationis præcipitia impellat* peccatorum: & ne *ad vitæ diſſolutionem, & contemptum fræna relaxet. Sed una quidem omnino ratione, ſive per acriora, & adſtringentia, ſive per meliora & leviora medicamenta* pravæ *affectioni reſiſtendum, & ad ulceris obductionem admittendum, fructus pœnitentiæ examinandos, & ſapienter diſpenſandum, & gubernandum hominem, qui*

ad

ad ſuperiorem illuminationem vocantur. Utraque ſcire deberet Confeſſarius. *Et quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis. In iis autem, qui extrema non admittant, ſequi formam traditam, quemadmodum S. nos docet Baſilius.*

Numero XXXIII. 3.) S. Theodorus Studita floruit ſæculo 9. circa anno 800. Dimicavit contra hæreſim Iconoclaſtarum, & aliam, quæ defendebat, adulterium poſſe fieri licitum ex diſpenſatione, uſque ad exilia, carceres, & ſupplicia varia. Scripſit epiſtolas plurimas, catecheſes, & Homilias, itemque vitam S. Platonis Abbatis, & prædeceſſoris ſui, de quo teſtimonium ejuſdem Studitæ produximus. Vocatur Studites ſeu Studita, quia Abbas fuit Monaſterii in Conſtinatinopolitana civitate, quod *Studium* vocabatur. Migravit ad Dominum ann. C. 826. Ejus nomen Martyrologio Romano adſcriptum eſt ad diem 12. Novembris.

Numero 4.) Annis aliquot poſt VI. Synodum, Juſtiniano Conſtantis filio imperante, Synodus Conſtantinopolim convocata eſt ob canones condendos ad reſtaurationem diſciplinæ, morumque reformationem. Hanc Synodi cauſſam indicans Epiſcopi, qui ad illam convenerunt, in ſua ad Imperatorem allocutione: *Quoniam autem*, inquiunt, *Sanctæ & univerſales duæ Synodi* (V. nimirum & VI.) *ſacros canones nequaquam conſcripſerunt, ſicut reliquæ ſanctæ quatuor univerſales Synodi, per quos populi quidem a deteriore, & abjectiore vivendi ratione recedant, ad meliorem autem, & altiorem vitam ſe traducant . . . . Propterea ergo tuæ Pietatis juſſu in hac DEI obſervatrice, & imperante Urbe congreſſi, ſacros Canones ſcripſimus.* Celebrata eſt hæc Synodus in *Trullo* magni Palatii, id eſt, ſub Regiæ cuppula vel lucerna. Quini-Sexta vocatur, quod velut ad ſupplementum Synodorum quintæ & ſextæ facta ſit. Omnes ejus Canones a Romanis Pontificibus approbati non ſunt, non omnes tamen reprobati. De eadem Synodo vide plura apud Natal. Alexandrum Hiſt. Eccleſ. Sæcul. VII. Diſſertatione 3. Edit. Pariſ. 1680. a pag. 360.

APPENDIX.

Canones Pœnitentiales.

CUM horum Canonum notitia ex mente S. Caroli Borromæi, Summi Pontificis Benedicti XIV., aliorumque complurium Virorum judicio perutilis Conſeſſario ſit, non omnes autem forte eos ad manus habeant, ideo ad complementum præſentis opuſculi quoſdam ex iis Canonibus pœnitentialibus, quos S. Carolus compilavit, (a) & in lucem edidit, excerpere viſum eſt, eo ſervato ordine, quam Sanctus prædictus tenuit.

PRÆCEPTUM I.

Dominum DEUM tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUI a fide Catholica deſciſcens, intimo, ſummoque prævaricationis ſuæ dolore affectus, ad Eccleſiam redierit, pœnitentiam aget annis decem; quo temporis ſpatio decurſo, ei communio præſtari poteſt.

Qui vel ſegetibus faciendis, vel ædibus extruendis, arboribus conſerendis, vel nuptiis contrahendis, inanem ſignorum fallaciam obſervaverit, pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Qui auguriis & divinationibus ſervierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens ſit annos ſeptem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos conſuluerit, quive domum ſuam induxerit

gerit aliquid arte magica exquirendi cauſſa, in pœnitentia erit annos quinque.

PRÆCEPTUM II.

Non aſſumes Nomen DEI tui in vanum.

CANONES POENITENTIÆ.

QUicumque ſciens pejeraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos pœniteat. & nunquam in teſtimonium recipiatur, & poſt hæc communionem percipiat.

Si quis ſeductus ignorans pejeravit, & poſtea cognoſcit, pœnitentiam aget annum unum, vel quadrageſimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium, ut falſum juret, 40. dies in pane & aqua, & 7. annos in pœnitentia erit.

Si quis per capillum DEI, aut per caput ejus juraverit, ſi ſemel neſciens fecerit, pœnitentes aqua & pane ſeptem dies victitet: ſi ſecundo ac tertio monitus idem fecerit, dies 15.

Si quis per Cælum, aut per aliam aliquam creaturam juraverit; dies itidem quindecim.

Si quis blaſphemat, tamdiu pœnitens erit, quamdiu impœnitens permanſit.

Si quis DEUM, vel B. Mariam Virginem vel aliquem Sanctum publice blaſphemaverit, præ foribus Eccleſiæ ſeptem diebus Dominicis in manifeſto, dum Miſſarum ſolemnia aguntur, ſtet: ultimoque ex illis die ſine pallio & calceamentis, ligatus corrigia circa collum, ſeptemque præcedentibus feriis ſextis in pane & aqua jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus; ſingulis illis ſeptem diebus Dominicis tres aut duos, aut unum pauperem paſcat, ſi poteſt: alioquin alia pœnitentia afficiatur: recuſans, Eccleſiæ ingreſſu interdicatur; in obitu Eccleſiaſticæ ſepultura careat. Dives, a Magiſtratu mulctetur pœna ſolidorum 40. alioqui triginta, aut viginti.

PRÆCEPTUM III.

Sabbata Sanctifices.

CANONES POENITENTIÆ.

QUI opus aliquod ſervile die Dominico Feſtove fecerit; pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Si quis S. Communionem ſumpſerit poſt aliquam vel minima deguſtationem; pœnitentiam aget dies decem in pane & aqua.

Si quis pranſus Miſſæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane & aqua.

Si quis in Eccleſia confabulatur, cum Divina fiunt; pœnitens erit dies decem in pane & aqua.

Si quis jejunium a S. Eccleſia indictum violarit; pœnitentiam aget dies 20. in pane & aqua.

PRÆCEPTUM IV.

Habeas in honore Parentes.

CANONES POENITENTIÆ.

QUI Parentibus maledixerit; quadraginta dies pœnitens ſit in pane & aqua.

Qui Parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui eos percuſſerit, annos ſeptem.

Si quis contra Epiſcopum, Paſtorem, & patrem ſuum inſurrexerit; uno in loco, Monaſteriove pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ ſuæ.

Si quis presbyteri, parochivæ ſui præcepta irriſerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua.

PRÆ:

PRÆCEPTUM V.

Non occides.

Canones Poenitentiæ.

SI quis Sacerdotem voluntarie occiderit; carne & vino abſtineat cunctis diebus vitæ ſuæ: quotidie exceptis Feſtis Dominiciſque diebus jejunet, non equitet, non arma ferat, non Eccleſiam ingrediatur quinque annis, ſed præ ejus foribus ſtet.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pœnitentiam agat annos viginti octo.

Si quis Patrem, aut matrem, fratrem, aut ſororem occiderit, toto vitæ ſuæ tempore non ſuſcipiat Corpus Domini, niſi in obitu: abſtineat a carne & vino, dum vixerit: jejunet feria II. & IV. & VI. feria

Si quæ mulier ſponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos: ſi nolens, quadrageſimas tres.

Mulier partum ſuum perdens voluntarie ante quadraginta dies, pœnitens erit annum unum, ſi vero poſt quadraginta dies, annos tres; ſi vero poſtquam editus eſt (partus) in lucem, tamquam homicida.

Cujus parvulus ſine Baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua.

Qui mortem ſibi conſciverit, pro eo nulla in Miſſa commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ejus cadaver ſepeliatur. NB. *Hic canon hodieque obſervatur.*

Si quis ſponte hominem occiderit, ad januam Eccleſiæ ſemper erit, & in obitu Communionem recipiat. Si caſu necarit, pœnitentiam aget annos ſeptem; ex alterius Canonis præſcripto annos quinque.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc ſcelus patrare potuerit, ut homicida pœnitentia afficiatur.

Alius Canon de Homicidio Voluntario.

Si quis homicidium ſponte commiſerit, vel odio vel poſſidenda hæreditatis cauſſa, primo jejunet in

pane, & aqua, deinde pœnitentiam agat annis ſeptem, primo anno poſt illos quadraginta dies, a vino, caſeo, & piſce abſtinebit, in 2. & 3. ſimiliter jejunet; tertiam autem & quintam feriam ac Sabbatum (a) redimere poteſt: reliquis quatuor annis jejunabit in ſingulis tres Quadrageſimas, primam ante Paſcha, alteram ante diem S. Joannis Bapt. tertiam ante Nativitatem Domini.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias; ſique cicatrix gravis eſt, ut vulneratum deformem reddat, quadraginta etiam dies pœnitebit in pane & aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane & aqua; Clericus autem unius anni & menſium ſex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; ſoluta medicamenti impenſa, ſi laicus eſt, pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua; ſi Clericus duas quadrageſimas; ſi Diaconus, ſeptem menſibus, Presbyter, uno anno.

Si quis fratri ſuo (id eſt, proximo ſuo), quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane & aqua pœnitentiam aget, quod reconcilietur.

PRÆCEPTUM VI.

Non Mœchaberis.

Canones Pœnitentiæ.

Simplex fornicatio puniebatur olim trium annorum pœnitentia; majore afficiebatur, qui id vitium repetebat.

Solutus cum alterius uxore adulterium committens, pœnitentiam agere debebat annos 7. mulier quinque.

Mari-

(a) *Qualiter olim redimi potuerint injunctæ pœnitentiæ, vide ſupra c. 9. n. 35.*

Maritus peccans cum ancilla pœnitentiam agebat per integrum annum; itemque explere cogebatur tres quadrageſimas, & præterea legitimas ferias tribus menſibus: Ancilla vero conſentiens quadrageſimas tres & legitimas ferias. N. B. Quid ſint *legitimæ feriæ*, infra docebo.

Inceſtus graviſſime puniebatur. Hujus peccati reus uno anno ab ingreſſu Eccleſiæ prohibitus fuit, quo durante præter feſtos dies pane ſolo & aqua uti fas erat: arma ferre, aut Communionem S. accipere non audebat, niſi pro Viatico; ſex deinde annis Eccleſiam ingredi poterat, ſed carne, vino, & ſicera uti non licebat, niſi feſtis diebus. Poſtea vero duobus annis, quando carne veſcebatur, a poti vini adſtinere debuerat; vel ſi bibiſſet, carne veſci prohibebatur, exceptis dumtaxat Dominicis diebus & præcipuis Feſtis; deinde uſque ad obitum perpetuo (præter feſtos dies) a carne abſtinere debuit. Tres legitimas ferias ſingulis hebdomadis jejunare, & quadrageſimas tres ſingulis annis legitime cuſtodire adigebatur. Non vacat huic præcepto diutius immorari, proin qui velit, legat ipſe pro variis luxuriæ peccatis a canonibus injunctas pœnitentias. Unicum adhuc Canonem pono.

Si quæ mulier ceruſſa, aliove pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficiatur trium annorum.

PRÆCEPTUM VII.

Non Furaberis.

Canones Poenitentiæ.

QUi furatus eſt aliquid de Eccleſia ſupellectili vel theſauro, quod ſuſtulit, reddet, & tres carinas cum ſeptem ſequentibus annis pœnitebit.

Si quis vel Eccleſiaſticas oblationes rapuerit, vel rapientibus conſenſerit, quadruplum reſtituet, & canonice pœnitens erit.

Si quis per neceſſitatem cibum, vel veſtem furatus ſit,

ſit, in pœnitentia erit hebdomadas tres: ſi reddiderit, jejunare non cogitur.

Qui fregerit noctu alicujus domum, aut aliquid auferet, pretium, reddet, & pœnitentiam aget annum in pane & aqua: ſi non reddit, anno duos.

Si quis furtum de re minori ſemel aut bis fecerit; reſtituta re pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit (Domino comparenti, aut alias cognito) furtum committit, idcirco tamquam de furto pœnitentiam aget.

Qui decimam ſibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum reſtituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Si quis malo ſtudio, vel ulciſcendæ injuriæ cauſſa, incendium commiſerit, committive *juſſerit*, aut *incendiario* auxilio, vel conſilio ſcienter dederit, excommunicabitur: ſi mortuus erit, Chriſtiana ſepultura carebit. Nec vero abſolvetur, niſi damnum pro facultatibus reſarciverit, juretque ſe impoſterum tale facinus nunquam admiſſurum. Pœnitentia præterea hæc ei conſtituetur, ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio DEI totum annum permaneat.

PRÆCEPTUM VIII.

Non falſum teſtimonium dices.

CANONES POENITENTIÆ.

QUi falſo teſtimonio conſenſerit, pœnitens erit annos quinque.

Si quis convicium manifeſtum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit, falſumque in hoc dixerit; pœnitens erit dies ſeptem in pane & aqua.

Qui falſitatem, fraudemve in ponderibus, & menſuris admiſerit, pœnitens erit in pane & aqua dies viginti.

Falſarius in pane & aqua pœnitentiam agat, quamdiu vivit.

PRÆ-

PRÆCEPTUM IX.

Non concupiſces rem proximi tui.

CANONES POENITENTIÆ.

REM alienam nefarie concupiſcens, avaruſque pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena furari concupiſcit, furtum eſt: qui idem aliena rapere cupit, rapina eſt: qui res Eccleſiæ furari appetit, ſacrilegium eſt; ideo cum nefarie concupiſcendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

PRÆCEPTUM X.

Non deſiderabis uxorem proximi tui.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis concupiſcit fornicari, pœnitens erit annos duos.

DECLARATIONES PŒNITENTIARUM.

I. NOmine Pœnitentiæ per *legitimas ferias* conſtitutæ, intelliguntur feria ſecunda, quarta, & ſexta.

II. *Carina* jejunium, quod aliquando pœnitentiali Canone cavetur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane & aqua fiebat, ut ſæpenumero Burchardus interpretatur. Carinam alii dicunt, quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam.

III.

III. Pœnitentia per tres Quadrageſimas indicta ita intelligitur, ut cui imponebatur, in anno pane & aqua jejunaret Quadrageſimas tres, quarum prima eſt ante diem Natalem Domini, altera ante Paſcha Reſurrectionis; tertia, quæ ſcilicet per dies tredecim ante diem feſtum S. Joannis Baptiſtæ agebatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

U. I. O. G. D.

ELEN-

ELENCHUS
OPUSCULI.

DISSERTATIO PRÆVIA

De Eruditionis Præſtantia ad Neo-Theologos.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Pœnitentia publica, deque ejus origine. Pag. 781.

Numero I. *Perſtringuntur Novatores.* II. *Declaratur, quid ſit Pænitentia publica.* III. *De ejus origine.* IV. *Libellaticorum, & Thurificatorum diſtinctio.* V. *Lapſus Tertulliani.* VI. *Vindicatur Cyprianus.*

CAPUT II.

An, & quomodo Pœnitentia publica olim injuncta fuerit? 792.

Numero VII. *Variæ Pænitentiæ.* VIII. *Pænitentia ſolemnis imponebatur ab Epiſcopo. Ritus obſervari ſolitū in ea imponenda.*

CAPUT III.

Gradus Pœnitentiæ publicæ. 776.

Numero IX. *Sunt quatuor: Fletus nimirum.* Auditio, Subſtractio, & Conſiſtentia. X. *De Fletu.* XI. *De Auditione.* XII. *De Subſtractione.* XIII. *De Conſiſtentia.*

CA-

C A P U T IV.

Cauſſa Pœnitentiæ publicæ, Sive ob quæ crimina ea olim impoſita fuerit? 801

Numero XIV. *Ob tria impoſita fuit*: *propter* Idololatriam *nempe*, Homicidium, *&* Adulterium, *eorumque* ſpecies manifeſtas. XV. *Probatur*. XVI. *Canones certi pro aliis peccatis præſcripti*.

C A P U T V.

An pro occultis criminibus Pœnitentia publica dictata fuerit? 815

Numero XVII. *Non fuit*. *Probatur ex SS. Auguſtino*, *&* *Ambroſio*. XVIII. *Item ex Conciliis Vaſenſi*, *&* *Arelatenſi; nec non ex Hincmaro Ep. Rem.* XIX. *Publica tamen Pœnitentia de occultis interdum ſuſcepta fuit aut ultro, aut ex conſilio Confeſſarii, ſed caute*.

C A P U T VI.

An Clerici Majores Pœnitentiam publicam ſubire debuerint? 820

Numero XX. *Propoſitis Auctorum Sententiis*. XXI. *Eligitur*, *&* *probatur negativa*. XXII. *Nota ad ſolvendas Objectiones*.

C A P U T VII.

De impoſitione manuum, & pœnitentium reconciliatione. 827

Numero XXIII. *Triplex manuum impoſitio*. XXIV. *Reconciliatio duplex*: Sacramentalis, *&* Canonica, *ſeu* ſolemnis. XXV. *Reconciliatio Canonica Romæ fiebat in COENA DOMINI, idque obſervatum in aliis quibuſdam Occidentalis Eccleſiis, ut patet ex Conc. Cabilonen-*

lonenſi. XXVI. *Et ex Capitulis Herardi Ep. Turon.* XXVII. *Fiebat hæc reconciliatio a ſolo Epiſcopo, neceſſitate urgente a Presbytero ex commiſſione Epiſcopi.*

CAPUT VIII.

Solvuntur Objectiones, & exploditur Sententia Novatorum, Sacerdotes peccata non ſolvere aſſerentium. 833

Numero XXVIII. *Proponuntur Objectiones.* XXIX. *Solvuntur.* XXX. *Novatores refutantur ex SS. Auguſtino, Paciano, Ambroſio.* XXXI. *Cypriano, item* XXXII. *Et Chryſoſtomo.*

CAPUT IX.

De Abrogatione Pœnitentiæ publicæ. 841

Numero XXXIII. *Confeſſio auricularis non fuit abrogata in Eccleſia Orientali Sæculo Eccleſiæ quarto.* XXXIV. *Sed neque Pœnitentia publica.* XXXV. *Commutatio Pœnitentiæ publ. in Occident. Eccleſiæ Sæculo circiter nono inſtituta fuit; adeoque Fideles Pœnitentias redimebant vel eleemoſynis, vel jejunio.* XXXVI. *Vel recitatione Pſalterii cum diſciplina ſive flagellatione.* *Præclarum ea in re S. Dominici Loricati exemplum.*

APPENDIX.

Excerpta ex Canonibus Pœnitentialibus. 850

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
Ordine Alphabetico digeſtus.

A

ABrogatio pœnitentiæ publicæ. Pag. 841
Adulterium olim publice punitum. 822
Æra Hiſpanica 38. annis annum vulgarem antecedit. 832
Æſopi Fabularum liber optimus poſt Biblia. 772
Æſopo Tabernaculum, unum Pſalterio, unum denique Prophetis Lutherus ædificat. *ibid.*
Auditio ſecundus pœnitentiæ gradus. 798
S. Auguſtinus an faveat Luthero. 765
Auricularis confeſſio non primum cœpit ſæculo XIII. 814

B

Benedictus XIV. quid ſuadeat Epiſcopis circa *Canones Pœnitentiæ?* 808
Bernardum Lutheranis favere ait Gozius. 769

C

Calvini hallucinatio. 770
Canones pœnitentiæ ſuper præcepta Decalogi. 795
S. Caroli Borromæi de canonibus pœnitentiæ judicium. *ibid.*
Catechumenorum olim tres erant claſſes: *Auditorum nempe, Competentium, & Electorum.* 800
Cæcilianus a Donatiſtis depoſitus abſolvitur. 827
S. Chryſoſtomus vindicatur a Lutheraniſmi nota. 768

Non

---- Non prohibuit confeſſionem ſecretam. 842
Cinerum diei ritus hodiernus profluit ex antiquo. 831
Clerici majores pœnitentiam publicam ſubire non debebant. 820
Clericorum Lapſorum *unicum* olim ſupplicium fuit. 824 825
Coccii Jodoci *Theſaurus Catholicus* commendatur. 772
In Cœnæ Dominicæ die fiebat olim reconciliatio pœnitentium. 830
Coma olim tondebatur viris publicæ pœnitentibus. 832
Commutatio pœnitentiæ publicæ. 845 846
Confeſſarii obſervent doctrinam S. Thomæ. 808 809
---- Non dicent pœnitentias publicas. 835
Confeſſio ſecreta. 804
---- Antiquitus jam viguit. 810. & ſeq.
Confeſſio peccatorum ſoli Deo facta olim non fuit. 814
---- Auricularis non primum cœpit ſæculo XIII. 772 773. 813. & ſeq.
Confeſſionem auricularem ut præciperet Carolus V. Imperator, petiere Norimbergenſes. 713 814
Ratio eam petendi notatu digna. 814
Confiſtentia quartus pœnitentiæ gradus. 799
Crimina occulta publice punita non fuerunt. 813
S. Cyprianus quis fuerit? 791
---- Vindicatur. 788

D

Diabolus, ejuſque Mater Sacramentorum ſunt Miniſtri Lutheri judicio. 768
Dominicus *Loricatus*, inſigne pœnitentiæ exemplum. 847
Donatus ſuæ factionis caput. 825 826
Donatiſtarum errores. 826
Donatiſtæ contendebant, veram Eccleſiam eſſe in ſola Africa, cum verſus Meridiem ſitum obtineat, & Sponſa ad Sponſum dicat: *Indica mihi, . . . ubi paſcas in meridie?* 826 827

E

Eliberitanum Concilium non vetat venerari Imagines ſacras. 810
Epiſcopus imponere olim debebat pœnitentiam publicam. 712
Epiſtola Synodalis PP. Cabilonenſ. ad Theodorum Arelatenſem. 819 820
Eraſmus Lutherizat. Vindicatur tamen a ſuſpicione Lutheraniſmi a Clariſſ. Weislingero. 812
Euchariſtia quinam olim privati fuerint? 840

F

Fabiolæ pœnitentia. 796 797
Fletus. primus pœnitentiæ gradus. 796
Fornicatio publice olim punita. 802 803

G

Gradus pœnitentiæ quatuor. 796
Gregorius M. Lutheranis non favet. 770

H

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia ſummopere utilis. 773 & ſeqq.
Hiſtoriam memorabilem refert P. Giſbert. ibid.
Homicidium publice olim punitum. 802 803

Ido-

I

Idololatria publice olim punita. *ibid.*
Imagines ſacras venerari non vetat Concil. Eliberitanum. 805 810
Impoſitio manuum triplex. 827
Indulgentia mille annorum quid ſit? 847
Joannæ Papiſſæ fabula exploditur argumento præcipue negativo. 846. 847
S. Irenæus Lutheranis non favet. 767
Junker Georg, homo mirabilis. 780 781

L

Lutheri primordia. 780
---- Doctoratus, & educatio in ſtabulo aſinino. 780 781. 782
---- Nuptiæ. 782
---- Obitus & Teſtamentum abbreviatum. *ibid.*
---- Sepultura in templo Oo. nigrorum Spirituum. *ibid.*
Libellatici qui fuerint? 786
Libelli quid ſint? 787

M

Mabillonii liber *de Monaſticis Studiis* commendatus. 778 779
Manuum impoſitio triplex. 827
MS. Codex antiquus Bibliothecæ noſtræ de Confeſſione Sacerdoti facienda teſtatur. 812
Mariti uxorem deferentes graviter olim puniti. 844
Montaniſtarum errores. 889 790

Ne-

N

Nectarius Patriarcha CP. non ſuſtulit confeſſionem auricularem. 841 842
---- Abrogavit Presb. pœnitentiarium. 842
Norimbergenſium legatio ad Carolum V. 813
Novatianorum dogma. 790

O

Objectiones contra pœnit. publ. propoſitæ ſolvuntur. 833 834
Oblatio panis & vini ad conficiendam Euchariſtiam. 801
S. Optatus Milevitanus redarguit *Donatiſtas*, quod Clericos majores ſubjecerit pœnitentiæ publicæ. 824
S. Othomarus diſcipulos inſtruit circa confeſſionem. 813

P

S. Pacianus laudatur a D. Hieronymo. 841
Paſcha Competentium. 700 801
PP. SS. Lectio ſuadetur. 767 772
Pauli Samoſateni errores. 800
Peccata vere dimittunt Sacerdotes. 335
Pœnitentiæ publicæ origo. 781
Pœnitentia publica non plectebantur crimina occulta. 815
Pœnitentia ſponte ſuſcepta a nonnullis. 817
---- Non induxit irregularitatem 817 818
Pœnitentia publica dictata non fuit Clericis majoribus. 820
---- Iterata non fuit, & cur? 834
Pœnitentiæ genus triplex. 792. Ritus. 794. gradus quatuor. 796
Pœnitentiam quis indixerit? 793
Pœnitentiæ publicæ abrogatio. 841
Pœnitentiarii olim munia. 842
Pœnitentes Laici olim fiebant irregulares, & infames. 819
Pœnitentibus varia prohibebantur. *ibid.*

R

Reconciliatio duplex, *Sacramentalis* una, altera ſolemnis. 830

---- Solemnis fiebat Romæ in Cœnæ Dominicæ die. *ibid.*

Redemptio pœnitentiarum. 843

S

Sacerdotes vere dimittunt peccata 835

Sacerdotum erga pœnitentes officia pulcherrime deſcribit Synodus Quini-Sexta. 849

Sacerdos eſt quilibet Baptizatus ſecundum Evangelium Lutheri. 769

Schiſma Donatiſtarum. 825 826

Scoparum tria millia annum pœnitentiæ regulariter explent. 847

Scotus Evangelicus. 769 770

Scripturæ S. ſtudium ſuadetur. 766

Sepultura Lutheri. 780

Sepulturam Chriſti quantum Lutherus æſtimarit. 780

Siricii Papæ decretum circa relabentes. 840

Soto memorabilem Hiſtoriolam refert de Norimbergenſibus. 814 815

Subſtratio tertius pœnitentiæ gradus. 798 799

Symbolum reddere quid ſit? 801

T

Tabernacula tria Lutherus ædificat, inter quæ unum Æſopo deſtinat. 772 773

Tertullianus deſcribitur. 790 791

---- Vellicat decretum Zephyrini Papæ. 887

Theatri nomine intelligitur locus, publice pœnitentibus deſtinatus. 848

S. Thomas Confeſſor veritatis Evangelicæ, Scilicet. 770 771

---- Non cenſet, gravem pœnitentiam imponendam. 808

Traditores qui dicti fuerint? 826

Thurificatorum a Libellaticis diſtinctio. 786

F I N I S.

MR6 2009265

5-2

Digitized by Google